Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johann Tarnow

Johannis Tarnovii S.S. Theol. D. & in Academia Rostochiensi Professoris In Prophetam Zachariam Commentarius : In quo textus Analysi perspicua illustratur, ex fonte Hebraeo explicatur, locis S.S. parallelis confirmatur, a pravis expositionibus vindicatur, Usus vero in Locis Communibus ex ipsa scriptura natis & probatis indicatur ; Adiectus est in fine Index

Rostochi[i]: Rostochi[i]: Hallervordus: Pedanus, 1625

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746456336

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

G K C

1 6 3 0

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746456336/phys_0001
DFG

~~VIII. 1142.~~
Theol. 231.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746456336/phys_0002
DFG

54/68
No 16
Haenich

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746456336/phys_0003
DFG

D. T. O. M. A.

JOHANNIS TARNOVII

S.S. Theol. D. & in Academia Rostochiensi
Professoris

In Prophetam ZACHARIAM COMMENTARIUS:

In quo textus
Analysi perspicuâ illustratur,
ex fonte Hebræo explicatur,
locis S.S. parallelis confirmatur,
à pravis expositionibus vindicatur,

Usus verò in Locis Communibus ex ipsâ scripturâ natis & probatis indicatur.

Nehemiæ c. 13. v. 22.
גַּם־זֹאת זָכְרָה־לִּי אֱלֹהַי
וְחוֹסָה עָלַי כְּרֹב חַסְדֶּךָ׃

Adjectus est in fine INDEX.

ROSTOCHI
Typis exscripsit Joachimus Pedanus, Acad. Typog.
Sumptibus Joh. Hallervordi bibl. Rostoch.

ANNO M. DC. XXV.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746456336/phys_0005
DFG

Regi Regum, Domino
Dominorum
JEHOVÆ SA-
CRUM.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746456336/phys_0006
DFG

PRÆFATIO.

LECTORI BENEVOLO & Candido salutem à salutis fonte precor.

QUando jam tandem, Lector Candide, hunc in Zachariam prophetam Commentariũ (quem dudum promiserunt alij, &, si per me solum stetisset, pridem publici juris feciſſem) evulgo, paucis pro tempore, quo mala multa hanc littoris Balthici oram exercent, & longè plura ac majora, nisi

ſummum illud bonum ea averterit clementer, jamjam obruent, dicendum mihi arbitrabar, de optimo in omnibus malis remedio. Et cum ipſum nominis prophetæ noſtri etymon reſpiciebam, commodum regrediebar in memoriam ejus, quod olim à Pſalmographo præmonſtratum videram. Hi, inquit, curruum, & illi equorum; nos verò nominis JEHOVÆ Dei RECORDAMUR. Illi incurvant ſe & cadunt, nos verò ſurgimus & conſiſtimus.

Ita enim eſt, in mundo ſemper ſunt duo hominum genera, & duo, quæ iſti colunt, quibus credunt & confidunt, numina, & ut illa ſubjecta & objecta diverſa, ita etiam diverſa ibidem cernuntur effecta. Pij ſiquidem, ubi á mundi

pelago jactantur, & velut καθάρματα ac περιψήματα ejiciuntur, nullum aliud habent perfugium, quàm ut ad portum vitæ æternæ respiciant, & recordatione nominis divini se solantes mala tolerent, meliusque fore sperent, dum castigati morte non afficiuntur, tristes semper gaudent, ipsi pauperes multos ditant, ac nihil habentes omnia obtinent.

Contrà improbi regnant, se passim magnificè ostentant, & in malo potentes se jactitant, curribus & equis vecti aliorum in se convertunt oculos, & tantum non in cœlo esse sibi & alijs videntur.

Hic fidit armis, plebe se clientium
Defendit alter, militumq; copijs.

Hæc est illa, quæ non ociosè spectante admirandâ Dei providentiâ agitur fabula, in quâ ut diversi introducuntur & coluntur, Deus nempe verus & idolum, probi & improbi, illi afflicti, hi affligentes, ita catastro-

phe ibi læta, hîc triſtis, efficit, ut ibi demum comœdiam ſpectemus, hîc agi tragœdiam cernamus, qualia ſacra dramata & paradigmata ibi Joſephus, David, Mardochæus, Daniel; hîc Pharao, Saul, Sennacherib, Haman, Herodes & alij præbent.

Hoc ipſum propheta Zacharias, quem jam do tenui quodam Commentario illuſtratum, graphicè depingit, dum piorum in profundo merſorum & ab immundo mundo oppreſſorum calamitatem, & liberationem divinitus contra omnem ſpem præſtitam in populo Judaico ex captivitate reducto ac contra hoſtes potentes potenter defenſo aliquot viſionibus adumbrat, & quodnam viciſsim ipſorum officium, ſanctis præceptis declarat, & bonorum, quos eadem ſors ſemper manet, animos contra futura mala præmunit.

Ex quibus omnibus, quando rectè ac piè (quod decet omnes Chriſtianos) perpenduntur, ſi qua antè in Eccleſiam redundavit

davit utilitas, quod credimus, nunc sanè, ubi malorum ilias dulcissimam nostram cõmunem patriam Germaniam tantum non obruit ac planè inundat, ea pijs usum præbent longè maximum, siquidem, quæ Judæos afflixit, captivitas nobis imminet, annonæ caritas, quacum illi miserè diuq; sunt conflictati, nos premit, & alia graviora mala metuuntur, imò quibusdam in locis cernuntur, quandoquidem, quæ Judæos pessundedit, licentia morum passim obtinet. Hîc verõ vera solatia, præter Dei verbum, pios deficiunt, ideoq; ad illud velut sacram anchoram confugiunt.

Quisquis itaq; cupis in hisce undis esse tranquillus ac tutus, navem veræ Ecclesiæ ne deseras, & nominis Jehovæ jugiter recordare, in prosperis, ut in pietate proficias, in malis, ne deficias vel desperes. Quod quomodo fieri debeat, docebit hic propheta, nominis sui mensuram implens, quem ut cum fructu nostro legamus, &

quæ

quæ salubriter proponit, rectè ad usum transferamus, faxit is, à quo placato omnia bona, & irato omnia pœnæ mala obveniunt generi humano, & nos sibi hac tempestate per Christum intercessorem, & Spiritum Sanctum advocatum nostrum commendatos esse patiatur. in quo voto desino, teque, Benevole Lector, feliciter valere & plurimum salvere jubeo.

Jonæ 2. v. 8,

בְּהִתְעַטֵּף עָלַי נַפְשִׁי אֶת־יְהוָה זָכָרְתִּי
וַתָּבוֹא אֵלֶיךָ תְּפִלָּתִי׃



IN ZACHARIAM Prolegomena.

Psalm 106. v. 4.

זָכְרֵנִי יְהוָה בִּרְצוֹן עַמֶּךָ
פָּקְדֵנִי בִּישׁוּעָתֶךָ׃

SEcundum inter eos prophetas, qui post reductionem populi Judaici ex captivitate Babylonicâ vaticinati sunt, nempe *Zachariam* nunc porrò, juvante Domino, explicaturus, more solito hæc septem breviter exponam in prolegomenis, *Quis, Quid, Quando, Quibus, Qua occasione, Quo fine, & Quotuplicia* prophetaverit. Προλεγόμενα. I.

De primo. Certa sunt, quæ Spiritus Sanctus nobis in hujus prophetæ titulo annotari voluit, videlicet hæc *tria, prophetæ nomen proprium, genus clarum, & officium sacrum:* incerta verò, quæ præterea nonnulli disputant interpretes. Nam est זְכַרְיָה, compositum ex verbo hebræo זָכַר, id est, recordatus est, & nomine παραγεγραμμένῳ contracto יָהּ, cujus Mappick in compositis excidere consuevit, ut tantò facilius à nomine Dei proprio queat discerni. Est igitur ille, quem græcè diceres μνησίθεον, seu μιμόθεον, quod nomen huic prophetæ benè quadrat, cum non tantùm ipse semper Dei, ejusque dictorum ac factorum divinorum recolit memoriam, verùm etiam ex captivitate reductos, idem ut faciant, hortatur sedulò.

1. Nomen proprium. Zacharias unde dictus.

2. Genus clarum.

Genus seu familia ipsius indicatur, cum nomen patris, בֶּרֶכְיָה Eulogius, Benedictus, q. בָּרַךְ יָהּ benedixit Jehova, & avi עִדּוֹ id est, Firmicus, Robertus, cum sit à R. עָדַר, hoc est, statuminavit, apponitur. Philo in libro de nominibus hebraicis: Iddo, inquit, est servus, vel testis, vel fortitudo ejus, quorum postremum, ratione Etymologiæ propter dagesch habitâ, sequimur; primum à עִדִּי cum עֲבָדִי, & secundum, id ipsum nomen hebræum cum עֵדוּת confundit, quemadmodum etiam apud alios interpretes, in explicatione nominum hebraicorum hac falsa seductos, eadem est reperire.

3. Officium.

Officium sacrum Zachariæ, nomine prophetæ (de quo in initio Haggæi dictum est) denotatur. Quamvis autem eo tempore, quo vixit Zacharias, & pater & avus illius fuerint homines clarissimi (siquidem illi tantum in prophetiarum titulis solent apponi, ut ex hebræis Joel, 1, 1. dictum est, & facilè per inductionem potest probari) & proinde notissimi; tamen cum nobis constet saltem, hujus prophetæ librum esse canonicum, & proinde authenticum, seu fide in articulis fidei dignum, de reliquis non admodum erimus solliciti.

Hic liber est authenticus.

Illud verò facilè probamus, adhibitis librorum V. T. κριτηρίοις. Est enim hic liber à propheta & legato Dei, linguâ hebraâ scriptus, à veteri Judæorum Ecclesia in V. T. receptus, in arcam Ecclesiasticam unà cum ceteris repositus, & ad nos usque incorruptus propagatus, &c. in N. autem T. à Christo, ejusq; apostolis, Johanne inprimis, aliquoties allegatus & approbatus, quum ex cap: 8, v. 16. Eph: 4, 25. Ex cap: 9, v. 9. Matth: 21, 5. Joh: 12, 15. Ex cap: 11, v. 12. Matth. 27, 9. ex cap: 12, v. 10. Item; 19, 37. Apo: 1, 7. Ex cap: 13, vers: 7. Matth: 26, 31. Marc: 14, 27. citatur. Hæc dicit de Zacharia nostro scriptura, & inde satis superq; novimus, (quantum quidem scire de eo fas est) Quis ille: litigent jam inter se interpretes, quantum & quamdiu volent, super illo: Num hic Zacharias sit ille, qui inter templum & altare à Judæis nefariè occisus esse dicitur, Matt: 23, 35. quod Ribera & Gualtherus affirmant, alijq; probant, quorum summa, quod sit filius Barachiæ, & ferè prophetarum

Allegatur in N. T.

Q. num hic Zacharias violenta morte sit interemptus. Affirm.

tarum ultimus: nos, cum scriptura hunc nostrum prophetam violenta morte sublatum esse non dicat, nec facilè id ex alijs probatis scriptoribus probari possit, malumus hic tacere, quam temere aliquid asseverare, cum nec illis desint argumenta, qui statuunt, illum Zachariam, de quo Christus loquitur apud Matthæum fuisse filium Jehojadæ, quippe quem isto mortis genere, in loco sancto extinctum esse injustè, scriptura disertè narrat 2. Chron: 24, 20. 21 præsertim cùm constet de multis alijs, quod fuerint binomines, ideoque non sit improbabile, idem quoque in hoc Jehoiada obtingere potuisse, quòd etiam propterea sit verosimilius hoc loco quum nomina illa duo, si significationem spectes, fermè idem denotent. sed de his satis, de quibus alij plus satis.

Neg.

II. Summa seu argumentum prophetiæ.

Secundo, Quid hic noster Zacharias *prophetaverit*, ex hac summa cognosci poterit. *Tria* enim potissimùm *tractat. primùm* accusat Judæos reduces de peccatis, eosq; ad pœnitentiam revocat: *deinde* ad ædificationem templi & urbis, propositis largis Dei promissionibus, exstimulat, sed ita, ut simul demonstret, earum non fore ullos compotes, nisi eos, qui veræ pietati studeant. *denig*, illustres prophetias de Messia, ejusque operibus ac beneficijs habet egregias, quæ præcipuè spectant ad Ecclesiæ liberationem, ac per gentium vocationem futuram amplificationem. Cum enim inter eos, qui ab exilio Babylonico in patriam erant reversi, alij in officio essent segniores, alij omni insidiarum & periculorum genere graviter tentarentur, prophetas duos, Haggæum & Zachariam excitavit Deus, qui ignavos severis exhortationibus urgerent, infirmorum v. fidem promissionibus sublevarent. Et Haggæus quidem, ut vidimus, ad templi ædificationē & cultus divini restaurationem suos auditores hortatur: Zacharias verò præterea monet, ut Rempub: constituant, in quâ Ecclesia usq; ad Messiæ tempora sedem habeat. Quod ut obtineat primò ob oculos proponit, quemadmodum infeliciter hoc majoribus ipsorum cesserit, quando in Dei cultu & mandatis perficiendis fuerant negligentes: deinde auxilium Dei promittit, quo futurum, ut & per Josuam sacerdotem maximum & Zerubbabelem ducem, typos Christi, opus ædificationis urbis ac templi absolvatur, & quæ mala obventura sunt, tandem feliciter

Tria tractas 1. 2. 3.

Horum occasio.

Quæ urgit Haggeus, & Zacharias.

A terrenis ad cælestia progreditur

hoc duce superent. Atque ita à terrenis ad cælestia, à corporalibus ad spiritualia, à præsentibus ad futura Zacharias progreditur, more prophetarum solenni, variaque de Christo, ejusque regno adjicit vaticinia, quorum complementum ac consummatio ad finem usque seculi extenditur.

III Quando vixerit.

Tertiò, quando vixerit & vaticinatus sit Zacharias, in initio declaratur, videlicet duobus mensibus post quam Haggæus prophetare cœperat, mense nimirum octavo, anno secundo Darij, de quo in vers: 1, Haggæi diximus pluribus, quò nunc brevitatis ergò recurrere malumus, quàm hic idem cum tædiò repetere.

IV Quibus prophetaverit.

Quartò, Quibus prophetaverit, etiam hinc patet, nempè reducibus Judæis ex captivitate Babylonica, ijsque non tantùm in opere ædificationis templi ac urbis, Reipublicæque constitutione ignavis, sed & potissimum metu periculorum graviter tentatis, & tantum non planè deterritis. Hinc toties mentionem Sionis, Jehudæ, Jerosolymæque facit cap. 1, 17. & 2, 2, 4; 7. 10. 12. & 3, 2. & 7, 7. &. 8, 3, 15. &. 9, 9. &. 10, 6. &. 12, 8. 10. &. 13, 1, &. 14, 2. 8. 10. 14. Unde tamen non licet colligere, nullos ex reliquis tribubus Jsraeliticis in terram sanctam esse reductos. Præterquam enim, quod illud ex sequentibus locis facilè possit probari, licuisse vi promulgati à Cyro mandati omnibus omninò Jsraelitis per omnes provincias regni Persici dispersis in terram suam, si vellent, reverti, 1. Chro. 9, 3. Esd: 1; 3. 4. 5. & 7, 7. 13. 28. & 6, 17. & 8, 35. constat, cum ex N. T. quod ex duodecim tribubus multi in Judæa tempore Christi fuerint, Matth: 19, 28. Luc: 2, 36. Matt: 4, 15. Jacob. 1, 1. Apoc: 7; 4, 5. tum ex Esd: cap, 2, 70. tum ex hoc nostro propheta c. 2, 6. 7. c. 8, 13. & 9, 13. & 10, 6. 10. & 11, 14. & 12, 1. & ex Malach: 1, 1. & 2, 11. quod Jsraelitæ unà cum Judæis fuerint reducti (quippe qui post captivitatis Babylonicæ solutionem fuerunt in terra sancta) licet non tantâ cum cum solennitate ac multitudine sint ipsi peculiater & seorsim reducti, ut abducti fuerunt. Quomodo quæ Jsraelitis est promissa, præstita est liberatio, quamquam plerique ex decem tribubus, jam per longius temporis spacium exules, quemadmodum & Judæi quidam in Assyria rebus suis constitutis malu-

Omnibus reducibus ex captivitate ex omnibus tribubus Jsraelis.

maluerunt in terra peregrina manere, quam ad suam, cum possent redire, qua de re alibi cum Deo pluribus.

V. Qua occasione.

Quinto, *Qua occasione* Zacharias docere inceperit, ex ijs, quæ in quinto membro προλεγομένων in Haggæum, & supra in secundo horum dicta sunt, facile est colligere, nempe metus erat, ne opus ædificationis templi, restaurationis urbis & constitutionis Reipub: novæ frigere rursus inciperet, quod alij ignavi, alij metu periculorum erant perculsi in reduce populo.

VI. Quo fine. Hortatur.

Sexto itaque *hoc fine* Zacharias prophetare cœpit, ut ignavis ex somnolentiæ torpore excitatis calcar adderet, perculsis verò & consternatis, ne in desperationis viam se darent, frenum injiceret, utrinque Dei authoritatem urgens: apud illos severi judicis punientis negligentiam ac socordiam supinam eorum, qui mandata ejus exequi non studerent: apud hos clementis patris ac protectoris suo benedicentis cœtui, hominumque molitiones reddentis irritas, qui omnino jam spondeat futurum, ut templum urbs & Respub: restauretur. Præterea etiam, ut veri prophetæ quoque Zacharias fungeretur munere, exstructæ illius urbis ac inhabitantis populi fata ac eventa varia, sigillatim, verbis tectis ac apertis, quantum ad institutionem & consolationem piorum erat satis, pronunciat. Vaticinatur.

Quo fine autem eadem hæc vaticinia per eundem prophetam impulsu Spiritus S. in literas (quod ad summam eorum attinet) sint redacta, & ad nos usque mirabiliter traducta, obscurum illi esse nequit, qui, quæ in reliquorum prophetarum prolegomenis & initijs sæpius jam diximus, in animum sibi revocaverit, quorum summa habetur 2. Tim: 3, 16. Rom: 15, 4. Luc: 16, 29. 1. Cor: 10, 6, 11, 12. & quia postea idipsum, cum Deo in L. C. sumus observaturi prolixius, hîc uberiori usus hujus prophetiæ declaratione supersedendum putamus, si tantùm in genere notaverimus, magnam jam lucem ad omnia feliciùs in suum usum convertenda, & ad sui institutionem sibi applicanda esse accensam ei, qui cognitum habuerit, quod *quæ hic de templo externo ædificando sunt minæ & promissiones, eæ quoq; de templo nostri corporis in Dei gratiam exstruendo atq; exornãdo rectissimè possin intelligi*, ut suprà plurimus in Haggæi

Usus hujus prophetiæ.

In genere.

gæi libro est explicatum, & *quæ de restauratione urbis* hîc tanto studiò *inculcantur, ea de urbe Dei seu Ecclesia optimè possin accipi,* quam eadem, quæ Jerosolymam olim, hodiè etiam num manet fortuna, & proinde eadem promissa ejus civibus à Deo data esse meminerimus, quæ hîc exstant, quæque tantò majori cum animi fiducia sunt arripienda, quantò plura ex illis jam certissimo eventu esse comprobata in N. T. novimus.

In specie. Vt tamen tantò certius constet de utilitate hujus prophetiæ longè maximâ, placet ὡς ἐν τύπῳ brevissimè hîc in vestibulo spectandum exhibere, quomodo præcipui doctrinæ Christianæ loci in ea explicentur, indeque probari facile queant, dum ex plurimis pauciſsima hîc adducimus.

In loco de Deo. Agitur enim hîc in loco de DEO, de Dei ira erga peccata cap: 1, 2. 6. 15. C: 7, 12. & hinc exortâ maledictione Cap: 1, 13. 16. 17. & amore erga suos cap: 1, 14. & 2, 8. & 8, 8. ei attribuuntur ἀνθρωποπαθῶς oculi. cap: 4, 10. cap: 5, 6. c: 9, 1, 8. is potest facere vera miracula c: 8, 6. benedicit pijs c. 1, 16. 17. & 2, 4. & 8, 3. 12. 15. pluralitas personarum divinarum probatur c. 3, 2. & 11, 4. de Spiritu Sancto agitur cap: 12, 10. dij falsi seu idola perduntur. cap: 13, 2.

Creatione, In Loco de CREATIONE notatur, quod Deus sit creator cœli c. 12, 1.

providentia In Loco de PROVIDENTIA habes, quod alia sit generalis, aliâ specialis cap: 9, 1. quod protegat pios cap: 2, 5. malos puniat cap: 2, 9. & 5, 3, 4. Deus det pluviam c. 10, 1.

Scriptura, In Loco de SCRIPTURA, quod ejus autor sit Deus cap: 1, 1. 7. verbum Dei sit verax & certum c. 1, 6.

Angelis, In Loco de ANGELIS, quod sancti angeli c. 1, 4, 5. dicantur dij c. 2, 8. emittantur in ministerium piorum c. 1, 10. c. 6, 1. 5. 6. 7. cursum evangelij promoveant c. 6, 8. quod mali angeli adversentur pijs hominibus & cursum evangelij impedire cupiant cap: 3, 1.

Peccato, In loco de PECCATO, quod hoc Deus non probet c. 8, 17. & 1, 5, 6. neque peccatores obstinatos exaudiat. cap: 7, 13.

In-

In Loco de PRÆDESTINATIONE, quod Deus eligat Jerosolymam, hoc est, qui pacem Dei oculis fidei vident, seu in Christum credunt c. 1, 17. & 2, 12. & 3, 2. — Prædestinatione,

In Loco de CHRISTO, quod sit angelus seu legatus, licet increatus, loquens per prophetas c. 1, 9. 12. c. 2, 3. & 4, 1. probatur ejus natura divina c. 13, 7. quod sit natura humana progerminatura ex stirpe Jsai, prædicitur c. 3, 8. & 6, 12. est rex suæ Ecclesiæ, ejusq; curam gerit c. 1, 8. & 2, 10, 12. & 6, 13, & 9, 9. est Ecclesiæ fundamentum c. 3, 9. mediator pro Ecclesia intercedit c. 1, 12. ejus regni amplitudo est maxima c. 9, 10. ingressurus est humiliter Jerosolymam cap: 9, 9. venditus triginta argenteis c. 11, 12. 13. à Judæis transfigendus in cruce. c. 12, 10. — Christo,

In Loco de LEGE, summa secundæ tabulæ decalogi ponitur cap: 7, 9. 10. c. 8, 16. 17. promissio legalis est conditionata. cap: 3, 7. — Lege,

In LOCO de POENITENTIA, quod hanc maximè velit Deus c. 1, 3. — Pœnitentia,

In Loco de ECCLESIA quæ est sanctorum communio c. 14, 21. quod nullo consilio humano regatur aut protegatur c. 4, 6. ejus hostes tandem perdantur c. 1, 18. 20. c. 9, 2. 3. &c. Ministrorum verbi officium est revocare errantes à viâ malâ c. 1, 4. c. 7, 7. solari consternatos c. 8, 9. gentium vocatio ad Ecclesiam promittitur c. 2, 11. & 8, 23. ceremoniæ nudæ absque pietate Deo non placent. c. 7, 3, 5, 6. — Ecclesia,

In Loco de SACRAMENTIS, Baptismus promittitur cap: 13, 1. — Sacramentis,

In Loco de JUSTIFICATIONE, ejus typus optimus habetur cap. 3, 3. 4. — Justificatione,

In Loco de CRUCE, quod hæc sit velut ignis probans aurum c. 13, 9. — Cruce,

Et PRECIBUS, cap: 8, 21. 22. quod Deus solus sit invocandus cap: 10, 1. 2. — Precibus,

In Loco de MAGISTRATU, quod malus Magistratus sit à Deo irato c. 11, 16, & graviter tandem puniatur c. 10, 3, & 11, 5. 8. 17. — Magistratu,

In

Morte, In Loco de MORTE, quod omnibus moriendum, c. 1, 5.

Extremo judicio, In Loco de EXTREMO JUDICIO, quod Christus crucifixus & transfossus, sit futurus judex c. 12, 10.

Vita æterna In Loco de VITA ÆTERNA, quod, qui in illam recipiantur, vivant inter angelos sanctos c. 3, 7. de quibus in sequenti commentatione, cum Deo, prolixiùs.

VII. Partes libri *Septimò* tandem videndum hic restat, *quænam* sint *partes hujus libri* majores, quæque earum cohærentia. Possunt autem hujus prophetiæ, præter inscriptionem, prophetis hisce minoribus solennem, & de qua jam sæpius, quæ habetur c. 1, v. 1. partes constitui *quatuor*, quarum:

Quatuor

I. Præfatio, I. Est communis totius *præfatio*: In ea est propositio, hortans ad resipiscentiam, ejusque confirmatio, argumenta, cur ea sit instituenda à persona Dei irascentis & punientis, & majorum punitorum desumens c. 1, v. 2. 3. 4. 5. 6.

II. Visionũ explicatio. II. Est *visionum* prophetæ oblatarum, seu typorum, in quibus Christi & capitis Ecclesiæ cura, quam pro hac gerit, & in ejus civibus defendendis, hostibus perdendis, putridisque membris ejiciendis declarat, *explicatio*, quæ quod novam concionem & prophetiæ hujus constituant partem, novum ostendit cap: 1, v. 7. positum exordium (sicut etjam cap: 7, v. 1. c. 9, v. 1, cap: 12, v. 1.) Continet verò visiones *novem*, in quibus à propheta, ut sint factæ, primò proponitur, deinde, quid velint, exponitur. Earum I. est viri insidentis equo rufo ac stantis inter myrtos, & simul aliorum equorum, terram ejus jussu perambulantium, proposita cap: 1, v. 8.

Quæ sunt novem.

I. expositа v. 9. & seqq. II. Est quatuor cornuum, proposita c. 2, v. 1.

II. expositа v. 2. III. Est quatuor fabrorum, proposita v. 3. expositа

III. v. 4. IV. Est viri, in cujus manu funiculus mensorius, quo dimetiebatur Jerosolymam, proposita v. 5. 6. expositа vers: 7. 9. V. Est Je-

IV. hosuæ sacerdotis maximi, proposita c. 3, v. 1. &c, expositа v. 8, 9,

V. 10. VI. Est lychnuchi aurei, cum suis ornamentis & duarum olearum, proposita cap: 4, v. 1, 2, 3. expositа v. 4. VII. Est voluminis

VI. volantis, proposita c. 5, 1. expositа v. 2, 3, 4. VIII. Ephæ progre-

VII. dientis, in qua massa plumbi & mulier, posteaque ab alijs duabus

VIII. mulie-

mulieribus sublatæ in altum, simul propositæ & expositæ v. 5. 6. &c.

IX. Est quatuor curruum & equorum variorum, propositæ c. 6. v. 1. 2. 3. expositæ autem sequentibus hujus capitis versiculis. Et hæc est secunda pars, nempè visionum de statu afflicto & liberatione sub Christo rege Ecclesiæ oblatarum explicatio: quam tamen si velis contrahere, potest id fieri hoc modo: partes ejus sunt tres I. Est visionum summa propositio c. 1. II. Modi, quem Deus hactenus in administratione sua tenuerat, ut promissiones suas præstaret, narratio. III. Consiliorum Dei, quæ ab eo tempore præstare cœpturus erat, enarratio, cujus duo sunt membra, prius de administratione Dei in Judæa, ubi de Dei erga suos beneficijs cap: 3. & 4. & de ejusdem contra immorigeros judicijs cap: 5. posterius de servandis electis è media Babylonia c. 6. vide notas Tremellij & Junij in c. 2. v. 10. & cap: 3. v. 11.

III. Pars, videlicet *institutionum*, in quibus civium regni Christi officium, quod illi vicissim, pro cura tam sollicitè à rege pro Ecclesia susceptâ, & hactenus descriptâ debet, κατ' ἄρσιν καὶ θέσιν depictum, *enarratio*, in qua est post exordium cap: 7. v. 1. populi quæstio de jejunio v. 2, 3. & prophetæ visio v. 4. Cujus duo membra: unum, thesis generalis, de pietate interna animi potius Deo declaranda, quàm ceremoniarum externarum studio, cui quod ipsi hactenus tantùm incubuerint v. 4. ut & ipsorum majores v. 8 reprehenditur: contra, quænam sit benevolentiæ divinæ erga Ecclesiam causa c. 8. v. 1. qui ejus erga morigeros affectus v. 9. 10, 11, 12. 13. & quodnam horum officium v. 16. 17. exponitur. Alterum est hypothesis, continens usum singularem ex generalibus hisce documentis deductum, atque ad quæstionem supra v. 2. c. 7. propositam responsionem.

IV. Pars est *prædictionum*, de rebus futuris *declaratio*, contenta duabus concionibus (id quod idem exordium seu inscriptio reperita innuit. cap: 9, 1. & 12, 1.) quas tamen ad unam hanc partem referimus propter materiæ, quam tractant cognationem, siquidem utrobique Ecclesiæ hostibus minatur internecionem, ejus verò civibus per Christum in carnem venturum & passurum, pollicetur liberationem ac salutem.

IX. Visionum brevior analysis.
I.
II.
III.
III. Institutionum enarratio
Thesis,
hypothesis.
IV. Prædictionum declaratio, ubi duæ conciones,

Prioris resolutio

Partes quatuor. I.

Prioris concionis, quæ cap: 9. 10. 11. comprehenditur, partes sunt quatuor: I. Est *prædictio* de hostibus Ecclesiæ frangendis, sub nomine eorum populorum, qui terram sanctam accolebant, proposita. Nam exitium denunciat Damascenis cap. 9. v. 1. regno Chamathæ, Tyro & Sidoni v. 2. 3. 4. atque etiam Philistæis v. 5. 6. 7. propterea quod sæpè Ecclesiam invaserunt v. 8. II. II. Est *hortatio* ad lætitiam propter adventum Christi v. 9. & gloriosæ constitutionis futuræ per eum descriptio v. 10. &c. quæ consistit in peccatorum per sanguinem Christi parta, ac ministerio verbi in Ecclesia singulis applicata remissione v. 11. 12. omnis potestatis adversantis Deo, ejusque filijs, eversione v. 13. 14. 15. omnisque boni cum Ecclesia communicatione v. 16. 17. III. Est *confirmatio* & exornatio locorum præcedentium per hortationem instituta. nam primis quinque versibus capitis v. 10. confirmat, quæ pro Ecclesiâ & contra ejus hostes dixerat: postea verò exornat illas promissiones, ita tamen ut complementum earum ad Christi regnum pertineat v. 6. IV. pars continet *judicium Dei horrendum* propter Christum repudiatum, ejusque Evangelium spretum c. 11. sub duplici allegoria, priori à Libano seu silva magnifica v. 1. 2. 3. posteriori à re pastoritia v. 4. &c. desumptâ. in illa judicium istud proponitur summatim, in hac exponitur minutatim cum suis causis, ubi tria membra Christi vocatio v. 4. 5. 6. ejus administratio v. 7. & judicij erga inobedientes executio v. 8.

III.

IV.

Posterioris partes tres

Posterioris concionis, quæ cap: 12. 13. 14. continetur, partes sunt tres: I. Est *exordium* ex natura operibusque Dei audientiam præstans c. 12. v. 1. II. Est *propositio prophetica*, de adversarios Ecclesiæ manentibus judicijs, sub allegoria triplici, prima, potionis soporiferæ, proposita v. 2. exposita v. 4. 5. secunda, lapidis conterentis v. 3. tertia, ignis invadentis ac consumentis v. 6. & in vera Ecclesiæ membra redundantibus beneficijs v. 7. 8. III. Est *enarratio* ejus propositionis uberior, ubi duo ejus membra ὑστερον πρότερον explicantur prolixius, prius de salute Ecclesiæ, posterius de ejus hostium perditione. In illo observanda sunt hæc, quibus declarantur rationes & modi, quibus bona ad vera Ecclesiæ membra deriventur: nempè vera resipiscentia animis piorum per spiritum Dei

I.

II.

III.

indita

indita c. 12. v. 9. 10. &c. peccatorum remissio c. 13, 1. Evangelij vindicatio, ut purè possit prædicari. v. 2. 3. 4. 5. 6. reliquiarum ad electionem pertinentium à turba impia separatio v. 7. 8. 9. Ejus ratio explicatur c. 14. v. 1. &c. In hoc posteriori membro, videlicet de judicijs Dei contra adversarios Ecclesiæ, sunt duo notanda: unum, eos, si fuerint obstinati, perditum, v. 12. &c. alterum, qui ex ijs fuerint obedientes Evangelio ad Ecclesiam aggregatum ac salvatum iri v. 16.

Summa horum.

Quæ omnia si quis velit in summam brevissimam contrahere, *videbit, describi* apud nostrum prophetam, *administrationem præteritam* in captivitate Babylonica, *præsentem* in sancta terra, dum opus ædificationis templi & restaurationis Reipub. urgetur, & *futuram* cum temporibus Maccabæorum & subsequentibus, quâ Deus usus est in Ecclesiam Judæorum usq; dum regnum Christi in gentes propagatum est Evangelio, tum etiam quædam longè post eventura prænunciat. *Danæus* ita super his sentit: Duæ sunt hujus prophetiæ partes: prior, qua status Judaici populi seu Ecclesiæ Dei à tempore Zachariæ usque ad sævitiam regum Syriæ, & inprimis Antiochorum imperium in Judæos describitur usque ad c. 11. posterior, quid ab eo tempore usq; ad eversam Jerosolymam eventurum sit Judæis à cap. 11. usque ad finem. In utraq; parte sunt minæ, quarum quædam ad Ecclesiam ipsam, quædam ad ejus hostes pertinent; & promissiones, quarum quædam peculiariter ad Judæos, quædam ad universam Dei Ecclesiam ex quacunq; gente quocunq; tempore collectam spectant &c. In quibus ut posteriorem observationem probamus, ita priorem divisionem rejicimus: quibus causis permoti, ex sequentibus, cum Deo, constabit: nunc ad prophetiam ipsam accedamus.

Minæ, promissiones.

CAPUT I.

Argumentum.

Summa.

UT tantô melius dulcescant postea Evangelicæ promissiones, ab amarâ concione legali pro-

propheta incipit, & priusquam infundat mite consolationis oleum, acerbo reprehensionis vino vulnera auditorum eluit, graviterq; primùm Judæos hortatur, ut agant pœnitentiam, ne, si patres suos impœnitentes imitati fuerint, similiter quoq; puniantur, cum Dei verbum mala comminantis omnibus immorigeris, omninò perficiatur. Deinde unâ visione equitis stantis inter myrtos, ejusque satellitij hinc inde terram obambulantis providentiam Dei infinitam, Christique curam, quam pro Ecclesia suscipit, figurat.

Analysis popularis. partes 1. 2. 3.

Partes capitis (popularem dividendi rationem si quis velit sequi) possunt constitui *tres*: Earum I. continebit προλεγόμενα. II. Exhortationem ad pœnitentiam. III. Visionem de equite inter myrtos consistente, quæ visio eò spectat, ut absq; pavore Judæi in ædificatione pergant, cum Deus adeò sollicitè pro illis excubet.

accuratior, Partes tres I. Inscriptio. II. Præfatio, hujus duo membra, propositio, & exornatio.

Nos paulò accuratiùs singula rimantes, *partes* capitis hujus faciemus etiam *tres*: Earum I. Est generalis totius *libri inscriptio*, in qua exprimuntur tempus, quo; autor primarius, à quo; & secundarius seu minister, per quem; ac modus, quo visiones & prædictiones sequentes sunt revelatæ, & ad alios relatæ vers. 1. II. Est quædam *totius libri præfatio*, vel potius egregia auditorum ad tantò libentius ac promptius acceptandas sequentes visiones præparatio, cujus duo sunt membra, propositio hortans ad pœnitentiam seriam, constans hoc Enthymemate: vestris majoribus & vobis ipsis Deus est graviter iratus vers. 2. E. revertimini ad Deum, ut vobis placetur vers. 3. Antecedens minas, consequens promissiones continet: & exornatio, in qua Dei interdictum ἀντιθέτον, & factum majorum contrarium vers. 4. per experimentum horum vers. 5. & propriam ipso-

ipsorum confessionem ab invitis extortam vers. 6. III. Est *visio prima*, eaq; proleptica, continens summam visionum ac prædictionum sequentium, quæ est & habet, quid Christus cum & pro sua Ecclesia agat, ejus cives protegendo, ac hostes perdendo Habet autem duo præter exordium v. 7. membra præcipua, quorum prius Christum ipsum regem sub specie viri insidentis equo rufo, stantisq; inter myrtos, hoc est, inter pios habitantis, ejusq; ministros angelos, sub specie equorum varij coloris, id est, omnia ejus jussa prompte exequentes depingit vers. 8. & postea per dialogum â propheta Christoq; ipso institutum exponit v. 9. 10. 11. Posterius. (quum hactenus explicatus sit typus administrationis Christi, quando adhuc Judæi detinebantur in Babylonia captivi, id quod illud membrum innuit. vers. 8. quod myrti fuerint in profundo) præsentem rerum statum exponit, videlicet quod Deus jam ab ira sua destiterit adductus ad misericordiam, ubi tria notanda, I. illius misericordiæ causa & provocatio, nempe filij Dei apud patrem intercessio vers. 12. II. hujus prophetæ peculiariter ac privatim facta declaratio vers. 13. & huic porrò injuncta publicè facienda ad alios prædicatio vers. 14. III. ejusdem per partes explanatio pro diversitate hominum instituta. Nam si Deus misertus est Ecclesiæ, necesse est, ut oderit illius hostes vers. 15. & amet ejus cives, ijsque benedicat cùm corporaliter v. 16. tum spiritualiter v. 17.

Summa igitur hujus capitis breviter ita potest colligi: Resipiscentibus ex animo Deus semper bene vult & facit. E. vos resipiscite vers. 3. sic enim de vobis & afflictis sollicitam curam suscipiet, perq; angelos proteget vers. 8. &c. vos bonis verbis solabitur vers. 13. ac amabit vers. 14. 16. 17. hostes autem aversabitur ac consummabit v. 15.

III. Prima Visio

hujus duo membra, prius regem,

Posterius præsentẽ rerum statũ proponit, ubi tria 1. 2. 3.

Resipiscite.

PARS PRIMA.

Vers. 1.] Cum ad prophetiæ ostendendam certitudinem & usum, vide supra Soph. 1, 1. Hagg. 1, 1. tum ad Dei curam ac benevolentiam declarandam, qua utitur erga suam Ecclesiam, tempus, quo visiones has accepit, diligenter annotat Zacharias, siquidem inde apparet liquidò, quod ad populum suum tantò melius instruendum, tantoq; firmius erigendum, eodem tempore duos prophetas miserit, quandoquidem cum Haggæus mense sexto, anno secundo Darij vaticinari cœpisset, secundo mense post eum est insecutus hic noster propheta Hagg. 1, 1. Esd. 5. 1. Nam *mense octavo*, qui maximam partem respondet nostro Octobri (siquidem menses anni sacri, non civilis, apud nostrum prophetam intelliguntur, ut satis dilucidè se explicat inf. vers. 7. ad quam rem vide, quæ habet Junius ad cap. 12. Exod. vers. 2. Calvis. in Isagoge Chronolog. cap. 5.) *anno secundo Darij*, Nothi puta, quemadmodum dictum est Hagg. 1, 1. *fuit verbum Jehovæ* & extraordinaria vocatio ad munus propheticum, *ad Zachariam, filium Barachiæ, filium Hiddonis, prophetam* hac vocatione factum, cum antea non esset, non tantùm visiones offerendo, sed etiam easdem declarando & *dicendo*. In quibus verbis habetur temporis notatio, muneris q; & generis prophetæ declaratio, de quibus cùm suprà in προλεγομένοις fuit dictum, hîc prolixiori commentatione supersedebimus, si tantùm illud indicaverimus, errare eos, qui avum nostri prophetæ Hiddonem confundunt cum alio, cui idem nomen, præter alia duo cognata, ut patet ex collatione horum locorum 2. Chron. 12, 15. &

Cur tempus annotetur.

Avus nostri prophetæ non est Oded.

15. & 9, 29. & 15, 8. quiq; vixit tempore Salomonis & Rechabami filij ejus.

Ut enim taceam, tum quod hic non tantum עִדּוֹ 2. Chron. 12, 15. sed etiam יֶעְדּוֹ 2. Chron. 9, 29. & עוֹדֵד 2. Chron. 15, 8. appellatur, quod de nostri prophetæ avo probari non potest, tum quod nec illud sit probabile, avum nostri Zachariæ fuisse prophetam (sine dubio enim hoc fuisset apud Zachariam adjectum) cùm tamen de illo priùs vivente expressè id affirmetur in locis allegatis, temporum ratio non quadrabit satis, siquidem anni intercesserunt quingenti, quomodo nostri prophetæ avus ille propheta Jehdo esse haud poterit.

Ratio 1.

2.

3.

LOCI COMMUNES.

Ex versu 1.]

I. Quæ de autore sacræ scripturæ, de verbi divini autoritate, perspicuitate, perfectione &c. de prophetarum omniumq; verbi divini ministrorum vocatione ac officio ex hac solenni prophetiarum inscriptione tractari solent & debent, illa quia jam sæpius, & pro instituti nostri ratione satis prolixè sunt explicata, hic repetere cum tædio, quum ex prioribus commentationibus illa huc transferre liceat, non libet.

Loci doctrinæ ex Inscriptione notandi ubi habeantur.

II. *Mense octavo, anno secundo Darij*] Temporis notatio, quæ indicat, eodem ferme tempore duos simul missos esse prophetas, Dei bonitatem nobis declarat, qui prophetæ Haggæo hunc Zachariam collegam adjungere voluit, ut hîc etiam obtineret illud apud græcos πολυθρύλλητον Iliad, κ.

Duos simul

Σύντε

cur mittat Deus.

Σύν τε δύ' ἐρχομένω καί τε πρὸ ὁ τοῦ ἐνόησε
Ὅππως κέρδος ἔῃ. μοῦνος δ' εἴπέρ τε νοήσῃ,
Ἀλλά τε οἱ βράσσωντε νόος, λεπτὴ δέ τε μῆτις.

idq; tum doctorum ipsorum, qui, cum habent laborum periculorumq; socios, illorum ope consilio & exemplo sublevantur, tum auditorum causa, qui in plurium consensu evidentius habent veritatis testimonium, & minus, si ipsis non crediderint, effugij aut prætextus, juxta illud, in ore duorum aut trium testium stata res esto Num. 35, 30. Deut. 17, 6. & 19, 15. Johan. 8, 17. 2. Corinth. 13, 1. Hebr. 10, 28. Sic Deus Mosi Aaronem Exod. 4, 14. Eliæ Elisæum 1. Reg. 19, 16. Esaiæ Hoseam & Amos Esa. 1, 1. Hos. 1, 1. Petro Johannem Actor. 3, 1. & 8, 14. Paulo Barnabam Actor. 13, 2. & postea Silam Actor. 15, 40. collegam esse voluit, eamq; ob causam etiam Christus non singulos, sed binos emisit apostolos Marc. 6, 7.

quod exemplis probatur.

Multi id non agnoscunt.

Eandem Dei bonitatem hodie etiamnum agnoscere oportebat Ecclesiæ Christi ministros in urbibus & oppidis, quibus Deus collegas adjungere voluit: verùm, proh dolor, quæ officij laborumq; participatio ad animorum conjunctionem & concordiam facere debebat, plerumq; ansa est, inprimis in oppidulis nonnullis (ubi, qui levitatem illorum impotentium vitiligatorum compescat, non statim adest) ut lites, discordia & jurgia oriantur, & ipsi duo pastores

Horat. l. 1. epist. 3.

in Christo fratres studia in contraria currant
quibus meritò illud poëtæ profani occinas, at vos
Seu calidus sanguis, seu rerum inscitia vexat,

Indo-

Indomitâ cervice feros, ubicunq; locorum,
Vivitis, indigni fraternum rumpere fœdus.

vel, si mavis illud regij prophetæ Psal. 133, 1. Ecce quam bonum & quàm jucundum, habitare fratres unà &c. Sed ut rem sacra quadam παραβολῇ explicemus, veluti quondam Simsonis vulpes, inter quas erat ardens facula, currentes caudis conjunctæ, capitibus aversis segetes incendebant Judic. 15, 4. 5. sic isti similes dignitate & officio, dissimiles verò ingenio, messes, quæ Christo in horreum erant convehendæ ipsorum operâ, incendunt, animosq; auditorum, quos Deo consecrare debebant, profanos reddunt, dum suis illis frivolis contentionibus sunt maximo offendiculo. Verum sciant istæ vulpeculæ, quod Christus Ecclesiæ sponsus, quam ipse divino suo preciosè redemit sanguine Actor. 20, 28. eas corrumpentes vineam Domini comprehendi jubeat Cant. 2, 15. & quondam in ignem æternum conjiciendas curaturus sit, eò quod illæ malæ vulpes per Sionem, vastantes eam, iverint liberè Thren. 5, 18. quemadmodum mali prophetæ expressè vulpibus euntibus per vastitates, comparantur Ezech. 13, 4.

Vulpibus Simsonis similes duo contentiosi collegæ.

III. *Ad Zachariam filium Barachiæ, filij Hiddonis*] Nominum propriorum ἐτυμολογίαι, eorumq; explicationes anagogicæ, indicant, quod verus verbi divini præco, esse debeat Zacharias, hoc est, memor Domini, & passivè is, cujus Deus gratiosè meminerit, eumq; ad hoc officium vocaverit, donisq; necessarijs instruxerit; & activè is, qui postquam vocatus est, semper Dei memor sit, ejusq; verbi, diligenter id legendo, scrutando, & in vita exprimendo, alijsq; idipsum sedulo inculcando, ut & ipsi semper Dei colant memoriam. Sic erit verè filius Barachiæ, hoc est, Bene-

Minister verbi sit Zacharias

filius Barachiæ,

Benedicti à Deo, seu Christi, cui pater dedit omnes benedictiones, quas conferat hominibus, mittendo apostolos. Erit deniq; nepos Iddo, hoc est, Firmici, Constantis, seu Statij, cui nil quicquam possit nocere, aut eum de sua felitate deturbare, sed stabilis erit super petram Christum in perpetuum Marth. 16, 18. & 7, 24. 25. Sed, proh dolor, contrà hodie aliquando est nonnemo ex ministris verbi ipse pro זְכַרְיָה, שְׁכַחְיָה, i. e. oblitus Dei, Gottsvergessen: proq; eo quod filius בֶּרֶכְיָה esse debebat, est filius כֶּרֶחְיָה i. e. qui aufugit à Deo & confugit ad mundum, & diabolum cum Dema 2. Timoth. 4, 10. & Jona, antequam à Deo revocaretur inviam Jon. 1, 3. 10. filij נָדוֹ, hoc est, inconstantis, labilis ac fugacis, qui describitur Johan. 10, 12, 13. quem oportebat esse filium עִדּוֹ, ut dictum est.

nepos Iddo.

Contrariũ aliquando videas.

PARS SECUNDA.

Vers. 2] Absolutâ libri Inscriptione, sequitur gravis quædam velut præfatio, auditorumque ad sequentia rectiùs percipienda præparatio, nempe hortatio ad resipiscetiam, cujus est summa: Deus ob peccata cum alia, tum præcipuè ob idololatriam, cultumque sibi debitum neglectum vestris majoribus valde iratus fuit, atque ita ut eos propterea ex sedibus hisce avitis excusserit, & per septuaginta annos in exilio afflixerit juxta comminationes à prophetis propositas, sed à populo spretas, &, quod majus est, propter eandem populi sui inobædientiam Deus passus est templum suum magnificum dirui, & in cineres redigi, ad indicandam detestationem eorum peccatorum, quæ in illo erant admissa. Jam verò, cum Deus ille semper unus & idem sit, neq; ullo modo mutetur, tum quod ad essentiam, tum quod

Hortatio ad pœnitentiam.

Deus non mutatur.

quod ad voluntatem, etiam vos ijsdem, aut alijs plagis afficiet, si vos in ijsdem flagitijs hærere inveniet. Quapropter eorum exemplis edocti resipiscite, ne eandem Dei manum, quam senserunt ipsi, experiamini. *Efferbuit Jehova contra patres vestros*, & quidem gravissimè, in textu est, *fervente irâ*. Ubi notanda & hebræa phrasis, quâ verbum intransitivum regit nomen conjugatum in casu accusativo propter αὔξησιν & vehementiam declarandam: Vide Buxt: thes. pag. 439. 440. 441. & verbi hebræi ἔμφασις. קָצַף enim significat ita irasci, ut propterea os, more irritati & deprælliantis alicujus verris spumare incipiat, quod non fit, nisi quando homo planè magnam est commotus ad iram, in qua sibi ipsi temperare haud possit, quia קֶצֶף spumam significat Hos. 10, 7. quod tamen hoc loco de Deo ἀνθρωποπαθῶς & more humano dictum, θεῶς & divino modo, ratione effectus, accipiendum esse monemus.

irascitur peccantibus.

Verbum regit nomen conjugatum.

קָצַף

קֶצֶף

Vers. 3.] Verum quis est pius exemplorum in scripturis observatorum, vel in concionibus addoctorum usus? Hic scilicet, ut auditores periculum ex alijs faciant, sibi quid ex usu sit: & propterea Zacharias majoribus inflictas pœnas hic repetere jubetur, ut posteri eas maturè devitent, seriâ ad Deum conversi resipiscentiâ quâ Dei potest placari ira. Jer. 18, 8. *Quamobrem* (inquit Deus) cum ista unica pœnas imminentes effugiendi tantùm restet via, *edices istis*, Judæis ex captivitate Babylonica reducibus, *sic ait Jehova* Dominus *exercituum* (quod non tantùm in hoc uno versu ter, sed infra sæpius noster propheta, itidem ut Haggæus, repetit, & sedulò inculcat, cùm ut suis concionibus authoritatem conciliet, dum illum Dominum exercituum rerumque omnium imperatorem summum esse etiam hostium

Exemplorum usus.

Jehova Dominus exercituũ, cur toties repetatur.

populi Judaici dominum audiunt Judæi, ne illorum felicitate offensi moveantur, ac à pietate deficiant, quoniam intelligunt, non esse, nisi unicum hunc verum Deum, à quo sit & illorum status secundus [mundanum si attendas judicium] & ipsorum adversus, tum ut tantò magis autoritate hujus domini ter optimi maximi securos excitet, consternatosq; erigat, eò quod & illis meritò terrori esse debeat ejus immensa potentia, & his solatio ejusdem infinita clementia) vos Judæi, qui hactenus cum maximis conflictati estis malis, quum Deo quasi tergum obvertistis præfracti, nunc tanquam in speculum, historias anteactas, inspicite, indeq; vestram vitam moresq; componite, *revertimini ad me, dictum* est ipsius *Jehovæ*, domini *exercituum*, revertimini, qui hactenus à me abijstis, in cujus conspectu semper stare, meosq; nutus observare vos oportebat, revertimini horsum ad dominum vestrum conversâ facie, dolentes de prioribus peccatis ex toto corde, & prorsus priores vias pravas relinquite, id quod hoc loco omninò subintelligendum esse patet ex eo, quod ad concionem Haggæi resipiscere jam cœperant. Facite, quod jubeo, feceritis certè maximo vestro bono. Nam si vos reversi fueritis ad me, *etiam* ego *revertar ad vos*, reconciliatus vobis adero, vobisq; benedicam Mich. 7, 19. in gratiam recipiam, multisq; beneficijs afficiam, *ait Jehova dominus exercituum*, quæ est prima ratio hortationis, quod Deus pœnitentiam agentibus benefaciat.

Revertuntur ad Deum homines,

Deus revertitur ad eos.

Vers. 4.] Secunda ratio sequentibus verbis continetur, estq; à contrario desumpta, quod scilicet impœnitentibus malefaciat, & contra eos graviter irâ exardescat Sup. v. 2. *Ne* igitur vos *sitis similes majoribus vestris*, de quibus

2. Chron.

2. Chron. 36, 15. 16. quos non leviter aut perfunctoriè ad pœnitentiam invitarunt, sed graviter & sedulò *ijs proclamaverunt prophetæ priores* itidem, ut ego jam vos monui, *dicendo: Sic ait Iehova* Dominus *exercituum, revertimini jam à vijs vestris pessimis, &*, id est, *ab actionibus vestris pessimis.* Sed, quemadmodum ex hac invitatione apparet Dei bonitas, ita ex effectu constat de hominum invitatorum malitia, frustra plerunq; Deus per prophetas illa proclamat, quia vix est, qui se convertere amat, de qua pertinacia Deus ipse ita conqueritur: *Non auscultarunt, neq; attenderunt ad me* loquentem per prophetas, meæq; voci noluerunt obedire, *dictum Iehovæ.*

Deus invitat ad pœnitentiam,

homines non obediunt,

Vers. 5.] Veruntamen an impunè illud abstulerunt? Non ita, tandem malum sæpius denunciatum ad ipsos pertigit, & pleriq; in suis peccatis sunt mortui, idq; ut tantò magis urgeat, ac rem q. oculis subjiciat, interrogationem adhibet rhetoricam. *Majores vestri* ita nequiter viventes, deq; pœnitentia non solliciti, *ubinam sunt?* annon fatis suis concesserunt? ita scilicet, viderunt utiq;, verba Dei tandem ad rem conferri. Sed ne dicant jam reprehensi illi, quid tu nobis objicis infelicem exitum nostrorum patrum, & hoc velut magnum quoddam malum exaggeras, quod fecerunt, ipsis quod faciundum fuerat, *an prophetæ* ipsi, qui eos increpuerunt, *vixerunt in seculum?* ubi sunt & illi? Mortui utiq; & ipsi cum auditoribus.

mortalitatis suæ parum memores.

Vers. 6.] Hîc verò cum potuisset Deus mortis impiorum auditorum, & piorum doctorum differentiam declarare, & ostendere, quomodo illi in æternos cruciatus præcipitati, hi in æterna gaudia sublati sint per mortem temporalem, sicco pede hoc transiens de prophetarum persona

Differentia mortis piorum & impiorum,

nihil dicens, officium tantùm extollit, ejusq; stabilitatem deprædicat hoc modo. Concedo equidem, quod mortui sint simul majores vestri & prophetæ, licet valdè magno cum discrimine: veruntamen verba mea per hos meo nomine ad majores vestros relata nõ itidem sunt mortua, quia certè completa sunt ac vixerunt, & in majoribus vestris effectum suum consequuta sunt, adeò ut ipsi viventes videntesq; coacti sint agnoscere stabilitatem verborum meorum, etiam sublatis prophetis meis, qui ea denunciaverant. Esto, tandem morti obnoxios à prædicatione cessare prophetas, tamen nihilominus verbum Dei æterni, uti prædictum fuerat, evenit, verumq; apparet ex eventu, etiam illis, qui antea ei fidem derogaverant. Quapropter cum vobis iterum per prophetas hosce duos Haggæum & Zachariam jam loquor, credite mihi, verba, quæ per mortales homines dicuntur, non fore moritura & evanida. Atque ita ex eventu rei Deus demonstrat, non esse eandem conditionem majorum & prophetarum, quia, quod hi prædixerunt, tandem apparuit, id quod ipsi suo malo experti tandem confessi sunt. Ita enim habet Dei ad frivolam illam Judæorum objectionem, *etiam prophetæ non vivunt in seculum*, responsio, in qua notanda duo, prius, à Deo veraci præfractis immissa oppressio, posterius patrum afflictorum confessio, deq; veritate Dei vel ab invitis extorta attestatio. *Veruntatem verba mea* (inquit Deus) seu promissiones & statuta mea, seu decreta & comminationes Thren. 1, 18. & 2, 17. *quæ præceperam servis meis prophetis*, nonne (quoniam

rarò antecedentem scelestum
deseruit pede pœna claudo)

Verba Dei vivunt.

Deus punit.

è vesti-

& vestigio insecuta malos tandem apprehenderunt & assecuta sunt majores vestros, nonne id evenit, quod comminatus sum? omninò, (nam talem responsionem affirmativam ista negativa interrogatio Rhetorica continet) atque adeò, *ut reversi ad se* & me *dixerint* apud se cogitando, apud alios enarrando, tum ut posteros de verbi divini immota veritate admonerent, tum ut Deum justum esse in suis judicijs declararent: dixerint autem, ut Daniel ipse, c. 9, 5, 7. ejusque socij cap. 3, 28. 29. 30. 31, 32. quos alij proculdubio sunt imitati: *Quemadmodum cogitaverat Iehova* Dominus *Exercituum facere nobis secundum vias nostras, &*, id est, *secundum actiones nostras*, idque jure optimo, *ita egit nobiscum*, quia peccavimus cum majoribus nostris, iniquè fecimus, improbè egimus Psal. 106, 5.

LOCI COMMUNES.

Ex versu 2.]

1. Efferbuit Iehova contra patres vestros] Præterquam quod hîc aptus sit dicendi locus de Dei justitia, quæ non potest non irasci obstinatè peccantibus, eosque punire; item de Exemplis majorum, vel eorum omnium, quotquot ante nos vixerunt, & vel ob pietatem Dei benedictiones, vel ob impietatem ejusdem maledictiones experti sunt, ut latè in V. T. describitur, nobis in memoriam revocandis, & inde nostris vijs efformandis, ut Christus Luc. 17. & Paulus 1. Corinth. 10. & alibi ostendunt, quemadmodum & supra aliquoties ostensum est prolixius, id tantùm hic notetur, *primum* quod Deus suo populo peculiariter à se ex mundo delecto, & præ eo dilecto non parcat, quando ipse fœdus cum eo initum nefariè violat, ac spirituale commit-

Usus exemplorum.

Deus suo populo nõ parcit,

tit a-

tit adulterium, qua de re Jerem. 2. Ezech. 16. Roman. 11. sicut testatur exemplum Judæorum in deserto prostratorum Num. 26, 65. tempore Judicum toties propter peccata oppressorum, ut in libro Judicum hinc inde legere est, & postea in captivitatem Assyriacam & Babylonicam abductorum 2. Reg. 17. 24. 25. capp. ac deniq; à Tito Vespasiano planè vastatorum Luc. 19, 43. 44. Non enim ita Deus populum quendam absolutè eligit, ut quomodocunq; se erga suum Deum gerat, tamen sit in gratia & non abijciatur. Contrarium enim testantur tot severæ comminationes Levit. 26, à vers. 14. Deut. 28, à vers. 15. & tot exempla Ecclesiarum, quando pietatem colebant, amatarum, quando ad impietatem se convertebant, abjectarum. Vide saltem Ecclesias ab Apostolis, & in primis Paulo, plantatas, de quibus passim in Actis Apostolicis, quibus adde gravem exhortationem Hiskiæ Regis pijssimi, quæ extat 2. Chron. 29, 5. 6. Non autem sufficit gloriari de templo Dei & cultu externo, si non internus ornatus fidei accesserit Jer. 7, 3. 4. Matth. 23. quæ pleraque optimè ad nostra possunt accommodari tempora, ubi post reformationem operâ Lutheri b. m. peractam & Evangelij omniq; verbi ac consilij Dei revelationem manifestam pietas est in multis premere eos frustra templi subsellia Psalm 50, 16. Es. 1, 12. quorum cor exemplo Simonis Magi occalluit in malitia Act. 8, 21. 23. & dicere saltem, Domine, Domine, ac non facere voluntatem patris cœlestis, summa est religio Matth. 7, 21. quibus meritò occinas illud Jacobi cap. 1. vers. 22. Effecto res estote sermonis & non auditores solùm, falsò ratiocinando fallentes vos ipsos (παραλογιζόμενοι ἑαυτούς) quibus adde illum delectum Ecclesiarum quem Christus instituit in Apocalypsi cap. 2, & 3.

quando peccat.

Deinde

Deinde etiam hîc obſervetur, nihil eſſe utilius, quàm rebus proſperis cogitare de adverſis, quas aut alij ſunt experti, aut nos ipſi ſumus perpeſſi, aut etiam, quæ deinceps impendent. Sic enim malorum meminiſſe, non ſinet porrò in mala incidere. hinc toties illud inculcatur MEMENTO vel MEMENTOTE, CAVETE, Deut. 5, 15. & 24, 8. 9. 18. & 32, 7. Pſal. 105, 5. Eccleſ. 12, 1. Syr. 18, 25. 26. & 41. 5. Deut. 11, 3. 16. & 15, 9. Tob. 4, 13. 16, 20.

Rebus ſecundis cogitandum de adverſis.

Ex verſu 3.]

I. *Edices iſtis, ſic ait Jehova*) Quia Deus & prophetam jubet, & ipſe juſſus profert legalem Concionem, docemur, legem omninò eſſe docendam in Eccleſia, quod eſt notandum contra Antinomos, qui ne dicant, in V. T. tantùm eam obtinuiſſe, age oſtendito, quomodo in N. T. Johannes Baptiſta, Chriſtus ipſe, ejusq; Apoſtoli legem ſedulò inculcaverint Matth. 3, 7. 8. 9. 10. c. 5, 21. & 22, 37. 39. Rom. 13, 9. Epheſ. 6, 2.

Lex docenda eſt.

II. *Revertimini ad me ex toto corde*) Pœnitentia vera eſt converſio. Vide in Joelem cap. 2, v. 12. Illi enim verè tantùm reſipiſcunt, qui peccata non tantùm oderunt ac deflent, verum etiam ab ijs deſiſtunt, ac ab illis averſi ad Deum, veramq; pietatem ſe convertunt, juxta illud, deſiſte à malo & fac bonum Pſal. 34, 15. & hoc vult adjecta particula, Ex toto corde, ſicut aliàs dicit Dominus, עָדַי uſq; ad me. vide Matth. 3, 8. Act. 8, 22. Apoc. 2, 9. quod qui non fecerint, coronam non reportant, quippe qui curſum non conſummant 2. Tim. 4, 7. 1. Cor. 9, 24. 25.

Vera reſipiſcentia.

Deinde etiam, quando audimus, hoc illis dici, qui jam ad Deum ſe converterant, cùm ab eo ex captivitate

Pœnitentia sanctium.

erant liberati, & per Haggæum prophetam excitati, discimus, etiam illis de seriâ pœnitentiâ cogitandum esse quotidiè, qui à Deo ex captivitate Diaboli sunt liberati, & ex malis evaserunt, Deo utentes propitio, ne in securitatem incidentes, denuò fallantur, quasi Deus porrò peccantibus irasci nesciat Apoc. 22, 11.

Ex vers. 4. J.

Patres nō semper imitandi.

I. *Ne sitis similes majoribus vestris*) Non semper imitandi sunt patres, sed tum demum, quando ipsi secuti sunt Dei leges Psal. 78, 8. 9. Jer. 9. 14. Matth. 23, 30. Luc. 11, 47. 48. quod est contra Pontificios tenendum, qui traditiones patrum crepant, & majorum suorum vestigia tantùm observant, non attendentes, quàm benè illa juxta præscriptum verbi divini signata & pressa. Vide quædam in hanc sententiam in Amos 2, 4. L. C. 6. Etiam hîc iterum tenendum, quis pius Historiarum veterum usus, nempè ut discamus, nobis quid ex usu sit, sicut in psalmis pluribus ostenditur 44. 74. 78. 83. 89. 95. 105. 106.

Usus exemplorum.

II. *Quibus proclamaverant prophetæ*) Quia Prophetæ non timidè sua protulerunt, neq; muliercularum more garriverunt futiliter, sed graviter & viriliter proclamaverunt, docemur, ita hodiè etiamnum nostris convenire verbi ministris, ut autoritatem suam conservent docendo μὴ πάσης ἀπαιγῆς Tit. 2, 15, ἀποτόμως Tit. 1, 13. ὡς ἐξουσίαν ἔχοντες Matth. 7, 29. Marc. 1, 22. in quem locum vide quæso quæ habet Lutherus in margine, & intelliges in quàm paucis hodiè sit ille ardor ac spiritus in docendo requisitus, cùm plerique non cogitent, sibi dictum, Exclama Esa. 58, 1. & 40, 6. inf. 14. se non esse vocem clamantis Esa. 40, 3. more præconis, qui propriè dicitur κηρύσσειν Marc. 16, 15. ut fecit ipse Chri-

Præcones verbi cum autoritate docent,

more præconum.

Christus Matth. 4, 17. Johannes Baptista Marc. 1, 4. & alij τῇ ἀπουδῇ μὴ ὀκνηροὶ, τῷ πνεύματι ζέοντες Rom. 12, 11. tepidos autem Deus ex ore suo evomet Apoc. 3, 15. 16.

III. *Sic ait Jehova*] Per ministros verbi Deus ipse loquitur Luc. 10, 16. Joh. 13, 20. & 14, 24. & rogat, ut homines cum ipso redeant in gratiam 2. Cor. 5, 20. 2. Thess. 3, 12. imò pulsat cordis januam Apoc. 3, 20. *Deus per ipsos loquitur.*

IV. *Non auscultaverunt*] Ne videatur tibi mirum aut novum, si non semper omnes, quibus prædicas, convertis. Neq; enim Christus ipse, neq; Prophetæ, neq; Apostoli hoc potuerunt, cum auditores media à Deo ordinata respuerunt. tu tantùm *Non convertuntur omnes auditores.*

Fac tua, quæ tua sunt, commendes cetera Jovæ,
Nam labor officij nullus inanis erit.

vide Johan. 6, 66. Luc. 8, 5. Joh. 8, 37. Act. 2, 12. 13. 41. & 13, 43. 45.

Ex vers. 5.]

I. *Majores vestri ubinam sunt?*] Mortalitatis nostræ semper memores, non ità facilè peccabimus Sir. 7, 40. Nam si annos multos vivens homo in eis lætetur, attamen recordari eum oportet dies tenebrarum seu mortis Eccles. 11, 8. siquidem Deus ex terra creavit hominem, & rursus in eam convertit ipsum Sir. 17, 1. 2. & qui Rex est hodiè, cras fortè moriturus est, & mortuo homine, hæres serpentum ac vermium futurus est c. 10, 11. 12. Verum quia non facilè illud animo nostro subit, nos ipsi nobis quotidiè acclamemus illud regis Macedonum, Philippe, homo es, cum surgimus cubitu, personent nostræ aures illa voce, surgite mortui, venite ad judicium: cùm imus cubitum & dormitum, de morte, cujus imago est somnus, cum D. Hiero- *Vive memor lethi.*

Deum noga felicẽ hujus vitæ exitum.

nymo jugiter cogitemus, & rogemus, Deus illuminet nostros oculos, ne dormiamus dormitationem mortis æternæ Psal. 13, 4. & cum eodem Davide porrò suspiremus, Domine, quia tu redigis hominem eò usq; , ut sit planè contritus ac à vermibus corrosus, quando dixisti, revertimini ad me filij hominum, corpore in terram, animo ad me Deum. Psal. 90, 3. numerare dies nostros ità doce nos, ut induamus animum sapientem ibid. v. 12. cum eodem Davide ita nos comparemus, ut dicere singulis momentis queamus: animadvertam viâ integrâ, quando venturus sis ad me, & me ex hac vita ad te recepturus Psal. 101, 2. hoc est, semper attendam ad finem meum, ut cautè ac religiosè ambulem.

Ex eventibus non judicandũ.

II. *Et prophetæ ipsi*] Duo cum patiuntur idem, non est idem, non quod diversa res sit, sed quod illi, qui patiuntur. Ita non est judicandum de hominis pietate vel impietate interna, ex fortuna ejus secunda vel adversa externa, multò minus ex fidelium verbi divini ministrorum persecutione, alijsq; calamitatibus, judicandum est de doctrinæ puritate, siquidem in his terris, occulto, sed non injusto, Dei judicio, plerumq; feliciter agunt improbi Psal. 37. 73. Job. 21. Jer. 12. & infeliciter sæpè degunt pij, & quò quis in officio suo sancto fidelior, tantò Diaboli, mundiq; furor contra eum est acrior, ut prophetarum, Christi, Apostolorum, martyrumq; exempla testantur. Verum post hanc vitam demum mutatio fiet, & benè erit bonis, malis malè, qua de re alibi prolixiùs. Nunc longè elegantissimam *Augustini* sententiam ex lib. 1. C. D. cap. 8. libet subjungere. Quandocunq; boni maliq; pariter afflicti sunt, non ideo isti distincti non sunt, quod distinctum non est, quod

Bonis malè, malis benè.

Augustini elegans dictum.

quod utriq; perpessi sunt. manet enim dissimilitudo passorum etiam in similitudine passionum: & licet sub eodem tormento, non est idem virtus & vitium. Nam sicut sub uno igne, aurum rutilat & palea fumat, & sub eadem tribula stipulæ comminuuntur, frumenta purgantur, nec ideo cum oleo amurca confunditur, quod eodem preli pondere exprimitur. ita una eademq; vis irruens bonos probat, purificat, eliquat, malos damnat, vastat & exterminat. Unde in eadem afflictione mali Deum detestantur atq; blasphemant, boni autem precantur & laudant. Tantum interest, non qualia, sed qualis quisq; patiatur. Nam pari motu exagitatum exhalat horribiliter cœnum & suaviter fragrat unguentum.

Ex vers. 6.]

I. *Verba mea nonne assecuta sunt?*] Dei verbum semper existit tam in minis, quàm promissionibus. Ipse enim non mutatur, neq; mentitur, dixit & facta sunt Mal. 3, 6. Tit. 1, 2. Heb. 6, 18. & 10, 23. Psal. 148, 5. ut meritò de ipso usurpare possis illud Græcorum, ῥεχθὲν πραχθὲν, ἅμ' ἔπος, ἅμ' ἔργον, id quod illic ad ἐπανόρθωσιν, hîc ad παράκλησιν valet plurimum, illîc ut mala caveamus, hîc ut bona speremus. *Dixit, & facta sunt.*

II. *Adeò ut reversi dixerint*] Homines malis pressi Dei manum tandem nonnunquam agnoscunt, convertuntur & erubescunt, Deo justitiam, sibi autem ignominiam tribuentes, ut Manasses, quidam cruci Christi astantes, filius prodigus, qua de re plenius agitur, ubi de finalibus calamitatum & crucis immissæ causis differitur. Jer. 31, 19. Dan. 9, 7. 2. Chron. 33, 12. 13. Luc. 23, 41, 47. 48. *Malis pressi quidam convertuntur.*

CAPUT PRIMUM

PARS TERTIA.

Vers. 7.] Atq; hactenus prima Prophetæ nostri Concio, eaq; Legalis, qua viam venienti cum Evangelicis promissionibus Christo præparavit, altos colles humani cordis humilians: sequitur concio tota παραμυθητική, & consolatoria ad Ecclesiam directa, dum ostendit, quod quidem multa plenariæ Ecclesiæ restitutioni sint obstitura, futurum tamen, ut illa omnia Deus removeat, quando Deus, postquam suos gravitèr increpuit, & ad resipiscentiam hortatus est, consternatis læta pollicetur, & promissa præstat liberaliter.

Secundæ hujus concionis scopus.

Prima autem visio his potissimum membris absolvitur, Exordio v. 7. modo, quo est oblata v. 8. 9. quo fine ac scopo v. 10. 11. quomodo applicetur v. 12.

In Exordio iterum tempus, autor primarius & secundarius indicatur, maximam partem, ut supra v. 1. Illud tamen notat, esse hanc concionem diversam à priori, cumq; ea eodem die non habitam, quippe tertio mense postquam prior concio benè fuerat excepta, fructumque tulerat egregium, prolatam. Nam *die vigesimo quarto mensis undecimi*, qui in anno sacro, quippe cujus initium erat mensis Abib seu Nisan Exod. 12, 2. & 23, 15. & 13, 4. Deut. 16. 1. Joseph. l. 1. antiquit. cap. 5. erat *mensis Scebat* & ut plurimum nostro respondet Januario, quoniam Nisan ex parte cum nostro Martio, ex parte cum Aprili coincidit: anni verò vulgaris initium erat in Septembri nostro Levit. 25, 9. de quo accuratius hîc differendi locus non est. Illud verò notari hîc potest obiter, quod plerumq; à libro secundo Mosis, in quo illud novum sacri anni primùm institutum est à Deo principium, quando mensium fit mentio, illi

Scebat.

A tempore Mosis anni sacri menses intelliguntur.

hujus

hujus anni sacri, & non vulgaris ordine enumerentur & intelligantur, ut liquet vel ex his paucis exemplis *1.* Reg. 6, *1.* 38. & *8*, 2. Esther *2*, *16*. & *3*, *13*. c. 8, 9. infra apud nostrum Prophetam cap. 7, 1. *1.* Macb. *4*, *52*. Levit. 16, 29. & *23*, 27. Num. *28*, *16*. & 29, 1. *2*. Chron. *30*, *2*. (confer Num. 9, *11*.) Esd. *3*, *1*. 6. Nehem. 8, *1*. præcipuè autem, quando non agitur de rebus meré civilibus, ut Josephus in loco paulò antè citato annotat, quod tamen in biblijs vix habebit locum. Sed his ἐν παρόδῳ indicatis, sine quibus tamen multa scripturæ loca rectè intelligi nequeunt, ad textum Prophetæ revertimur.

Die igitur vigesimo quarto, undecimi mensis in anno sacro, *anno secundo Darij, fuit verbum Jehovæ ad Zachariam, filium Barachiæ, filij Hiddonis prophetam dicendo*, seu potius secundum subjectam materiam, visionem offerendo, siquidem Deus non tantùm verbis, sed etiam rebus loquitur, sicut in sequentibus ipsæ res in visione oblatæ declarantur.

Vers. *8*.] Ipsa autem visio, quemadmodum & sequentes, primùm affertur, deinde de eâ cum propheta confertur, seu proponitur prius, deinde exponitur, atq; ita modus, quo Deus Zachariæ hæc revelavit, est duplex, ὅραμα καὶ ἀκόαμα, divinitus oblata contemplatio, & de eâ instituta collocutio seu collatio. Visione verò primâ docetur, omnes res Dei providentiâ gubernari in mundo, ejusq; consilio Judæis hactenus evenisse illa, quæ perpessi sunt, & adhuc, dum eorum res quasi in profundo demersæ jacent, patiuntur: instare autem nunc tempus, ut inde se emergant, & post nubila lux quædam affulgeat, dum Jerosolyma ædificatur, ibiq; Respublica ea instituitur, qualem Deus

Modus revelandi duplex.

Nox visionibus destinata.

Deus vult in sua gente. Visio sic habet: *Vidi*, ego Zacharias, Deo mirabiliter revelante, *de nocte*, quod tempus habendis visionibus sacris est ferè ordinarium Job. *33, 14. 15. 16.* & *35, 9.* *quod ecce vir*, Christus specie humanâ ad tempus assumptâ, dum hanc visionem revelaret, ut Dan. *7, 13.* Ezech. *1, 26.* & *40, 3.* qui deinceps sæpè dicitur Angelus Jehovæ loquens per Zachariam: ecce autem vir ille *insidebat equo*, ut celeritas auxilij & majestas dominij indicetur, & quidem equo *rufo* coloris ignei, quia prodest Ecclesiæ suæ igni calamitatum eam purgans, eoq; adversarios illius consumens, unde rufus color ultionem de hostibus sumptam sæpè notat, eò quod ex hostium fusorum sanguine victor maculari soleat Es. *63, 1. 2.* quomodo Diabolus sententiæ à Deo latæ executor ac carnifex dicitur Draco magnus rufus Apoc. *12, 3.* (confer cum hâc particulâ inf. c. 6, v. 2. Apoc. 6, *4.*) & hic vir equitans *consistebat*, jugiterque aderat, ad juvandum promptus *inter myrtos*, *quæ erant in profundo* ad lacus alicujus ripam, in loco humili sitæ fluctibus & procellis expositæ, hoc est, inter vera & viva suæ Ecclesiæ membra, quæ quidem virent, florent, fructumque edunt ac odoræ sunt in Christo, ut myrti, verum in mundo multis calamitatibus oppressa, velut in profundo latent submersa.

Christus vir in V. T.

Insidet equo rufo.

Rufus color quid notet.

Myrti in profundo.

Myrtus quid notet.

1.

2.

Ut enim myrtus est arbor pulchra ac preciosa (unde Esther ob pulchritudinem insignem Esther 2, 7. cognomēto hebræo הֲדַסָּה, id est, myrrhina dicta est) sic etiam pij sunt arbores maximè frugiferæ, plantatæ ad rivos aquarum Psal. *1, 3.* & ut myrtus ad funera adhiberi solet, sic notat piorum in hac vita conditionem miseram, qui omnibus periculis & morti ipsi omnibus horis sunt expositi Rom 8, *36.*

1. Cor.

1. Cor. 15, 19. 2. Corinth. 6, 4. 5. 6. 9. & ut hæ myrti dicuntur constitisse in profundo, sic etiam probi plerumq; sunt in profundo, hoc est, scripturæ stylo, in magnis calamitatibus Psal. 69, 3. 16. & 88, 7. De myrto autem spirituali vide Esa. 41, 19. & 55, 13. 3.

Atq; hactenus dux ipse hujus exercitus ac Dominus Zebaoth, ejusq; sedes descripta est, nempè quod habitet cum corde contrito ac humili Esa. 57, 15. sequitur, quis sit ejus comitatus, & qui stipatores seu ministri regij. De illis ità paucis propheta loquitur. Et *postea vidi equos*, synecdochicè intellige, unà cum equitibus suis, hoc est, Angelis, alijsq; ministris majestatis divinæ, qui Christo regi, ut instructi ac cataphracti equites suo Monarchæ terreno, inserviunt ac fidelissimè parent, sive ad judicia in impijs præstanda, sive ad beneficia pijs conferenda, maximâ cum celeritate, (quam ob causam equis insidere dicuntur) unde paulò post subijcit propheta v. 10. isti sunt, quos misit Jehova ad perambulandum terram. Erant autem illi equi, quibus insidebant hi Dei satellites, non unius generis, sed, pro diversitate officiorum ipsis demandatorum, diversi ac varij coloris: nam vidi, inquit propheta, equos quosdam *rufos*, quosdam *balios* seu varios, à colore uvarum præstantissimarum, qui in eo tractu varius (unde שֹׂרֵקִים à שֹׂרֵק, id est, vitis generosa, deducitur) & quosdam *albos*: quorum rufi significant regna, quibus præfuerunt, fuisse sanguinaria & cæde madentia multâ propter crebros bellorum seditionumq; tumultus, qua de re vide Joel. 3, v. 19. L. C. 1. siquidem vox hebræa אֲדֻמִּים cum אֲרֻמִּים omninò convenit: balij seu varij denotant statum regnorum mixtum, quæ nunc bello insurgant, nunc factâ pace quiescant: albi

Christi stipatores.

שֹׂרֵק

Equi rufi,

Albus color lætitiæ signum.

denique; regna tranquilla & læta adumbrant, si quidem albus color in sacris lætitiæ, tum quæ in hâc, tum quæ in futurâ vitâ, signum est Eccles. 9, 8. Marc. *16*, 5, Apoc. 3, 4. & 4, 4. & 6, 11. & 7, 14. & *19*, 11. & 20, *11*. Luc. 9, 29. Johan. *20*, 12. Act. 1, 10.

Zacharias à Christo se erudiri petit.

Vers. 9.] Hæc visa quid portendant aut denotent, ignorans propheta colloquium cum equitum horum duce, Christo Jesu, instituit, & ab eo, tanquam sapientiâ patris, explicationem visionis petit, dum ipse porrò de se scribit: *Et* incertus, quæ esset horum significatio, *cum dicerem quid isti* sibi volunt, *Domine mi? dixit mihi angelus ille* Jehovæ magnus & increatus, à patre in hunc mundum postea ablegandus, ut inter Deum & genus humanum ceu verus mediator intercederet, pace per suum sanguinem impetratâ, cujus tamen vis ac meritum etiam ad fideles V. T. se extendit, quique à reliquis creatis angelis postea aliquoties sequenti מְדַבֵּר בִּי distinguitur הַמַּלְאָךְ ille angelus *loquens in me* peculiari modo, nempe hæc interiùs explicans, quæ exteriùs in visione ostenderat, unde minus rectè in hoc propheta vertisse Tremellium verba hebræa, qui allocutus est me, existimamus, cum emphasin phraseos hebrææ planè non exprimat, quæ non est negligenda hoc loco, videlicet primum duplex ב præfixum, quod sine dubio aliquam excellentiam hîc innuit: deinde ipsa constructio verbi דָּבַר. Illud enim quando cum ב, ut hoc loco etiam, reperitur de persona, Dei interius loquentis in animo hominis & dictantis res abstrusas instinctum indicat Num. *12*, 2, 8. 2. Sam. *23*, 2. Hos. *1*, 2. ut in hunc locum notat Kimchi. vide infra in hoc propheta c. *1*, v. *13*. *14*. & *2*, 2. 7. & 4, 1, 4, 5. & 5, 5. 10. & 6, 4. Dixit autem ille angelus

Angelus loquens in me.

cum ב דָּבַר *constructum.*

lūs Jehovæ & Jehova, *ego oſtendam tibi, quid iſti*, de quibus quæris, ſibi velint.

Verſ. 10.] Explicans verò illud myſterium ſcopum viſionis primùm indicat, qui eſt, omnia quæ geruntur in mundo, Dei providentiâ gubernari, qui non tantùm ipſe omnia ſcit, cum ſtet & adſit inter myrtos, ſed etiam habet ſuos inſpectores ac nuncios, qui totam terram perluſtrant. *Tunc reſpondens vir ille, qui ſtabat inter myrtos, dixit, hi ſunt, quos miſit Jehova* Deus pater per me ſuum filium *ad perambulandum totam terram*, quæ phraſis ſummam notat diligentiam, ſicut uſurpatur de Diabolo Job. 1, 7. & 2, 2. ſtudioſè quærente quem deglutiat 1. Pet. 5, 8. vultq; rurſum iſtud Chriſti nihil aliud, quàm quod ſint hi angeli nuncij & exploratores à Deo miſſi, per quos ad ipſum referatur, quid rerum in terrâ geratur; quo licet ipſe, cui omnia ſunt præſentiſſima Pſal. 113, 6. Jer. 23, 24. Heb. 4, 13. non indigeat, tamen hoſce adminiſtros ac teſtes ſuæ voluntatis adhibet, ut hac ratione majeſtatem ſuam adumbret propter homines, qui reges terrenos ac principes valdè admirantur ac ſuſpiciunt, cum eos frequenti adminiſtrorum ſatellitumq; coronâ ſtipatos eſſe animadvertunt, & pij tantò melius ipſi confidant, quando audiunt, ſibi tam potentes à Deo additos eſſe vigiles, qui ipſos in vijs ſuis cuſtodiant Pſ. 91, 11.

Dei providentia.

Perambulare totam terram.

Angelorū operâ

cur Deus utatur

1.

2.

Verſ. 11.] Idq; ut tantò meliùs percipiat propheta, narrat porrò, quomodo ad nutum Chriſti omnium provinciarū angeli corā ipſo apparuerint. *Nā illi reſpondētes angelo Jehovæ ſtanti inter myrtos* ſup. v. 8. *dixerunt*: ad mandatum tuum, Domine cœli & terræ, *perābulavimus terram & ecce tota terra deſidet ac tranquilla eſt*, pace ac felicitate fruitur, cum ſola Eccleſia afflictionibus premitur, omnibus in terra benè eſt, præterquam

Terra trāquilla eſt, Eccleſia premitur.

quam pijs, quibus malè est, externa si quis spectet commoda, quippe qui per multos annos fuere in durissimâ captivitate, tandem verò liberati & in suas sedes reducti, hactenus varijs exerciti sunt malis, vitam degentes spemq; metumq; inter dubij & valdè miseri. Hic est rerum status, ò Domine, tu verò pro tua immensâ sapientia, quid facto opus sit, dispice & nobis exequendum injunge.

Christus intercedit pro Ecclesia reduce.

Vers. 12.]. Hac autem sanctorum angelorum per ἀποσιώπησιν ex condolentia ortâ concisâ oratione Christus eorum Dominus & Rex ac sponsus Ecclesiæ ita permovetur, ut non amplius & ipse se contineat, sed in hanc intercessionem pro ea apud patrem fusam erumpat, in qua notanda tria, quis, pro qua, de quo conqueratur, videlicet Christus sponsus pro Ecclesia carissima sua sponsa multis injurijs ab hostibus affectâ, orat, quod, cum ipsa sit ejus peculium unicum, & tempus à Deo patre determinatum jam effluxerit, tamen vastitas urbis ac regionis sanctæ adhuc duret, etiam reductis Judæis in suam terram: *Tunc loquutus angelus ille Jehovæ* Christus mediator intercedens pro pijs Heb. 9, 24. *dixit*, ò pater æterne, *Jehova* Domine *Exercituum*, cùm profanæ gentes, orco ob suam improbitatem destinatæ pace & otio fruantur, dolendum est, eam gentem continuis motibus ac periculis exponi, quam mihi hæreditatis loco dedisti, quamque ego elegi unicam, imò ipsa æquitas flagitat, ut, postquam eam satis diu afflixisti Psal. 90, 15. 17. lætifices, tuaq; amænitas adsit ei, ipsaq; Jerosolyma & reliquæ civitates Judæ ac totius terræ sanctæ restituantur, siquidem anni septuaginta captivitatis sunt elapsi, *quamobrem* igitur *tu*, qui es amor ipse, & Deus clementissimus, *non miserturus es Jerosolymorum & civitatum Judæ, in quas indignatus es* ob antegressa-

greſſa peccata, *jam* olim *ſeptuaginta annis*, quos tu quondam exilio futuro præfinieras 2. Chron. 36, 14. 15. 21. Jer. 25, 3. 4. 5. 12. & 29, 10. & qui ſunt maximam partem in ipſa captivitate completi. Poſtea verò ex promiſſione tua Judæi ſunt reducti in ſuam terram, in quâ jam aliquot annos vivunt, ſed miſerè. Ubi verò tua promiſſio Domine? tu ſurgens miſerere Sion, quia tempus eſt faciendi gratiam ei quia advenit ſtatutum abs teipſo tempus Pſal. 102, 14. quomodo facilè apparet, quod particula, quouſq;, hoc loco non ſit dubitantis, ſed potius promiſſionum complementum urgentis. Vulgata verſio latina hoc loco minus proba, cùm legit, iſte eſt ſeptuageſimus annus, anſam dedit multis interpretibus dubitandi, & inprimis Riberæ, unde hi anni, qui hîc numerantur, ſint incipiendi, & ubi deſinant, quia nullo modo tùm, cùm hæc ad populum loquebatur Zacharias, erat annus ipſe ſeptuageſimus à captivitatis initio, ſiquidem ſeptuaginta anni, (ut dictum eſt) in captivitate erant tranſigendi juxta loca ſuperius allegata, ex qua jam ante annos complures erant reducti Judæi, quando prophetabat Zacharias. Et vide ſis, quomodo ille homo, cui illa verſio authentica, ſe in commentario ſuo hîc torqueat, & quomodo in ejus conciliatione malè ſarta

Gratia nequicquam coit & reſcinditur,
ſi biblia & hiſtorias conſulas.

70. anni captivitatis.

Error vulgatæ verſionis.

Nos verò illa difficultas non tangit, quando in textu hebræo legimus שִׁבְעִים שָׁנָה, id eſt, anni ſeptuaginta, eosq; de ipſo captivitatis tempore pridem ſoluto, nec ad prophetæ noſtri tempora durante, intelligimus.

Verſ. 13.] Sed quid reſpondet Deus pater ad ardentiſſimas illas filij ſui preces, quas ut interceſſor ac mediator

pro Ecclesia fudit? ostendit, se de Ecclesia revera esse sollicitum, quod cùm ex beneficijs ei destinatis v. *13.* tùm ex pœna in hostes decreta v. *15.* constat. *Deus respondet verba bona.* *Respondit* autem *Jehova* Deus pater, Dominus *Exercituum*, *angelo illi* increato seu Christo, qui *loquebatur in me*, *verba bona*, *verba consolatoria*, bona de futurorum promissione, consolatoria de præsentis status necessitate, tam ob amorem in Ecclesiam, quam ob iram in ejus hostes.

Vers. *14.*] Hoc verò gratiosissimum Dei patris decretum cum audisset (ita enim ἀνθρωποπαθῶς de Deo hac ordine referuntur, & quasi in tempore facta essent, narrantur, quæ ab æterno & extra omne tempus semper fiunt Eph. 1, 4. 5.) tum verò, quænam sint illa bona ac consolatoria verba, Christus voluit referri ad suam sponsam, videlicet quod Deus etiam in malis Ecclesiam amare non desierit. Nam *propterea edixit mihi suo prophetæ angelus ille, qui loquebatur in me, proclama dicendo*, magna cum contentione dicito, & sublatâ voce effer sacrum præconium, in hunc modum verba faciens. *Sic ait Jehova* Dominus *exercituum* (non enim tua ministri, sed mea mittentis Domini verba proferes) *Zelo prosequor Jerosolymam*, *&*, hoc est, inprimis Soph. *1*, 4. *Sionem*, quæ est pars ejus præcipua, in quâ arx & domus regum Judæ olim fuit, prosequor autem *zelo* longè *maximo*, imò divino & infinito Jer. *31*, 20. siquidem illa est mea sponsa dilectissima, cui mecum talis intercedit amor, qualis inter conjuges se mutuò ardentissimo amore prosequentes, qui amoris non ferunt socium, neq; quicquam æquo animo intervenire patiuntur, quod amorem eorum possit interturbare. *Et i. e. inprimis.* *Zelus.* Est enim zelus propriè sic dictus, dolor cum irâ mixtus, ex læsione & injuriâ, quæ rei amatæ infertur, ortus, ille

ille propter rem amatam, hæc propter adversarium istam, lædentem, quæ omnia, divino tamen modo accepta, huc optimè quadrant, siquidem docet Christus, Ecclesiam, suas delicias & gaudium, affligi, & propterea iram in eos, qui ipsam præter jus & fas affligunt, animo concipit, quam insequentibus declarat.

Vers. 15.] Sint igitur aliquantisper tranquillæ illæ gentes Ecclesiam opprimentes v. *11.* tamen quia me ejus sponso, rerumq; omnium Induperatore non utuntur propitio, durabilis non est eorum felicitas. *Ego enim fervore maximo ferveo, contra gentes istas tranquillas*, & ecce iræ tantæ causam justissimam. Cum ego parum & modicè volui castigari meum populum Jer. *30, 11.* illæ gentes ad istud destinatæ præter id, quod ipsis erat datum in mandatis, voluerunt planè eum perdere & exscindere Es. *10, 7.* & *7, 6.* Ps. *83, 4.5.* *quia ipsa me efferveſcente paululum*, respectu piorum, *adjutrices fuerunt in malum*, & afflictis tota sua facultate ex propria malitia & insita ὑπαιρεσιακία afflictionem aggravaverunt, Es. 47, 6. 7. Ezech. 25, 3. 6. id quod mihi meritò displicet, quod videam eas abuti sua, quam ipsis dedi, potentia, & propterea ab illis jure reposco.

Gentes Deo adjutrices in malum.

Vers. *16.*] Et ne quis putet, hunc zelum Dei pro pijs contra impios esse otiosum, additur promissio, quæ illis felicem successum pollicetur in templi & urbis ædificatione. *Idcirco sic ait Jehova, reversus sum ad urbem Jerosolymam miſericordiâ* διὰ σπλάγχνα ἐλέους per viscera miserationum (sicut optimè vocem hebræam רַחֲמִים explicat Zacharias Luc. *1, 78.*) inde omnia beneficia proveniunt, me ejus, ejusq; miseriæ miseret ut matrem, à qua per iram ob peccata aversus fueram ut Dominus. Vocis enim illius hebrææ hæc

רַחֲמִים Σπλάγχνα.

qua emphasis eorum verborum.

hæc est ἔμφασις, ut notet σοργὰς naturales, atq; illam naturæ insitum animi affectum, quo parentes, & inprimis matres, visâ liberorum ex utero suo natorum miseriâ, non possunt non eorum misereri: Deo verò tribuitur, quod is illorum, quos per fœdus gratiæ recepit in filios, ac hæredes cœli instituit, calamitate etiam tangatur, plus quàm pater aut mater terrestris Psal. *103*, *13*. Es. 49, *15*. quippe cui præ dolore, cum videt suos affligi, perstrepunt ipsa divina viscera Hos. *11*, 8. 9. Jer. *31*, 20. Quid autem nunc ex illo favore suo in pios longè maximo promittit? hoc quod sequitur: *domus mea ac templum*, quod ædificari jampridem cœptum est, & ab alijs interruptum, nunc tamen vel invitis hostibus perficietur, & *in ea* urbe Jerosolymorum *ædificabitur*, *dictum Jehovæ* Domini *Exercituum*. quin etiam ipsa politia rebus Ecclesiasticis benè comparatis, rectè constituetur. Confer Hagg. *1*, *13*. *Nam regula* & amussis fabrorum *mox extendetur super Jerosolymam*, quod est, si synecdochen & Metonymiam exponamus propriè, urbes terræ sanctæ, & inprimis ejus metropolis Jerosolyma restaurabitur, quod hactenus nondum fieri rectè potuit. Locutio autem illa sumpta est à fabris, qui, ut muri fiant æquales, amussim & perpendiculum adhibent, regulamq; suam non extendunt, nisi quando ædificant. Simul autem cura notatur, quod non tumultuariâ operâ sit futurum

Quomodo Deo competant.

Domus Dei ædificabitur.

Regula extendetur.

Pauperis hîc tuguri congestum cespite culmen,

sed potius tanta diligentia & majestate omnia, inprimis in urbe regiâ, efficiantur ac expoliantur,

Ut, qui conscendunt collem, qui plurimus urbi
Imminet, adversasq; aspectant desuper arces,
Mirentur portas, strepitumq;, & strata viarum,

ita

ita omnia examussim erunt fabrefacta, & hominum frequentiâ exornata, de quâ nunc porrò nova & peculiaris promissio subijcitur, cui causa, quæ illam ratam facit, annectitur, eadem nempè, quæ supra v. *13.* & *15.* ponebatur. Illud verò vel inprimis hîc notandum, quod observavimus in ultimo cap. 2. Haggæi versiculo, nempe quod sub promissione rerum corporalium, & sub typo Jerosolymæ promittantur bona spiritualia Jerosolymæ supernæ omnium piorum matri, hoc est, Ecclesiæ. *Typus.*

Vers. *17.*] Nam *sic ait Jehova* Dominus *Exercituum*, *amplius tu, ô propheta, proclama* supra v. 14. *dicendo*: adeò ego paulò post Ecclesiam meam cumulabo beneficijs, ut pij præ sua suorumq; bonorum copia non capiantur deinceps angustis Judææ finibus, sed in totum terrarum orbem diffusi benedictiones suas propagent. Confer Es. 49, 18. Eph. 2. Col. *1.* & totum librum Actorum Apostolorum. *Adhuc dispergentur* præ copia *civitates meæ præbono*, quod solæ non possunt capere, & illud futurum est ideo, *quia consolatur Jehova adhuc Sionem, & eligit adhuc Jerosolymam*, quam beneficijs, ceu sibi peculiariter delectam & dilectam, ornet, ditet, augeat, accumulet, atque ita ostendit se Ecclesiam suam non negligere, licet nonnullis promissionum videatur immemor, quomodo vocabulum electionis (quæ propriè sic dicta facta est ab æterno Ephes. *1.* 4. 5.) per metalepsin pro declaratione ejus seu manifestatione accipitur. *Ecclesiæ propagatio.*

LOCI COMMUNES.

Ex vers. 7.]

Fuit verbum Jehovæ] Quæ hîc tractari poterant, de ijs, ubi requirenda, sup. in v. 1. qui fermè per omnia cum hoc

convenit, dictum est: tantum illud præterea notetur, cum ipsæ sequentes visiones dicuntur Dei verbum, quod verba Dei longè alia sint, quàm nostra. Verba enim Dei (ut graviter scribit Lutherus in 1. cap. Genes.) sunt res, Sol, Luna, cœlum, stellæ. Ego, tu sumus vocabula Dei, imò una syllaba vel litera. nos rebus factis tribuimus appellationes, sed Deus per vocabula res facit, & per hanc Grammaticam, quæ sunt creaturis impossibilia; ipsi sunt facillima, ut testatur ipsa scriptura Jer. 32, 17. 27. Luc. 1, 37. Psal. 33, 9. & 135, 5. 6. & 148, 5. 6. Ezech. 17, 24. & 22, 14. & 27, 14. Sirac. 42, 22. Exempla sunt evidentissima in mundi creatione, quæ facta est ex nihilo, in carnis optimæ, & quidem magnæ copia, subministratione in deserto Num. 11, 18 22. 23. & quoties Christus paucis panibus aliquot millia hominum saturavit?

Verba Dei res sunt.

Ex versu 8]

I. *Quod ecce vir*] Ex ipso veteri Test. etiam Christi humana natura (quatenus in temporis plenitudine certò erat uniendа λογῳ æterno Gal. 4, 4. non verò quasi tum jam exstiterit, ut volunt nonnulli hæretici) potest probari, quando filius Dei per προλημψιν dicitur filius hominis Psal. 8, 5. (confer Heb. 2, 7. 8) & 80, 18. Ezech. 1, 26. Dan. 7, 13. Christus Psal. 2, 2 & 84, 10. & 89, 52. confer 1. Cor. 10, 9. Eph. 1, 4. Heb. 13, 8. semen mulieris Gen. 3, 15. semen Abrahæ Gen. 22, 18. confer Gal. 3, 16. Heb. 2, 16. Germen & filius Davidis Jerm. 23, 5. & 33, 15. Zach. 3, 8. & 6, 12. Es. 11, 10. Psal. 132, 10. Vir, Zach. 6, 12. puer Esa. 9, 6. & idem pro modo illius temporis est adumbratum, quoties filius Dei in forma humana patribus apparuit, & cum illis collocutus est,

Christus homo in V. T. per προλημψιν dictus.

II. In-

II. *Insidebat equo rufo & stabat*] Christus cum omnium rerum in mundo, tùm præcipuè Ecclesiæ curam gerit maximam, neq; dormitat unquam custos ille Israelis Psal. *121*, 4. 5. 6. sed ambulat semper in medio septem candelabrorum aureorum Apoc. *1*, *13*. hoc est, Ecclesiarum suarum ibid. v. 20. insidens cerubinis volat, volitatq; super alas venti Psal. *18*, *11*. tum ut subitum pijs præstet auxilium, impijs verò præproperum inferat supplicium, quomodo eques ille fidelis & verax describitur Apoc. 19, *11. 12. 13. 15. 16.*

Christus omnium curam gerit.

III. *Inter myrtos, quæ erant in profundo*] Vera & viva Ecclesiæ membra sunt velut myrti. Ut enim 1. hæ semper virent, neq; unquam folia omnia earum decidunt, teste Plin. lib. 16. c. 20. sic etiam illa Ps. 1, 3. in quem locum vide quæ dicta sunt, siquidem ibi hæc similitudo ex scriptura prolixè declarata est. II. Ut hæ non sunt infrugiferæ, sed baccas optimas proferunt, & alias multas utilitates generi humano præstant teste Plin. lib. *15*. c. *29*. Ita pij fructum multum proferunt Matth. 7, *17*. Johan. 15, *16*. vide itidem comment. in Psal. *1*, 3. III. ut myrti optimum spirant odorem, teste Plin. lib. *21*. c. 11. Sic pij in Christo, qui in ipsis apprehensus vivit Gal. 2, 20. Ephes. 5, *2*. proferunt odorem bonæ fragrantiæ, hostiam Deo acceptam ac placentem Phil. 4, *18*. vide Sirac. *24*, *13*. 14. *15*. 16. *17*. *18*. *19*. & *35*, 7. Cant. *2*, *13*. & 7, *8*. 13. IV. ut myrti amant montes & in ijs proveniunt feliciùs teste Plin. lib. *16*, c. 18. sic pij amant cælum supernaq; curant Col. 3, 2.

Ecclesiæ membra conferuntur myrtis 1 in viriditate, 2. utilitate,

3 odore,

4. loco, amant mõtem,

Quando verò hæ myrti dicuntur fuisse *in profundo*, innuitur, quod Ecclesia in his terris cruci sit subjecta, & in vallem miseriarum depressa, in lacum afflictionum demersa Rom. 8, 29. Act, *14*, *22*. 2. Tim. *3*, *12*. Heb. 12, 5, 6, *1*. Pet. 4, *12*. *13*.

sunt in profundo

Cur Deus utatur angelorum opera.

IV. *Equos rufos, balios, albos*] Deus propter nos, qui facilius ipsi tum confidimus, quando videmus adesse media, ministris utitur, maximè Angelis Heb. *1*, *14*. qua de re satis benè differit D. Heerbrandus in Compendio Theol. Loc. de Angelis in responsione quæstionis hujus: *Cur nos per Angelos Deus custodit & non per se potius?*

Ex vers. 9.]

Christus mediator & testis,

Quumq; dicerem, quid isti? dixit mihi Angelus ille, qui locutus est in me.] *Christus* est angelus ille increatus, de cœlo missus, inter Deum patrem genusq; humanum tanquam verbum, interpres & mediator consistens, & proindè audiendus Iohan. *1*, *18*. Matth. *17*, 5. ut testis de gratia erga nos divina fidelis Psal. 89, 38. Apoc. *1*, 5. etiam in suis prophetis ac Apostolis, quippe qui ejus spiritu impulsi loquuti sunt. *1*. Pet. *1*, *11*. *2*. Pet. *1*, 21. Luc. *10*, *16*. ut hoc loco nihil aliud scit & loquitur Zacharias, quàm quod ipsi ostendit Dominus.

loquitur in apostolis.

Ex vers. *10*.]

Angeli terram perambulant.

Hi sunt quos misit Jehova ad perambulandum terram] Si Angeli boni juxta, ut hoc loco scribitur, & Heb. *1*, *14*. Psal. *91*, *11*. & mali Job. *1*. & *2*. totam terram perambulant, hominumq; actiones observant, ac ad Dei tribunal referunt, vivamus honestè & piè *1*. Cor. *11*, *10*.

Ne pecces, Deus ipse videt, tuus Angelus astat:
Tristis, & accusat perfidus ille Satan.

vide Soph. 3, v. 6. L. c. 1.

Ex vers. 11.]

Verbum Dei efficiunt.

I. *Perambulavimus terram.*] Angeli efficiunt verbum Dei & faciunt placitum ejus Psal. *103*, *20*. *21*. quamcunq; ad rem

rem expediendam mittuntur, sive ut homines pios juvent, in statu Ecclesiastico, politico, oeconomico, sive ut ijs voluntatem ejus annuncient, sive ut futura prædicant Gen. cap. 16. 18. 32. Dan. 4. & 9. Matt. 1. Luc. 2. Matth. 28. vide Chemn. p. 1. L. C. in appendice Loci de Creatione, in Concione de Angelis.

II. *Terra tranquilla est*] Impijs plerumq; in hac vita benè est sup. v. 5. L. C. 2. sed tandem ipsorum vitio non revertentium ad Deum, cum etiam sunt allecti tantâ ejus bonitate Rom. 2, 4. 5. illa prosperitas improborum occidit illos Prov. 1, 32. Psal. 73, 18. 19. quod facile ex scriptura adductis exemplis potest probari, deducendo hoc ipsum, per bona animi, fortunæ, corporis, quatenus ijs malè utuntur mali, quæ bonus ille pater dederat.

Prosperitas improborum occidit eos.

Ex vers. 12.].

I. *Dixit Angelus Jehovæ, ô Jehova, quousq; non misertus es*] Christus semper apud suum patrem pro Ecclesia intercedit Psal. 99, 6. Esa. 53, 12. Rom. 8, 33. 1. Johan. 2, 1. 2. Heb. 9, 24. nostrasq; etiam preces Deo offert, & cum per se sunt impuræ per hunc mediatorem tamen patri placent Jer. 30, 21. Johan. 14, 6. Heb. 7, 24. 25. 1. Pet. 2, 5. August. in Psal. 85. orat Christus pro nobis, ut sacerdos noster: orat in nobis, ut caput nostrum; oratur à nobis, ut Deus noster.

Christus offert patri nostras preces.

II. *In quas indignatus es jam 70. annis*] Temporis in captivitate Babylonicâ consumpti diuturnitas, docet, quanta sit peccati, inprimis idololatriæ, fœditas, & quæ minarum à Deo factarum veritas. Quemadmodum enim Deus prædixerat futurum, ut septuaginta annis duraret illa Es. 23, 15. Jer. 25, 3. 4. & 29, 10. ita etiam eventus respondit certissi-

Deus in hac vita quidem diu affligit,

mus 2. Chron. 36, 21. 22. Esd. 1, 1. Sic quondam per annos 40. ob murmurationem in deserto vagati & prostrati sunt Israelitæ Num. 14, 33. 34. Sic regi Syriæ subjecti fuerunt ob peccata sua octo annis Jud. 3, 8. Hegloni 18. annis ib. v. 14. Jabin. 20. annis Jud. 4, 2. Midianitis 7. annis. Jud. 6, 1. Philistæis 18. annis Jud. 10, 8. ijsdem 40. annis Jud. 13, 1. Sed hæc omnia mala immissa tandem finem suum sortita sunt: atqui ira Jehovæ, quâ indignabitur in impietate decedentibus ac damnatis, nullum habet finem Es. 66, 24. Matt. 3, 12. & 25, 41. 2. Thes. 1, 9. 1. Johan. 3, 14. Apoc. 9, 6. & 14, 9. 10. & 20, 10. quod si plerique cogitarent, non ita nefariè peccarent, juxta illud Chrysost. homil. 13. in Ep. ad Rom. Non sinet in gehennam incidere, gehennæ meminisse. Quod autem 70. annos duravit hæc captivitas, præterquam quod aliæ nobis occultæ esse possunt causæ, hæc quoque non ultima fuisse videtur, quod 70. seniores populi Israelitici, qui summum Senatum & Synedrion apud eos constituebant, suum non fecerint in populo ad pietatem assuefaciendo, vel severè castigando officium. vide Num. 11, 16. 25. 2. Chron. 36, 14. 15. 16. Ezech. 8, 11.

sed in alterâ æternùm punit.

Septuaginta annos duravit captivitas, cur? causa probabilis.

Ex vers. 13.]

Christus exauditur, & nos propter eum.

I. *Respondit Jehova exercituum Angelo illi loquenti in me*] Christum pater semper exaudit Johan. 11, 42. & intuetur faciem Christi sui Psal. 84, 10. nam adest manus Dei viro dextræ suæ, filio hominis, quem fortificavit sibi Psal. 80, 18. & propter hunc Davidem adumbratum non avertit faciem suam à nostris precibus Psal. 132, 10. is enim solus est dilectus ille filius, in quo pater acquiescit Matth. 3, 17. & in quo nos reddimur dilecti Ephes. 1, 6.

In ejus no-

Hinc adeò fit ut semper petendum sit in nomine Christi

Joh.

Johan. 16, 23. & quod preces Christianorum ita semper claudantur, *per Christum Dominum nostrum.* Is enim quia defert patri nostras preces, illæ irritæ non erunt Heb. 7, 24. unde Daniel. cap. 9, 17. orat, ô Domine, propter Dominum, & Siracides c. 51, 14. invocat patrem Domini sui, quia per illum solum habemus accessum ad patrem Joh. 14, 6. Rom. 5, 2. Eph. 2, 18. vide sup. v. 12. L. C. 1. quippe qui solus est ille angelus habens sigillum Dei vivi Apoc. 7, 2. stans apud aram habens thuribulum aureum, cui dati sunt suffitus multi, ut offerat cum precibus sanctorum omnium super altare aureum, & fumus suffituum cum precibus sanctorum è manibus illius angeli ad conspectum Dei vivi ascendit Apoc. 8, 3. 4 Hinc plerique non exaudiuntur, quia Christus non orat cum illis, quippe qui non est in ijs.

mine petendum.

II. *Verba bona, verba consolatoria*] Ut aliquem mater sua consolatur, sic Deus consolatur suos, & Jerosolymis, id est, in Ecclesiâ, consolatione perfundentur Esa. 66, 13. quemadmodum promisit Esa. 51, 12. & 61, 3. Jer. 31, 13. & suis prophetis ac verbi præconibus mandavit, consolamini, consolamini populum meum Esa. 40, 1. 2. ut meritò dicamus, Benedictus esto Deus ac pater Domini nostri Jesu Christi, pater miserationum & Deus omnis consolationis, consolans nos in omni afflictione nostra 2. Corinth. 1, 3. 4. si qui tamen pij in hac vita illud solatium non percipiunt, propterea non desperent, quia olim in altera vita cum Lazaro solamen recipient Luc. 16, 25. juxta verissimam Christi promissionem: Beati qui lugent, quoniam ipsi solamen recipient Matth. 5, 4. Luc. 6, 21. Esa. 61, 3. 7. & 65, 18. 19. si autem pijs loquitur verba bona & consolatoria, improbis loquetur verba mala & dura Matth. 7, 23. & 25, 12. 41.

Deus suos consolatur.

certè in altera vita.

Ex

Ex verſ. 14.]

Fœdus Dei eſt conjugium.

Zelo proſequor Jeroſolymam] Fœdus, quod Deus cum pijs iniit, ſæpius in ſcripturâ confertur conjugio, qua de re dictum eſt Joel. 2, 19. Mich. 4, 6. Nah. 1, 2. & 3, 4. Si autem Deus zelo erga nos flagrat ardentiſſimo, noſtri immemor eſſe non poteſt, nec calamitates pijs malo fine immittit Jerem. 31, 20. Hoſ. 11, 8. 9.

Ex verſ. 15.]

Impiorum felicitas umbratilis.

I. *Fervore maximo ferveo contra gentes tranquillas.*] Impiorum felicitati non eſt invidendum, cum ſit umbratilis ut Pſal. 37. & 73. declaratur, cum Deum habeant inimicum, qui odit eos ex animo, quantumvis ad tempus eorum flagitijs conniveat, ſpacium reſipiſcendi concedens ſup. v. 5. L. c. 2. & v. 11. L. C. 2.

Crudelitas Deo exoſa.

II. *Adjutrices fuerunt in malo*] Violentiam & crudelitatem Deus deteſtatur. vide Joel. 3, 19. Obadi. v. 13. v. 14.

Ex verſ. 16.].

Eccleſiæ ſalus ex Deo.

I. *Reverſus ſum ad urbem Jeroſolymam miſericordia.*] Eccleſiæ inſtauratio & conſervatio pendet ex ſolius Dei miſericordia, quâ permotus ejus membra eligit, vocat, juſtificat, ſalvat Epheſ. 2, 4. 5. 6. 1. Timoth. 1, 15. 16. Rom. 11, 30. 31. 32. Rom. 15, 9. Tit. 3, 5. 1. Pet. 1, 3.

Regna firmat pietas.

II. *Regula extendetur ſuper Jeroſolymam*] Deo benedicente exſtruuntur, firmantur & ditantur urbes, ut meritò omnes pij in magiſtratu conſtituti illud uſurpent ſymbolum, *Regna firmat pietas.* Abſq; hac enim nullæ munitiones ſatis firmæ ſunt, quia ſolus Deus confortat & reſerat vectes portarum urbis Pſal. 147, 13. Amos 1, 5. Nah. 3, 12. 13. quæ loca etiam ſupra explicata vide.

Ex

Ex vers. 17.].

Civitates meæ dispergentur præ bono] Jehova est, qui ditat tam in corporalibus, quàm spiritualibus bonis, ipse enim solus est αὐτάρκης 1. Sam. 2, 7. 1. Reg. 3, 13. Ps. 112, 3. Prov. 8, 18. & 10, 22. & 22, 2. Eph. 1, 7. & 2, 7. & 3, 16. Nam divitiæ & gloria, ô Domine, à facie tua sunt, & tu dominium habes in omnia, in manu tua vis & potentia, potentia est in manu tua magnificandi & confirmandi rem quamlibet 1. Chro. 29, 12. tu Deus potens es efficere, ut omnis gloria per te in nos exundet, ut in omnibus omni tempore omne, quod sufficit, habentes, exundemus ad omne opus bonum 2. Corint. 9, 8. tibi, qui summa cum exuperantia potes omnia facere, supra ea, quæ petimus aut cogitamus, sit gloria in Ecclesia per Christum Jesum in omnes ætates seculi seculorum Amen. Eph. 3, 20. 21.

Divitiæ & omnis potentia est à DEo.

CAPUT II.

Argumentum.

Summa.

PRimò administrationem Dei, quâ is in Ecclesiæ gubernatione utitur, duplici visione repræsentat, quod illa hostibus Ecclesiæ sit exitiosa, ipsi autem salutaris, fructuosa & glorioſa. 1.

Postea docet, Jerosolymam, utcunq; tunc rudera tantùm ibi viderentùr, & solitudo, certò iri ædificatum, cujus amplitudinem atq; gloriam q. oculis spectandam proponit, non sine gravi adhortatione, ut omnes ad illam confluant, inprimis qui Babylone residebant. 2.

Tandem Deus se semper ei affuturum promittit, ut eodem splendore ac dignitate, in qua fuerat, reponatur. 3.

Scopus autem est, ut Judæi hac oratione ac promissione excitati sine mora urbis & templi ædificationem suscipiant,

Typus.

quippe in quæ venturus est Messias. Ubi tamen inprimis notandum, quod sub typo hujus urbis & templi multum vaticinetur propheta de cælestis seu spiritualis Jerosolymæ, hoc est, Ecclesiæ felicitate ac amplitudine, præcipuè in N. T. quippè ad quam etiam Gentes advocabuntur, & cui Christus sua gratia copiosè aderit.

Analysis.

Tres part. 1. typus. 4. cornuũ.

II. typus. 4. Fabrorum.

III typus. viri mensurantis.

Hujus propositio. & expositio: membra tria.

1.

2.

3.

Juxta tres visiones in hoc capite propositas & expositas, quibus promissionis superiori capite factæ complementum ex parte adumbratur, *tres capitis partes* possunt constitui: In prima est Typus quatuor cornuum prophetæ ostensus v. *1.* & explicatus, quod illa denotent hostes Ecclesiam hactenus vastantes v. *2.* In secunda est typus quatuor fabrorum, in visione Zachariæ oblatus v. *3.* & in colloquio eidem ab Angelo enarratus, quod hi denotent judiciorum DEi administros Ecclesiam Dei liberantes v. 4. In tertia est typus viri manu sua tenentis funiculum mensorium, propositus v. 5. expositus verò in seqq. ubi duo potissimum promittuntur urbis Jerosolymæ ædificatio v. 6. &, quod illa significabat typicè, Ecclesiæ amplificatio, quæ ut prophetæ enarretur, Angelo injungitur v. 7. enarratur verò in seqq. Hæc constant *tribus membris*, quorum *primum* est proleptica promissionum summa, de protectione & gloria v. 8. & 9. *Secundum* est, inde nata hortatio ad Israelitas directa, ut his promissionibus freti ad Ecclesiam, cui illæ sunt factæ, convolent, v. *10. 11. tertium* promissionum suprà breviter propositarum uberior explicatio, facta per ὑστερον πρότερον: priùs enim gloria veris Ecclesiæ membris promissa v. *12.* deinde ignis & ignominia ejus hostibus immittenda declaratur. v. *13.* (de quibus sup. v. 9.) tandem illa amplificatio Ecclesiæ (de qua sup. v. *8.*) exaggeratur in quatuor, 1. adventu & Messiæ gratiosa inhabitatione

Ecclesiæ amplificatio cõsistit in quat.

1.

atq;

atque inde orta piorum exultatione v. 14. II. gentium ad Ecclesiam advocatione v. 15. III. Ecclesiæ ipsius sanctificatione v. 16. IV. hostium ejus subjectione v. 17. 2. 3. 4.

PARS PRIMA.

Vers. 1. Explicatâ præcedenti capite propositione summâ visionum & prædictionum sequentium, nunc porrò subjicitur narratio modi, quem Deus tenet in administratione sua, ut præstet consilium & promissiones datas, cùm in hostium Ecclesiæ ruinâ, tùm hujus erectione & amplificatione procurandâ, atq; ex his tribus visionibus, quæ hoc capite habentur, duæ priores ad Ecclesiæ adversarios eam opprimentes, & à Deo repressos: ultima ad Ecclesiam ipsam liberatam pertinet. In illarum priori hostes esse, in posteriori eosdem eversum iri à Deo significatur, & typis velut oculis conspiciendum proponitur. Cum enim ipse Jehova Dominus exercituum absolvisset loqui, quomodo zelo ingenti prosequeretur Jerosolymam, misericordiâ ad illam reversus, eam omni bono esset ditaturus, contrà verò quomodo fervore maximo contra gentes efferveseeret, utrumq; ὄπισθεν πρόσθεν typis demonstrare mihi suo propheræ incepit. *Tum* verò ego Zacharias *sustuli oculos meos* quasi in cœlum, unde veniunt illæ apparitiones divinæ, elevatos, oculos non tam illos exteriores corporis, quibus foris cernimus, quàm illos interiores mentis seu animi, quibus ad visiones divinas accuratè attendebam. Namq; ut duplex in scripturis nobis proponitur auditus, de qua re Joel. 1, 2. ita & visus. Primùm vero *vidi, quod ecce* erant coram me *quatuor cornua*, eaq; satis grandia & valida, quæ, ut aliàs crebrò in scriptura illa vox accipitur (qua de re vide Amos 6, 13.

Agitur hic de Ecclesiæ hostibus & civibus.

Visus duplex & auditus.

Cornua notant potentiam & ferociam hostium.

Michæ 4, 13.) notant potentiam ac ferociam hostium. Confer Deut. 33, 17. 1. Sam. 2, 1. 10. 2. Sam. 22, 3. Psal. 75, 11. & 112, 9. & 132, 17. Thren. 2, 3. Ezech. 29, 21. Dan. 7, 7. 8. 21. & 8, 4. Apoc. 5, 6. & 12, 3. & 13, 1. 11. & 17, 3. 7. 12. 16. Luc. 1, 69. Quatuor autem dum offeruntur cornua, id significatur, quod hostes Judæorum ab omnibus quatuor mundi angulis eos sint aggressi & divexaverint, videlicet à septentrione Syri Assyrij & Babylonij, ab oriente Ammonitæ & Moabitæ, Edomæi & Ægyptij à meridiê, Philistæi ab occidente, quemadmodum pluribus explicatum est Amos cap. 1. & qui plura de his scire expetit, adeat & evolvat prophetiam Esaiæ à cap. 13. usq; ad 22. Jeremiæ à cap. 46. ad 52. Ezechielis à c. 25. usq; ad 33.

4. cornua notant hostes ex 4. mundi angulis.

Vicini Judæorum.

Non denotantur his 4. cornibus 4. monarchiæ.

Ratio 1.

Non igitur probamus, illorum interpretationem, qui per cornua hîc intelligi volunt quatuor monarchias, siquidem de futuris hîc non agit propheta, sed de præteritis, id quod primò constat, quando dicit versu seq. ista sunt, quæ *sparserunt* Jehudam: Deinde etiam, cùm fabri hîc statim venisse dicuntur ac contrivisse cornua, ne deinceps nocerent Ecclesiæ, quod tamen in Græcam & Romanam monarchiam, quippè quæ nondum erant, nec dum nocere potuerant, prorsus non quadrat. Deniq; non omnes qui monarchijs illis præerant, in Ecclesiam grassati, sed multi ex Persis & Medis, sicut & longè post quidam ex Imperatoribus Romanis in eam fuerunt satis benigni, ideoq; hi omnes conteri, ut cornua ista, non debuerunt.

2.

3.

Vers. 2.] Et quid multis? audiamus expositionem hujus typi divinitus prophetæ nostro revelatam, in qua describitur studium prophetæ quærentis & res obscuras scire cupientis, ac benignitas Dei humaniter eum docentis, ut Dan.

Propheta quærit, Deus docet.

cap. 10.

c.10, 11. & 11, 2.3. & porrò in hoc propheta passim. Sic autem ipse de se scribit. *Tum* ego, cùm illa cornua quatuor vidissem, *dixi ad illum angelum, qui loquebatur in me* Sup. c. 1, 9. Domine, *quid* sunt *ista* cornua? & ipse *dixit* mihi sine mora, *ista sunt illa cornua, quæ* Ecclesiæ corpus satis crudeliter discerpentia Psal. 74, 1. 2. in varias orbis partes *sparserunt Iehudam & Israelem*, duo illa regna, quorum illud ex duabus, hoc ex decem tribubus constabat, inde à tempore Rechabami filij Salomonis 1. Reg. 12. *inprimis* vero (id enim h. l. notat ו, ut sup. 1, v. 14.) *Ieroſolymam*, urbem illam sanctam.

Juda & Israel. i. e. inprimis.

LOCI COMMUNES.

Ex vers. 1.]

I. *Sublatis oculis vidi*] Magna in rebus sacris requiritur animi intentio, & quidem tanta, ut ex toto animo nostro quæramus Deum Psal. 119, 10. manè audiamus vocem Dei, manè differamus coram eo & speculemur Psal. 5, 4. studio non segnes, sed spiritu fortes ac ferventes Rom. 12, 11. Contrà autem, quia hodiè multi in pietatis studio sunt trepidi ac tepidi (nam de planè frigidis dicere hoc loco nil attinet) ecquid mirum, quod eos exspuat ex ore suo Apoc. 3, 15. 16. quia multi oculos ad Deum & res divinas non elevant, sed in humum ac res terrenas deorsum deflectunt Luc. 17, 31. 32. 33. imò, quod pejus, in Diaboli nutum, à quo erant liberati, reflectunt, Luc. 11, 26. 2. Pet. 2, 20. 21. neque Deus suos oculos super eos adhibet; qui tantùm sunt super metuentes eum Psal. 33, 18. & 34, 18. oculos enim super aliquem adhibere est verè aliquem curare Jer. 39, 12. & 40, 4. qui autem oculos ad Deum elevant, hos ille vicissim respicit Psal. 123, 2. & si quis cum Lydia ad Dei verbum attendit, ei cor aperit Act. 16, 14.

Attendamus in sacris.

Tepidos Deus exspuit.

Super pios oculos adhibet.

Cornua mundi cornu salutis frangit.

II. *Quatuor cornua*] Semper Ecclesia habet suos hostes in mundo Joh. 16,33. quia ipsa est selecta de mundo Johan. 15, 19. sed hoc solatur eam, quod Christus ejus rex dominatur in medio inimicorum suorum Psal. 110, 2. qui contra cornua improborum est cornu salutis Luc. 1, 69. dicant sanè illi, qua sunt confidentiâ, nonne robore nostro adsumsimus nobis cornua? Amos 6, 13. respondebit Christus per Davidem præfiguratus: omnia cornua improborum succidam, ut exaltentur cornua hominis justi Psal. 75, 11.

Ex vers. 2.]

Dei voluntas est inquirenda in verbo.

I. *Dicente me angelo illi*] Docet hîc propheta, quemadmodum alij 1. Pet. 1, 11. suo exemplo, decere pios, ut voluntatem Dei studiosè semper inquirant, & nunc quidem in revelato verbo, in quo nobis loquitur Deut. 6, 7. 8. 1. Timoth. 4, 13. Joh. 5, 39. Luc. 16, 29. Eph. 4, 17.

Qui rectè petit, accipit.

II. *Dixit mihi*] Quisquis rectè petit 1. Joh. 5, 14. Jacob 4, 3. accipit à Deo Matth. 7, 7. Joh. 16, 23. quia nullum ad se venientem, Christus foras ejicit Joh. 6, 37. & mansuetos docet viam suam Ps. 25, 9.

Ecclesia uni loco inclusa est alligata, sæpe premitur.

III. *Quæ sparserunt Iehudam*] Quando h.l. Jehuda, Israel & Jerosolyma dispersa dicuntur, & refutantur Pontificij, asserentes Ecclesiam veram uni certo loco esse alligatam, qua de re in loco de Ecclesia pluribus solet agi: & discimus nos, etiã veram Ecclesiã sæpius dispergi, alijsq; modis miserè ad tempus affligi & vastari, ut testantur historiæ cum V. tum N. T. plurimæ, quando in captivitatem Judæi sunt abducti, tempore Maccabæorum, postea Romanorum bellis attriti, & tantum non consumpti, ac deinde Christiani multorum Imperatorum, quin & Pontificum Romanorum persecutionibus crudelissimis oppressi.

PARS

PARS SECUNDA.

Vers. 3.] Et hactenus mihi est ostensum Ecclesiæ malum illatum: porrò etiam mihi est oblatum remedium eidem paratum. Nam *deinde ostendit mihi Iehova quatuor fabros*, malleis alijsq; ferramentis instructos, ex quibus eos agnovi, judiciorum Dei administros, quos ipse etiam undiquaq; ex omnibus quatuor mundi angulis contra Ecclesiæ hostes, qui hactenus eam afflixerant, ædificationemq; urbis ac templi impedierant, congregavit, ut ex ijsdem locis afferri videamus remedium, ex quibus venerat malum. Et hæc est secunda visio: audi verò, quæ mihi ejus data sit explicatio.

4. fabri quid notent.

Vers. 4.] *Cum dicerem, quid isti veniant facturi? eloquutus est* ille angelus, angelorum Dominus Jehova, *dicendo, illa cornua, quæ sparserunt Iudæam, adeò ut quisquam non potuerit in ea efferre caput suum*, adversarijs illis resistere, jugumq; impositum excutere (tollere enim caput in scriptura est libertatis & lætitiæ, præcipuè post liberationem partam, signum, confer Psal. 3, 4. & 27, 6. & 11, 7. Luc. 21, 28.) *jam venerunt isti fabri*, primùm ad perterre faciendum, deinde ad evertendum *ad deterrendum*, inquam, *illa cornua*, & si tum nondum cessant malefacere, *ad* planè *dejiciendum cornua gentium quæ sustulerant cornu*, (hoc est, superbierant, cùm alijs nocere poterant) *in & contra terram Iehudæ ad spargendum eam*. Levare enim vel tollere cornu ita in scriptura usurpatur Ps. 75, 5. 6. metaphorà à petulcis & cornupetis animalibus desumptâ. Confer quæ suprà ad vers. 1. sunt allegata.

Tollere caput libertatis signum.

Tollere cornu.

LOCI

CAPUT SECUNDUM
LOCI COMMUNES.

Ex vers. 3.]

Divinitus protegitur Ecclesia.

Ostendit mihi Iehova quatuor fabros] Quando Jehova ostendit & producit hos fabros, discimus, cœlitus Ecclesiæ paratum esse auxilium, etiam tum, cùm res planè desperatæ & in acie novaculæ constitutæ videntur, exemplo sunt Israelitæ ad mare rubrum consistentes Exod. 14. & postea sub judicibus sæpissimè, sicut & deinceps sub regibus miraculosè liberati Jud. cap. 3. 4. 7. 10. 11. 12. 14. 1. Sam. c. 7. 11. 14. 17. 2. Sam. c. 8. 2. Reg. c. 7. 19.

Ex vers. 4.]

Dei omnipotentia.

Venerunt ad deijciendum illa cornua gentium] Nulla potentia est adversus Dominum, qui est Deus in cœlis, & dominatur in omnia regna gentium, ita ut in manu ejus sit vis & potentia, cui nemo potest obsistere 2. Chron. 20, 6. 7. ecquis consisteret coram eo, ex quo tempore irascitur Psal. 76, 8. coguntur omnes tyranni confiteri: tibi brachium est cum potentia Psal. 89, 14. tu detrahis potentes (sua majestate abutentes) de throno Luc. 1, 52. dixit quidem Pharao primùm, quis est Jehova, cujus voci auscultem? Exod. 5, 2. sed postea suo magno cum malo id expertus est Exod. 14, 18. 25. 27. dixit item Holofernes, quis est Deus nisi Nebucadnetzar, qui missurus est potentiam suam, &c. Judith. 9, 2. 5. sed correxit pia Judith sic orans. Domine Deus omnis potentiæ respice. Jud. 13, 6. Dixit Nebucadnetzar, annon hæc est Babylon illa magna, quam ego ædificavi, ut esset ornamentum decoris mei, robore potentiæ meæ? sed postea depressus humiliter confitebatur, glorifico regem cœli, qui ambulantes in superbia potest deijcere Dan. 4, 30. 37.

formidanda tyrannis.

PARS

PARS TERTIA.

Vers. 5.] Atq; hactenus, quid adversarijs Ecclesiæ fiat, exposuit: sequitur, quid Deus ipsâ facturus sit, ubi sub typo Jerosolymæ terrenæ, spiritualis, hoc est, Ecclesiæ fortuna adumbratur. Licet enim hæc in Judæorum ex captivitate reductorum, & urbem ac templum ædificantium consolationem dicta sint, complementum tamen præcipuum habent in Christo, qui in N. T. in illa urbe primùm omnium Ecclesiam collegit, & inde per totum terrarum orbem dispersit, quomodo omnes hîc invitantur, ut hujus mundi Babylone relictâ & sancto amore inflammati, rebus terrenis relictis huc contendant, illorum exemplo, qui ex captivitate Babylonicâ dimissi, Jerosolymam se conferebant. *Jerosolyma typus Ecclesiæ.*

Nam iterum sustuli oculos meos & vidi, sup. v. 1. *& ecce virum*, Christum scilicet, qui specie viri se obtulit, tum ne terreat, tum ut futuræ incarnationis mysterium adumbret, sup. c. 1, v. 8. *& in manu ejus viri*, in consolationem Ecclesiæ prodeuntis, *funiculum mensorium*, quo architecti in exstructione magnorum ædificiorum uti solent, quemadmodum idem typus eodem ferè modo, quanquam copiosiùs exponitur Ezech. 40, v. 3. & c. 41, & 42. Apoc. 11, 1, 2. Typicè vero potius quàm simpliciter ista hîc proponuntur, tum ut diligentius Judæi animum advertant, tum ut melius resipsa hac picturâ oculis subijciatur & illustretur, tum denique ut hæc tàm augusta promissio sub formâ planè divina & stupenda, & condignè, prout tantæ rei majestatem decebat, proponeretur. *Christus apparet viri specie. Funiculi mensorij typus, Cur hîc adhibeatur. Ratio 1. 2. 3.*

Vers. 6.] Cum autem vidissem virum illum festinantem, cumque isto funiculo properantem, ut dimetiretur

aliquem locum, *dixi, quò vadis?* & ille *dixit mihi, ad mensurandum Ieroſolymam*, quæ mox ædificabitur ſup. c. 1. v. 16. & juſtâ ſuaq; longitudine & latitudine reponetur (prout ejus rei complementum deſcribitur Nehem. 3. confer Dan. 9. v. 26.) *ut videant* ejus ſtructores, quos Deus ad illud delegavit officium, *quanta* ſit futura *latitudo* ejus, & *quanta longitudo ejus*.

Chriſto angelus obvius inſervit.

Verſ. 7.] *Ecce autem angelo illo*, qui *loquebatur in me, procedente*, & vadendo v. 2. *pergente*, *angelus alter* creatus ad obſervandum & accipiendum ſui Domini, angeli illius increati, mandatum promptiſſimus, *obviam ipſi proceſſit* & feſtinavit ut alloqueretur me propiùs, viſionesq; ac promiſſiones exponeret, ut ita certitudo concionis etiam conſtaret, quando plures idem denunciabant.

Zacharias puer.

1.

2.

3.

Verſ. 8.] Huic enim Jehova Dei filius *edixit*, cum ego Zacharias deprocul & remotus ab ipſo ſtabam, *curre*, quàm celerrimè hoc Evangelium denuncia, *alloquere Zachariam puerum iſtum*, ſive ætate adhuc talem, quod ego in medio relinquo, & cum ſcriptura tacente ſatius eſſe duco tacere, quàm hac in re certi quid cum quibusdam Interpretibus affirmare: ſive potius, quod facilè more pueri credat Matt. 18, 3. & reſpectu angeli ſe humiliet: ſive ratione officij, cum Dei eſſet miniſter, qui more pueri ad ejus juſſum accurreret (quomodo etiam ætate maturi dicuntur pueri Exod. 33, 11. 1. Reg. 11, 28. 2. Reg. 4, 12. & 19, 6.) ad hunc puerum verba facies *ſic dicendo*: Ipſe Jehova omnipotens me ad te mittit, & veraciter promittit, fore ut hæc urbs Jeroſolyma, quæ nunc adhuc in ruinis jacet, inſtauretur, & fiat populoſiſſima, omniq; animalium, rerumq; ad civitates tuendas neceſſariarum genere abundans, adeò ut ex ipſa urbe, quippe

Puer miniſterio.

Jeroſolyma non capit omnes incolas.

quippè quæ illam multitudinem non capiat, hæc in pagos sit redundatura: inprimis verò in N. T. in hac urbe tantus erit hominum conversorum concursus, ut in urbe non sit locus, sed me mirabiliter permittente aliquam, in Apostolos, eisq; adhærentes, institui persecutionem, hinc inde dispergentur in vicina oppida, sicut in Actis cap. 8, 1. &c. legere est. Typicè igitur primùm innumera erit fere civium Jerosolymæ multitudo, adeo ut *per pagos*, (ita enim, ut aliàs sæpè, præpositionis inseparabilis ב ellipsis hîc supplenda est) & villas cives ejus urbis *Ierosolymæ habitare* necesse habeant *præ multitudine hominum & jumentorum* versantium *in eâ*. Deinde verò in antitypo seu Ecclesia, præsertim N. T. complementum hujus vaticinij erit perfectissimum, quippe cujus cives valdè multiplicabuntur, ità tamen, ut non omnes æquè perfecti futuri sint, sed alij homines, alij autem horum respectu (quandoquidem adhuc rebus terrenis incumbunt more pecudum) jumenta videantur.

Ellipsis ב.

Civium Ierosolymæ multitudo,

& Ecclesiæ.

Vers. 9.] Dicas verò, sita absq; munitionibus externisq; præsidijs habitabunt, parum tuti erunt ab hostium incursionibus? imò hi eos muros, primitus exstructos, ridebunt Nehemiæ 4, 3? audi, quantumvis urbs illa sancta & Ecclesia nullis propugnaculis, vel valdè infirmis tantùm munita sit, tamen Deus illam conservabit, cujus præsidio, angelorumquè sanctorum custodia ejus cives sat tuti futuri sunt. Nam sic ait *Iehova*, & hoc est ipsius *dictum* ac promissum: Et *ego* omnipotens ille Monarcha, quo protegente, quis pios oppugnabit aut damnum illis inferet? ego ipse, deficiente muro lapideo, ero *murus igneus circumquaq;* Psal. 125, 2. hostibus ejus formidabilis, eosq; si propius accesserint, ut ignis res objectas consumens, & ultorem terribilem

Ecclesiæ murus.

Deus est, & quidem igneus.

bilem me exhibens Esa. 26, 1. & 60, 18. quemadmodum olim Israelitas nube ignis duxi & mirabiliter protexi Exod. 13, 21. 22. & 14, 19. 20. 24. & Elisæum prophetam igneo exercitu circumvallavi 2. Reg. 6, 17. atq; ita exteriùs Ecclesiam defendam, & contra ejus hostes me geram: Interiùs verò ejus cives multis magnisq; beneficijs afficiam, *gloriæ ero in medio ejus* Esa. 66, 1. gloriaq; illa erit illustris, non vana aut momentanea, sed perpetua, quam Deus æternus gratiosâ meâ afferam præsentiâ, ut inde ipsi me glorificent, alijq; meam magnam agnoscant gloriam. Quæ cum ita sint, annon meritò huc se conferant omnes, quotquot sibi benè esse cupiunt? omnino hoc consultum est.

Etiam gloriam affert Ecclesiæ.

Vers. 10.] Veruntamen quia non omnes, quid sit ê re sua, intelligunt, age præterea illos excitabo, atq; hac ratione subijcitur exhortatio cum ἀλληγορίᾳ ad Judæos directa, & sub eorum persona ad quosvis, ut hanc Ecclesiæ felicitatem, quæ jam explicata est, amplectantur, & ad eam se quàm celerrimè rebus relictis conferant: eaq; ὑποφάνεσις fuit maximè necessaria, tùm temporis, tùm hominum ratione: temporis, quia omnia videbantur prorsus desperata: hominum, quia pleriq; erant valdè tardi, unde etiam ter ex Babylonia sunt evocati, & qui voluerunt, educti, primùm per Zerubabelem Esd. 1. & 2. postea per Esdram Esd. 7. deniq; per Nehemiam Neh. 2. Sic autem sonat divinum κέλευσμα. *Heus heus*, aures sunt vobis, quibus audire potestis, audite, memoriq; reponite mente, quæ dico, *jam fugite*, hoc est, scripturæ stylo, quam celerrimè abite *exterra Aquilonis*, quæ quamvis arrideat propter commoda quædam externa, carcer tamen est & exilium, & quamdiu hîc manetis, pœnam sustinetis, *dictum Iehovæ*, fuga ex malis

Exhortatio necessaria ratione temporis & hominum: Ter ex Babylonia Iudæi evocati.

Egrediendum ex Babylone,

malis præsentibus & venturis vos eripite, quæ eadem ad eos, qui mundo adhærent, & nondum ad Ecclesiam properant, optimè accommodari possunt. Confer Esa. 48, 20. & Apoc. 17, 5. & 18, 2. 4. 10. ubi hujus rei applicationisque fundamentum ostenditur. Heus heus facite, quæ vos decent, cum ego Jehova fecerim, abundeq; præstiterim, quæ à me requiri poterant, *quum* ego *expanderim vos, quam latè patent quatuor venti cœlorum* (confer v. 3. hujus cap.) *dictum Iehovæ*, quum vobis, qui priùs in servitute angustissima tanquam aviculæ in cavea detinebamini, copiam tàm illustrem fecerim per Reges Persarum, utendi cœlo libero, & ex Babylonico ergastulo ex animi vestri sententia evolandi, ducesq; ad hanc rem satis egregios dedi Zerubabelem, Esdram & Nehemiam.

& hujus mundi.

Deus facit potestatem exeundi.

Vers. 11.] Verùm hæc corporalia: ecce & spiritualia ac majora. nam postea Christum ipsum mittam, qui vos ex potestate Satanæ liberet, & Evangelium per totum terrarum orbem dispergendum curet, quomodo iterum complementum perfectissimum potius est in antitypo, quàm typo. Non enim ipsi Judæi reduces ex captivitate Babylonica tam latè sunt dispersi, quàm quatuor venti cœlorum patent, nisi quis proverbialiter, & per ἄυξησιν hyperbolicam velit hæc verba accipere. Ea autem exhortatio, ut tantò melius animos multorum inflammaret, ejus repetitio instituitur cum amplificatione, quæ sumitur ex comparatione locorum Sionis & Babylonis, in typo; in antitypo, mundi & regni cœlorum. *Heus Sion* ex captivitate, in qua detineris, *te libera*, in illis membris, quæ in Babylonico remanserunt exilio, *quæ desides* hoc respectu adhuc *apud filiam Babylonis*, hoc est, juxta scripturæ stylum (quibusdam scri-

Christus Evangelium sparsit per totum orbem.

Exhortatio repetitur.

scripturæ in locis) in villis, pagis. civitati & imperio Babyloniorum subjectis: cum possis hic non tantùm in libera, eaq; ampliſſima urbe tutò vivere, imò regnare, quæ si ibi tandem miserè perieris, per te unam stabit, cum te liberare nolueris tantâ commoditate oblatâ.

Promissiones & exhortationes.

Vers. 12.] Exhortationi explicatæ, & sat sedulò inculcatæ, subnectitur quædam commoratio, quæ partim promissionibus, partim novis exhortationibus constat, quarum illæ sunt cùm de Ecclesiæ Dei felici statu, tum de hostium exitio, hæ autem pijs addunt animum ad illas fideles amplectendas. *Nam sic ait* Iehova, Dominus *exercituum*, qui *post* indictam *gloriam* sup. v. 5. (quando jam ipse filius Dei missus in mundum cœpero promissa implere & præcipuè, quando miraculis me Dominum gloriæ ostendero) *misit me*, hanc prophetiam per me λόγον edit jam longè ante *contra gentes istas, quæ depradatæ sunt vos*, ut aut Ecclesiæ se subijciant, actâ pœnitentiâ, aut eam odio porro prosequentes intereant, quum inultam injuriam, Ecclesiæ illatam, auferre haud queant, quia, *qui tangit vos* Ecclesiæ cives, ejusq; ministros, ac propagatores (confer sup. v. 5. quia ad securitatem ibi promissam hîc denuo respicit propheta) *ille tangit pupillam oculi ipsius Dei*, qui hæc loquutus est, Ecclesiamq; tam caram habet, ut quis oculi sui pupillam, quam summo studio conservat ac defendit, sicut olim Deus Ecclesiam Judaicam eodem modo custodivit Deut. 32, 10. & quisq; cum Davide, ut ita custodiatur, rogat ex Psal. 17, 8.

Mittitur Christus.

Pupilla oculi Dei.

comparationis hujus membrum I.

Et sanè hæc similitudo egregiè declarat, quàm cara Deo sit Ecclesia, & simul quæ ejus conditio. Ut enim I. oculi pupilla, si cum reliquis oculi partibus & corporis mem-

membris conferatur, abjecta & non multum necessaria videtur: attamen hæc una est lucis capax, eandemq; toti corpori submministrat, omnesq; actiones illius dirigit: Ita si Ecclesiam spectes, eamq; cum hujus mundi regnis, aut ejus cives cum alijs impijs conferas, nihil his contemptibilius quicquam apparet, ut etiam à plerisq; pro exverris habeantur 1. Cor. 4, 13. attamen hæc sola & unica lucis illius divinæ, æternæq;, quam in verbo suo Deus accendit, est capax, & hâc porrò per illam homines in tenebris degentes illuminat, ac quomodo omnes actiones rectè sint instituendæ, monstrat II. ut oculi pupilla tenerrima est, & periculis multis exposita, cum eam etiam minimus pulviſculus possit lædere: Sic Ecclesia, tenerrimus ille Dei filius undiq; injurijs est expositus. III. quemadmodum pupilla tamen palpebris exterius, & interius tunicâ cornea est munita: sic Ecclesia etiam habet quasdam defensiones, licet sæpius infirmas, exterius, intus verò animi constantia, patientia, spe, fide, Deiq; robore firmata est. IV. Deniq; ut homines inter membra sua omnia oculos suos habent carissimos, illosq;, ut servent, manus aut brachium potius, quàm illos volunt periclitari, dum hæc prætendunt, si quid periculi immineat, ne damnum illi capiant: Sic Deus in mundo nihil preciosius habet Ecclesiâ, quam sibi elegit in peculium, eiq; quando imminebat exitium, suum brachium, hoc est, filium (qui ita vocatur Es. 52, 10. & 53, 1. Luc. 1, 51. ut plerisq; interpretibus placet) prætendit, qui suo sanguine & morte eam redimeret, & aliàs sæpè multas creaturas potius periclitari, & in suo cursu subsistere coegit, dummodo Ecclesia servetur, sicut prolixius in loco de providentia Dei speciali & miraculosa seu extraordinaria solet declarari, quem-

Sola pupilla lucis capax, licet contemta,

sic Ecclesiæ cives & ministri.

2. est periculis expositæ.

3. habet defensionem.

4. est carissima.

Dei brachium Christus.

quemadmodum hanc similitudinem, satis bene in h. l. commentans Gualtherus maximam partem evolvere voluit.

Vers. 13.] Ut autem intelligant pij, quomodo fieri possit, (id quod videbatur esse ἐκ τῶν ἀδυνάτων) ut tot ac tanti populi evertantur, modus, quo id possit evenire, declaratur, videlicet, quod Deus ipse vindictam de obstinatis sumpturus, &, si qui dociles fuerint, sit conversurus. *Nam ecce*, id apud animum suum bene perpendant, si qui de complemento superioris promissionis dubitare inceperint. *Ego* Deus omnipotens *agitaturus sum*, non quidem validè totisq; viribus vibrabo, sed levitèr saltem agitabo, quando percussurus cæsurusq; sum, *manum meam contra illas gentes*, quomodo suam infinitam potentiam, & hostium, qui valdè jam ferociebant, impotentiam amplificat, *& erunt præda servis suis*, ab his sedibus suis ejectæ, quemadmodum de Cyro, Alexandro M. & Romanis testantur historiæ, quod quibus parebant, illis postea imperaverint; spiritualiter tamen hoc impletum est illustrius, quando conversi se suaq; omnia Ecclesiæ, quam antea oderant, devoverunt. Et ut sciatis rem, quam prædico, esse verissimam ad eventum provoco, *ita agnoscetis Iehovam*, Dominum *exercituum misisse me* filium suum unigenitum, qui hæc eloquutus sum sup. v. 8. & 12. & venturus sum in mundum, ut habitem inter vos Judæos, & vos cum gentibus conjuncti mihi sitis populus.

Deus agitat manū.

Deus pater misit Christum.

Vers. 14.] Hoc autem cum certò futurum sit, tu ô *filia Sionis, cane & lætare*, quomodo confirmatio à signo, lætitia videlicet ingenti publica & manifesta, apponitur. Cur verò cantandum & lætandum? quia Deus ipse venit, & cum

Veniente Deo lætandum.

cum eo bona omnia. Ita enim ipse de seipso, quia *ecce* sup. v. 9. *ego* non deinceps in umbris, ut in V. T. sed ipsum corpus adumbratum, non tantùm ἐνεργητικῶς καὶ ἀορίτως in verbo & operibus, sed & conspicuè καὶ σωματικῶς Col. 2, 9. in carne 1. Timoth. 3, 16. *venturus* sum, *& habitaturus in medio tui* Joh. 1, 14. *dictum Iehovæ.*

Christi incarnatio.

Vers. 15.] Verùm ego mundi Messias nõ constituam corporale imperiũ, sed spirituale, in quo gentes cõvertentur sub initiũ N.T. magnâ copiâ Es. 2. Mich. 4. Nam *die illo*, h.e. prophetarum stylo, tempore N.T. *adjungentes se gentes multæ Iehovæ erunt mihi populus*, quem amãter complectar, beneficijsq; adimpleam, cuiq; ego dicam, *tum habitante in medio tui* me, ô Ecclesia, *agnosces Iehovam*, Dominum *exercituum misisse me ad te*, qui hæc tibi nunciem, & tandem in plenitudine temporis compleam.

Dies N.T.

Gentium vocatio.

Vers. 16.] Ne autem Gentium vocationem asserens Judæis spem salutis denegasse videatur, concluturus & eandem gratiam, qua patres ipsorum est complexus, his eorum posteris quoq; promittit, & ea, quæ hactenus aliquo modo obscurè dicta sunt, quatenus referenda sunt ad N. T. magis perspicuè declarat: *Tum* per Evangelij prædicationem Catholicam in Ecclesiæ gremium susceptis gentibus, *possidebit Iehova Iehudam portionem suam* sibi ex genere humano delectam & valdè dilectam Psal. 87, 1. 2. Ecclesiam obtinebit *in terrâ sanctâ*, quæ hactenus quodammodo fuit profanata, depopulationibusq; hostium polluta, *& elegit porrò* ac deinceps in seculum *suam Ieroselymam* sup. 1, 17.

Judæi etiam admittũtur.

Vers. 17.] Postremo unum forte adhuc supereſt, quod tibi movet scrupulum, nempe hostium minæ, apparatus, potentia? Age verò, non cogitas, quàm iniqua hic com-

Hostibus omnibus unus Je-

hova opponatur.

paratio instituatur abs te, quando creaturam creatori, carnem imbecillem ac infirmam omnipotenti Jehovæ opponis, cui nemo audet impunè obmurmurare, nedum resistere. vide sup. v. 13. conticescant jam omnes tumultus, quando ille princeps pacis adest: Dico, edico tibi nomine Dei, cujus verba sunt, quæ hactenus protuli, *sile universa caro* Habac. 2, 20. Sophon. 1, 7. quæ quantumvis fortis tibi videare, nihil es ad Deum collata, sile *à facie Iehovæ* irati, quum processerit tanquam è cubili suo in publicum ad regendam Ecclesiam suam Evangelio, *quum excitatus fuerit ex habitaculo sanctitatis suæ*, ex ipso cœlo, siquidem cum hactenus Deus suos non ità vindicavit, quasi dormire visus est, quando suos sinebat affligi, nunc verò cum cœlitus læta pijs, infausta verò impijs signa editurus est, omnes agnoscent eum velut excitatum esse, & ad ultionem sumendam exsurrexisse Ps. 44, 12. 23. & 74, 3.

Sileat omnis caro.

Deus excitatus surgit.

Tota creatura hîc sileas, ait ipse creator,
Et tu mortalis tristibus aucte malis,
Hoc scito, & digito petulans compesce labellum,
Qui tantùm es fragilis debile carnis onus.

LOCI COMMUNES.

Ex vers. 5.]

Christus in N.T. fit homo,

I. *Ecce virum*] Christus in V. T. sæpius viri formâ patribus apparuit Gen. 18, 2. 17. 33. & 32, 24. Hos. 12, 5. Jud. 13, 6. Ezech. 40, 3. (confer sup. c. 1, v. 8. L. C. 1.) & in N. T. viri formam carnem & sanguinem assumpsit Heb. 2, 14. 16. ut fieret mediator inter Deum & genus humanum 1. Timoth. 2, 5. unde debuit per omnia fratribus similis fieri, ut misericors esset & fidelis pontifex in ijs, quæ apud Deum peragenda

& fidelis mediator.

genda Heb. 2, 17. 18. non enim habemus pontificem, qui non possit affici sensu infirmitatum nostrarum, sed tentatum in omnibus similiter absq; tamen peccato. Accedamus igitur cum loquendi ubertate ad thronum gratiæ, ut consequamur misericordiam, & gratiam inveniamus ad opportunum auxilium Heb. 4, 15. 16.

II. *In manu ejus funiculum mensorium*] Cum Christus ipse hoc loco dimetitur Ecclesiæ aream, discimus, quod Ecclesiæ propagatio sit opus divinum Eph. 2, 21. & 4, 16. Illud verò hinc non sequitur, quod inde *Gualtherus* conatur educere, prædestinationem & reprobationem esse absolutam, dum ita colligit: quemadmodum hic Christus funiculo mensorio aliquam terræ partem metitur, & reliquas mittit, ita in prædestinationis negotio quosdam præterit. Nam ut taceam primùm, quod expressè testentur sacræ literæ, Deum ex toto mundo omnes tribus vicibus vocasse, velle ut omnes salventur, & ut possint salvari, eum ordinasse certa media, quibus ad hunc finem perveniant, quibus tamen, cum possent, qui nolunt uti, suâ culpâ pereunt, id quod h. l. ipse funiculus mensorius seu regula præscripta innuit, Deum certos præscribere limites & tramites, quibus velit homines ad beatitudinem tendere, id observandum est, primùm quod dimetiatur Jerosolymam totam v. seqq. & 16. illa autem notat Ecclesiam. quotquot igitur sunt in hac, illi omnes & soli pertinent ex hypothesi Gualtheri ad prædestinatorum numerum, quia sunt in terra, quam Christus dimensus est, quod tamen est falsissimum, cum plures in ipsa Ecclesia æternùm pereant & reprobentur, ut de Judæis constat. Secundò quomodo potest id esse absolutum, quod est circumscriptum & determinatum? hæc au-

Ecclesiæ propagatio opus Dei.

Gualtherus hinc malè probat absolutum decretum.

Ratio 1.

2.

3.

tem terra determinatur funiculo mensorio, hoc est, Canone sacrarum literarum, quem qui sequitur & tenet ad finem, ille salvatur Rom. 10, 18. Gal. 6, 16. Phil. 3, 15. 16. Joh. 8, 51.

4. Deniq; non agitur hic de quorundam in Ecclesia ad vitam æternam prædestinatione, sed de totius Ecclesiæ visibilis constitutione & propagatione, quia non tantùm de hominibus seu verè pijs & credentibus, sed etiam de jumentis v. 8. ac de illis, qui adhuc desident in terra aquilonis & regno Babylonis, h. est, diaboli v. 10. 11. agitur.

Ex vers. 6.]

In Dei opera inquirendum.

I. *Dixi, quo vadis?*] Quum prophetæ tam studiosè in mysteria sacra inquisierint, quid nos facere oportet? sup. v. 2. L. C. 1. adde Matth. 7, 7. Jacobi 1, 5. semper cùm videmus Dei viam ac vestigia, hoc est, opera, per quæ se manifestat, dicamus, Domine, quo vadis? quem in finem illa præstas? quid nobis significas? Ps. 77, 14. 20. & 65, 12. & 68, 8. 25.

II. *Ad mensurandum Ierosolymam*] Deus semper adest suæ Ecclesiæ, eamq; tuetur, & velut funiculo circumscribit, quousq; ejus hostes sint perventuri, Psal. 46, 2. 6. 10. & 48, 4. 9. Es. 37, 29. ipsam enim velut architectus ædificat. Ps. 87, 1. 2. 5.

Ex vers. 7.]

Σὺν τῷ ἐρχομένῳ

I. *Angelus alter processit*] Propter infirmitatem nostram Deus in ore duorum angelorum idem verbum suum voluit consistere, & aliàs sæpe suis servis collegas adjunxit, qua de re dictum est pluribus sup. c. 1. v. 1. L. C. 1.

Christus

II. *Obviam ipsi*] Quando hic angelus Christo se ministrum

strum præbet, ille angelis superior est, eorumq; Dominus, & proinde verus Deus Heb. *1, 4.*

angelorum Dominus.

Ex versu 8.]

I. *Curre alloquere*] Quod Deus seriò velit hominum, quos vocandos curat, salutem, inde satis liquet, quod non tantum homines nuncios pacis & evangelizantes bonum Es. 52, 7. Nah. 1, *15.* Rom. *10*, 5. extrudit Matth. 7, 38. dicens unicuiq;, exi citò Luc. 14, *21.* vel omnibus in genere, ite Matth. *22*, 9. & *28*, *19.* imò ipse summo mane vocat operarios in suam vineam Matth. *20*, *1.* verùm etiam suos angelos ministerij causa emittit propter eos, qui hæredes salutis futuri sunt Heb. *1*, *14.* ut voluntatem ejus hominibus patefaciant, sicut testantur exempla Agar, Abrahæ.

Revelatur voluntas Dei ab hominibus.

& angelis.

II. *Puerum istum*] Cùm propheta noster puer vocatur, id indicatur, decere verbi divini ministros legitimè vocatos more puerorum Deo suo semper apparere, in ejus conspectu stare & ambulare, ingredi ac egredi, hoc est, sui officij obire munia, neq; multum cum carne & sanguine super ijs, quæ Deus injunxit, consultare, sed liberorum more ista omnia suo sapientissimo parenti committere, & pueros non in doctrina, verùm in malitia evadere, vide & confer hæc loca Exod. *33*, *11.* Deut. 10, 8. *1.* Reg. *17*, *1.* Gen. 5. *22.* Num. *27*, *17.* Actor. *1*, *21.* Prov. *1*, 4. Ephes. 4, 14. 1. Corinth. 14, *20.*

Præcones verbi sunt pueri Dei.

III. *Per pagos habitabunt cives urbis Ierosolymæ*) Deo benedicente urbes crescunt sup. c. *1.* v. *16.* L. C. 2. & maledicente decrescunt Psal. *127*, *1.* Prov. 11, *10.* *11.* Deut. 28, *3.13.* & idem est rex civitatis magnæ ac gloriosæ, hoc est, Ecclesiæ Psal. 48, 3. 9. & 87, 2. 3. quæ quam maximè in initio N. T.

Civitatis incrementũ a Deo, etiam Ecclesiæ.

amplificata est, per totum mundum sparsâ Evangelij doctrinâ Matth. 28, 19. Col. 1, 23. Eph. 2. tum enim revera impletum est illud, per pagos habitabunt, quando Christus dixit, ite ad compita viarum, & quotcunq; inveneritis, vocate ad nuptias Matth. 22, 9. & illud quando auditum est, Abi ad vias & sepes Luc. 14, 23. hoc est, ad gentes, quæ erant alienatæ à civili statu Israelis Eph. 2, 12.

Ecclesia habet bonos & malos,

IV. *Et jumentorum*] In Ecclesia non tantùm sunt perfecti, sed etiam imperfecti, non tantùm boni, sed etiam mali, non tantùm videntes, sed etiam cæci, non tantùm benè incedentes, sed etiam claudi, ut in modo allegatis locis expressè legere est, & multæ parabolæ probant, de quibus vide Matth. 13, 47. & 22, 10. 12. & 20, 2. Es. 5, 2. Joh. 15, 1. Johan. 10, 1. 2. Tim. 2, 20. sicut etiam idipsum testantur exempla 1. Joh. 3, 12. 2. Pet. 2, 5. 6. 7. Rom. 9, 7. 13. & typus arcæ Noæ recipientis bonos & malos homines, munda & immunda animalia declarat 1. Pet. 3, 20. 21.

Ex vers. 9.]

Deus est igneus murus.

I. *Ego ero murus igneus*] Deus suos tuetur & defendit fortiter, estq; illis petra, propugnaculum, rupes, clypeus, cornu Psal. 18, 2. 3. hostibus enim ipsorum est ignis consumens Deut. 4, 14. Heb. 12, 29. non verò tantum est ignis adversarios terrens & devorans, si accesserint propiùs, sed & murus, quia & undiquaq; tegit, ante, pone, supra, infra, dextra, sinistra, ut murus cingens urbem, & constantem defensorem se præbet, ut murus diu subsistit, & deniq; ut murus etiam urbi addit decus, ita Deus suos gloriâ & honore afficit.

1.
2.
3.

Ecclesiæ ornatus interior.

II. *Gloria ero in medio ejus*] Quamvis enim Ecclesia, secundum carnis judicium exteriùs coram mundo est valdè con-

contemta, tamen ejus ornatus est interior Ps. 45, 14. nec regnum Dei venit cum observatione Luc. 17, 20. & hactenus Ecclesia est invisibilis, vide & confer hæc loca 1. Reg. 19, 14. Rom. 2, 29. Col. 3, 3. 4. 1. Pet. 3, 9. 2. Tim. 2, 19. quibus adde, quæ habet Lutherus in margine 1. Reg. 6, v. 4. quorum fundamentum est, quod templum Jerosolymitanum fuerit typus Ecclesiæ cum omnibus suis ornamentis, sicut hinc in de N. T. præcipuè v. in Epist. ad Heb. declaratur.

Ex vers. 10.]

Fugite ex terra aquilonis] Conversatio & communicatio cum malis omnibus bonis est severè interdicta 1. Cor: 5, 6. 7. 11. 2. Cor. 6, 14. 15. 16. 17. Eph. 5, 6. 7. 11. 2. Thess. 3, 6. 14. 2. Tim. 2, 16. 1. Joh. 5, 21. 2. Epistola v. 9. 10. 11. Jacob 4, 4. 7. Apoc. 18, 4. quia aquilo in scripturis quandoque mysticè notat opera tenebrarum, & mundum illis deditum. Ut enim ille quam maximè à sole remotus riget ac friget, ita impij à sole justitiæ Christo absunt longissimè, & ipsi tenebræ ac tenebras amantes, ab igne divini amoris nihil quicquam calent aut valent, & huc nomen Hebræum, quo dicitur צָפוֹן à Rad. צָפַן, i. e. abscondit, optimè quadrat, quia impij cupiunt se abscondere â facie Dei, ne illorum facta videat, & tandem Deus illis suam abscondit faciem, ne ipsum in æternum videant.

Conversatio cum malis est vetita.

Aquilo spiritualis

צָפוֹן

Ex vers. 11.]

Heus Sion, libera te, quæ desides] Quia olim Babylone fuerunt multi mali, hinc deinceps Synecdochicè per quandã antonomasian in scriptura id nomen pro omni loco ponitur, in quo sunt homines pessimi, præcipuè verò pro ea civitate, in qua potissimum regnat Anti Christus Apoc. 14, 7. & 16,

Babylon spiritualis,

& 16, 19. & 17, 5. & 18, 2. 3. 4. Contrà verò, quia in monte Sionis olim erat templum & multi pij, pro Ecclesia deinceps sæpè accipitur. Docemur igitur h. l. quotquot revera volunt esse cives Sionis, hoc est, Ecclesiæ, ejusq; privilegijs & bonis æternùm frui, eos decere, ne desideant apud filiam Babyloniæ, hoc est, in villis vilibus ac pagis vagis, sed confugiant ad civitatem Dei fortis, eam civitatem, quæ manet in omnem æternitatem.

& Sion.

Ex vers. 12.]

Increduli damnantur.

I. *Post gloriam misit me contra gentes quæ deprædatæ sunt*] Christo regi gloriæ Heb. 12, 28. & 13, 14. qui credere & cedere per Evangelium vocati noluerunt suâ culpâ in lapidem hunc offendiculi collisi sunt Es. 8, 14. Luc. 2, 34. 1. Pet. 2, 6. quemadmodum exemplo Judæorum in primitiva Ecclesia, & quorundam Imperatorum, præcipuè Juliani Apostatæ, facilimè potest probari.

Christus læditur in membris suis. (Tangere.)

II. *Qui tangit vos, tangit pupillam oculi ejus*] Qui membra Ecclesiæ lædit, Christum ipsum ejus regem ac caput lædit Act. 9, 5. Col. 1, 24. Is enim semper desuper acclamat, ne attingitote (puta mali inferendi gratia, ut & h. l. apud prophetam tangere ita usurpatur, sicut etiam Amos 9, 5. Psal. 144, 5.) Christos meos Psal. 105, 15. hoc est, de ipso dictos Christianos Act. 11, 26. imò qui pios in miserijs constitutos negligit, Christum ipsum negligit Matth. 25, 45. quemadmodum contrà, quicquid beneficij confertur pijs, Christus sibi acceptum referet ibid. v. 40. quia hos longè habet carissimos.

Ex vers. 13.]

Oculi Dei,

I. *Agitaturus sum manum meam contra eas*] Quemadmo-

admodum Dei oculi vel sunt super & cum bonis in bonum Psal. 33, 18. vel super & contra malos in malum. Amos 9, 4. 8. quia notant ejus scientiam, quæ se pariter ad bonos & malos extendit Prov. 15, 3. ita manus Dei est vel super & cum bonis in bonum Nehem. 2, 8. 2. Sam. 24, 14. vel super & contra malos in malum (pœnæ puta) Heb. 10, 31. Psal. 21, 9. quia notat Dei potentiam, quæ pariter bonos & malos, licet magno cum discrimine, gubernat Psal. 139, 7. 8. 9. Heb. 1, 3. Esa. 48, 12. 13. Quisquis igitur es, sic te gere, ut possis semper expectare in malis manum Dei auxilium ferentis, nec opus habeas eam formidare velut judicis supplicium inferentis ac ferientis.

& manus in bonum & malum.

II. *Ita agnoscetis, Jehovam misisse me.*] Cùm hoc loco ad eventum provocat propheta, intelligimus, verbum Dei esse verissimum, nec unum intercidere, quin perficiatur 1. Sam. 3, 19. Luc. 1, 45. quod tam de minis, quam promissionibus Dei cogitandum est 2. Reg. 10, 10.

Dei verbũ verissimũ.

Ex vers. 14.]

Cane, quia venturus & habitaturus sum.] Gaudij veri unica causa est Dei gratiosa præsentia, qua de re Psal. 4, 7. 8. Habac. 3, 17, 18.

Ubi Deus, ibi gaudium.

Ex vers. 15.]

Et adjungentes se gentes multæ Jehovæ.] Gentium vocatio catholica & solennis in N. T. reservata sæpissimè in V. prædicta est, qua de re jam sæpè prolixiùs, vide saltem caput 4. Mich. finem cap. 9. Amos. cap. 3. Soph. vers. 20. Hagg. cap. 2. 6. 7.

Vocatio gentium.

Ex vers. 16.]

Possidebit Jehova portionem suam.] Ecclesia est Dei peculium,

Ecclesia est

Dei pecu-lium.

lium', & ex toto genere humano delecta hæreditas, quam diligit Psal. 87, 1. Exod. 19, 6. Deut. 7, 6. 1. Pet. 2, 5. 9. Tit. 2, 14. Ephes. 5, 25.

Ex vers. 17.]

Creaturæ coram Deo silent.

I. *Silè universa caro à facie Jehovæ*] Omnes creaturæ meritò ad nutum Dei velut exercitus ad jussa heri aut Imperatoris sui, conticescunt ac contremiscunt. vide Habac. 2, 20. L. C. 2. Soph. 1, 7. L. C. 1. confer. Job. 40, 4. Jer. 8, 14.

Deus evigilat.

II. *Quum excitatus fuerit ex habitaculo sanctitatis suæ*] Multis, pijs juxta & impijs, illis in rebus adversis, hisce rebus salvis ac secundis Deus videtur dormire, sed tandem evigilat Dominus, qui falsò visus fuerat tanquam dormiens, sicut robustus cantillans ex vino Psal. 78, 65. vide in Ps. 7, 7. Confer Ps. 35, 23. & 44, 24. & 59, 5. & 80, 3.

CAPUT TERTIUM.

Argumentum.

Summa.

SUperiorum promissionum non modò hîc est confirmatio, sed etiam quoddam complementum, ut intelligant pij, Deum velle in plenum suam restituere Ecclesiam, nec quicquam prætermittere earum rerum, quæ ad tantum beneficium integrum stabiliendum sunt necessariæ. Primò enim in typo dum Jehosua sacerdos maximus coram Deo consistens accusatur & absolvitur, vestibusq; preciosis ornatur, & benè de se suoq; populo sperare jubetur, si præcepta Dei custodiat, sacerdotalis muneris promittitur instauratio, cùm in ordine, tum in splendore, tum deniq; in successione & duratione: Quomodo hæc visio ad exhortationem & consolationem pertinet, ut nôrint

1.

mórint Judæi, se jussu Dei, ipsoq; protegente ac benedicente templi ædificationem ordiri. Deinde v. quia totum illud sacerdotium typis ac figuris Christum adumbrantibus constabat, de illo vaticinatur potissimùm, sacerdotij ejus firmitatem, Ecclesiæ ac cultus sui stabilitatem in virtute sua Deus constituram esse docet, dum quid utriq;, Jehosuæ adumbranti & adumbrato, sit collaturus bonorum, & quid etiam hic uterq; populo sit præstiturus, ostendit, & apertâ de Christi adventu, ejusq; beneficijs in vera Ecclesia membra redundaturis prophetiâ concludit, quorum omnium finis est, ut ad animum revocent Judæi, quod Deus Messiam pontificis maximi antitypum in hoc templo ac urbe, quæ jam ædificentur, sit exhibiturus. Nos autem inde discamus, eum jam pridem venisse, cùm illa jam sint sublata.

2.

3.

Scopus.

Partes capitis, populariter si dividas, possunt constitui tres: Earum I. est *typi manifestatio*, in qua studium diaboli conatus pios pontificis maximi impedientis, & Dei eos juvantis, Satanam profligantis, Ecclesiamq; suam ornantis ac salvantis, declaratur v. 1. 2. 3. 4. 5. II. *est gravis contestatio*, in qua pontifex, ejusq; auditores doctrinæ à Deo revelatæ alligantur, proposito præmio v. 6. 7. III. est aperta *de Messia*, ejusq; officijs ac beneficijs Ecclesiæ præstandis *vaticinatio* v. 8. 9. 10.

Analysis popularis Partes tres &

2.

3.

Gualtherus 4. ejus partes constituit I. ostendit Deus, unde sit vilis illa & contemptibilis sacerdotij species vers. 1. II. suam opem pollicetur, spem facit meliorem, req; ipsa præstat v. 2. III. præcepris summum sacerdotem instruit, quid porrò facere debeant, si feliciùs agere velint v. 6. 7. IV. quia illud sacerdotium totum figuris constabat, de

Alia. partes quatuor.

1.

2.

3.

4.

Christo prophetat, in quo verè tandem sunt impleta, quæ V. T. ceremonijs sunt adumbrata v. 8.

Alia. Partes duæ.

Nos verò paulò accuratiùs singula membra eorumque cohærentiam considerantes cum Tremellio & Junio caput hoc partimur in duo tmemata, prout capitis Ecclesiæ & sacerdotis summi (de quo hic potissimùm agitur) ratio duplex est, in priori typica in Jehosua Sacerdote Judæorum maximo v. 1. in posteriori simplex, quam typus significabat in Christo omnium piorum pontifice maximo v. 8. & seqq.

I. Typus ubi tria.

In typo sunt tria, quorum primum, ea, quam Christus pro servis suis fidelibus (quorum personam hic sustinebat solus Jehosua) adversus Satanam suscipit, defensio v. 1. 2. secundum, peccatorum remissio & per fidem justificatio, illa per vestes sordidas v. 3. ista per earum remotionem v. 4. hæc deniq; quod ad justitiam imputatam, per vestes mundas v. 5. denotatur. tertium, officij debiti pro tam insigni beneficio, restipulatio, & conjuncta promissio v. 6. 7.

1.

2.

3.

II. Antitypus ubi etiam tria.

In antitypo, Christo nimirum, ad complementum veritatemq; typi progreditur, & tria illa membra Jehosuæ figuræ & umbræ attributa, Jesu Christo vero corpori accommodantur. Primò igitur Christi in carnem adventum promittit v. 8. deinde ejus in defensione Ecclesiæ stabilitatem, similitudine lapis, septemq; oculorum, pòst in justificatione hominum alacritatem ostendit v. 9. & tandem ejus fructum insignem, videlicet conscientiæ pacem, in veris Ecclesiæ membris futuram pollicetur v. 10.

1.

2.

3.

PARS PRIOR.

Occasio horum.

Vers. 1.] Cum multa alia erant, quæ piorum fidem labefactare, eosdemq; ab opere cœpto ædificationis templi & ur-

& urbis abſterrere poterant, tum & illud, quod in ipſo ſacerdote maximo non ea majeſtas relucebat, quæ ante exilium fuerat, quando opibus immenſis & ornatu plusquam regali ille fulgebat, nunc verò miſerè cum ipſis vitam traherer. Huic ſcandalo jam etiam Deus occurrit, & quid cum ſacerdoti ipſi, tùm ejus antitypo Chriſto in Eccleſiæ bonum ſit collaturus, exponit, ut ita Judæis ædificantibus animum addat. Nam poſtquam Eccleſiæ reſtitutionem, ab hoſtibus liberationem, ac amplificationem ſuperioribus typis declaraverat Deus, *poſtea oſtendit mihi* prophetæ ſuo *Jehoſuam ſacerdotem maximum*, de quo Hagg. 1, 1, 12. & 2, 2. *ſtantem coram angelo Jehovæ*, Jehovaq; ipſo, de quo ſupra, hoc eſt, miniſtrantem Chriſto, ejusq; typum gerentem in Eccleſia (ita enim ſcriptura ſtare coram aliquo dicit illum, qui ei miniſtrat Deut. 10, 8. 1. Sam. 16, 21. 1. Reg. 17, 1.) & *Satanam illum Dei hominumq; adverſartum ſtantem ad dextram ejus*, ut menſuram ſui nominis implens *aderſaretur ei*, ubi in hebræo eſt alluſio elegans, הַשָּׂטָן לְשִׂטְנוֹ. Hac autem viſione oſtenditur, unde factum ſit, ut Deus ſacerdotium à ſeipſo inſtitutum paſſus ſit in tantum contemptum devenire, nimirum, quod qui illo ſancto antea functi erant munere, ipſi ſe polluiſſent, populumq; pollui eſſent paſſi, unde per juſtitiam Dei tandem factum, ut cum coram ipſo à Satana eſſent graviter accuſati, per prophetas ſeverè moniti, ac nihilominus corrigi neſcij, huic judicio ſint traditi, ſiquidem ſatan juſtam facilem ac vincibilem cauſam in judicio Dei agens, cum reos peragebat obſtinatos peccatores, in cauſa fuit, ut ordo Sacerdotalis, cujus fuerat, populum in officio continere, ita deprimeretur. Illud vero, quod Satan cauſam accuſationis ſuæ ſatis gravem prætenderit hactenus,

Scopus.

Joſuæ.

(Stare coram aliquo.)

& Satan.

Unde ſacerdotium ita contemtum.

nus, & proinde facilè illis flagitiosis superior evaserit coram Dei tribunali, quippe qui veram accusationem negare aut negligere non potuit, phrasi illa indicatur, cum dicitur stare, non ad sinistram, sed ad dextram Jehosuæ. Ad dextram enim stare & accusare in scriptura dicitur, qui causam in judicio fovet bonam, ad sinistram, qui malam & rectè accusatur, Psal. 109, 6. 7. ad dextram v. alicujus simpliciter stare intelligimus eum, qui defendendi causa adest ibid. v. 31. (ubi utrumq; per ἐξήγησιν luculentam ita exponitur) & Psal. 16, v. 8. sumptaq; est illa loquendi ratio è medio, siquidem hoc cuiq; non immeritò dextrum appellatur, quod præponit, sicut sinistræ manui dextra anteponitur: vel ut habet Gregorius l. 20. moral. c. 20. pro dextro habere dicimus, quod pro magno pensamus, pro sinistro, quod despicimus. Ex qua observatione melius intelligi possunt hi loci sequentes, qui diligenter collati sibi invicem in afferenda luce mutuas tradent operas. Job. 30, 12. Psal. 137, 5. & 144, 8. 11. Jer. 22, 24. Matt. 25, 33. Luc. 1, 11.

Ad dextrã stare. 1.

2.

Dextrum.

Christus diabolo resistit.

Vers. 2.] Verùm post hoc visum horribile, sequebatur aliud amabile, nempe Diabolo pijs obsistenti Christus resistens, *Dicebat autem*, quando ita summis viribus Satan Jehosuæ, omnibusq; pijs adversabatur coram tribunali eos accusando, Jehova genitus, Christus angelus ille Jehovæ increatus & reliquorum angelorum dux, dixit, *Increpet Jehova te*, *ô Satan*, à tribunali suo te depellat, accusandiq; facultatem adimat, justificans servum suum & secundum eum pronuncians, & (ut certitudinem rei ac diligentiam suam indicet, & idem repetit, *increpet*, inquam, *te Jehova* ac cum potestate objurget, id quod græcum ἐπιτιμᾶν innuit Matth. 8, 26. idq; ex mera gratia ac misericordia, quippe

Ἐπιτιμᾶν

qui

qui eligit Jerosolymam sup. 1, 17. & 2, 16. ut sit urbs, in quâ Messias tandem aliquando in his terris visibili sub specie vivat ac opus redemptionis perficiat. Atq; ecce tibi hujus favoris divini signum vel potius exemplum evidens: *nonne hic ipse* Jehosua, contra quem hactenus stas, est velut *titio ereptus ex igne* calamitatum, quæ in captivitate? nonne audis, hoc esse consilium Dei, ut hæc urbs reædificetur, templum cultusq; divinus instauretur? quin potius, nonne vides ex liberatione mirifica jam ante præstita? nonne cognoscis, Deum in hoc homine, quem gratiosè ex incendio eripuit, statuisse efficere voluntatem suam? quid enim tu frustrà Jehovæ obniteris? ecce iste Jehosua, quem tu is planè pessundatum, à Deo ipso mirificè in captivitate est servatus, indeque miraculosè eductus ac velut torris semiadustus ex medio incendio ereptus est. quibus verbis auditis diabolus mutus ilico, nec quicquam contra audebat hiscere: Deus enim in suo proposito pergens, reliqua quæ ad defendendum ornandumq; Jehosuam pertinebant, peragebat.

Titio ereptus ex igne.

Vers. 3.] *Quum enim Jehosua erat indutus vestibus sordidis*, infirmitatum peccatorumq; symbolis (siquidem sacerdos maximus cum suis collegis ac auditoribus, multis magnisq; peccatis erat pollutus etiam post captivitatem, ut in libris Esdræ ac Nehemiæ ultimis capp. ac primo Haggæi videre est) quæ ut hîc indicabant, quod ob pœnas, quas erat cum suis promeritus, & ob instantes calamitates fuerit admodum mœstus, atq; ita squalidè indutus *stabat coram ipso angelo* Jehovæ Christo ipso, eum intuens, auxiliumq; ab eo exspectans & expetens.

Pontificis vestes sordidæ.

Vers. 4.] Respondens autem angelus ille peccata remittens & justificans impios, *allocutus est eos, qui stabant coram*

coram se, h. e. angelos, qui ipsi in expediendis mandatis promptè obediunt sup. v. 1. *edicendo: Amovete vestes istas sordidas ab eo; & porrò dixit* ei ipsi Jehosuæ: tu quoque ipse ex hoc signo amotarum vestium sordidarum rei veritatem perspice, ut Esa. 6, 7. Jer. 1, 9. *vide* ac agnosce hoc, quod dixi, ecce *transtuli abs te* Mich. 7, 18. *iniquitatem tuam*, quâ non secus in conspectu meo maculabaris, quàm si veste maximè sordidâ obsitus incederes, idq; feci, ut ritè deinceps *te induerem mutatorijs vestibus*, hoc e. maximè preciosis, festivis ac splendidis, quarum diebus sacris ac festis usus est, quæq; h. l. sicut & Esa. 3, 22. מַחֲלָצוֹת à R. חָלַץ i. e. exuit, appellantur ab exuendo, quod die festo absoluto rursus exuantur ac seponantur: aliàs nominari in Biblijs consueverunt חֲלִיפוֹת שְׂמָלוֹת Gen. 45, 22. vel חֲלִיפוֹת בְּגָדִים Jud. 14, 12. 13. 19. 2. Reg. 5, 5. 22. 23. vel בִּגְדֵי הַחֲמֻדוֹת Gen. 27, 15. Hoc loco autem per eas denotatur vestis salutis Es. 61, 10. vestis illa verè nuptialis Matth. 22, 11. stola illa præcipua Luc. 15, 22. & ut verbo dicam, Christi justitia, quâ solâ in oculis Dei ornari possumus. Est enim hic optimus justificationis nostræ coram coram Deo gratuitæ typus, per vestium sordidarum amotionem significatur injustitiæ nostræ ablatio, dum peccatum nostrum nobis, quod adest, non imputatur Rom. 4, 8. 2. Cor. 5, 19. sed in Christum, in quo non erat iniquitas aut dolus, transfertur Esa. 53, 9. & rursus per donationem preciosarum vestium notatur perfectæ Christi justitiæ, quæ in nobis inhæsivè non est, nec per infusionem, gratuita imputatio Rom. 4, 5. 6.

Vestes mutatoriæ מַחֲלָצוֹת

חֲלִיפוֹת

quid hic notent.

Justificationis typus.

Vers. 5.] Hæc autem quum Christus velut unicus inter Deum ac homines mediator rogasset, propterea ego Deus pater *dixi* ac jussi, *ut imponerent etiam cidarim mundam capi-*

Cidaris.

capiti ejus sacerdotis maximi cum bractea ex auro puro, cui sit inscriptum, SANCTITAS JEHOVÆ, Exod. *28*, 36. 37. Levit. *8*, 9. ut ita externum sacerdotium usq; ad Messiæ tempora restauretur, siquidem cidari ista in publicarum sacrarum administratione utebatur Pontifex maximus. *Tum* verò ad mandatum meum *imposuerunt cidarim mundam capiti ejus*, tanquam publici officij decorem, *& induerunt eum vestibus*, tanquam privatæ justitiæ symbolis, atq; hoc statim, dictum factum, *angelo Jehovæ adstante*, qui non discedebat, donec effecta erant omnia, quæ ad pontificis maximi, populiq; salutem pertinebant, ubi digna observatione sunt, quæ in hunc versum notavit F. Junius. Induatur, inquit, Jehosua hic rebus omnibus tum ad sacerdotium rectè pro Ecclesia perfungendum, tum ad suam ipsius vitam sanctè in Ecclesia traducendam, & Deo probandam necessarijs: Nam omnis sacerdos & minister Ecclesiæ Christi tum pro Ecclesia instruendus est à Christo donis suis publicis (quæ hîc designantur cidari, sacerdotali ornamento) tum etiam pro seipso, donis suis singularibus. Habent enim (ait Augustinus) duo quædam: unum, quod Christiani sunt: alterum, quod præpositi sunt. Illud quod Christiani sunt, propter ipsos est: quod autem præpositi sunt, propter Ecclesiam est. In eo quod Christiani sunt, attenditur ipsorum utilitas: in eo quod præpositi sunt, non nisi Ecclesiæ. Hæc ille: nos ad textum prophetæ revertimur, ubi porrò

Ministri verbi duplicibus donis opus habent, pro Ecclesia, & seipsis.

Vers. 6.] declaratur, quid vicissim Christus pro tantis beneficijs sibi velit referri gratiæ, nempe pietatis juge exercitium Luc. *1*, 74. 75. 1. Pet. *1*, 15. *16*. *Nam tum*, postquam priora erant peracta ac transacta omnia, *contestatus est angelus*

Quæ gratia Deo referenda.

gelus Jehovæ, qui horum donorum autor erat Jehosuam suum beneficiarium, dicendo.

Vers. 7.] *Sic ait Jehova exercituum*, qui tui ex gratia mera misertus hucusq; te extulit, hisq; insignibus donis te beavit, ut scias, quid viciſſim abs te postulet, *si in vijs meis*, posthabito carnis sensu ac affectu, *ambulabis*, eoq; modo me colueris, quo ego præcepi ipse (siquidem viæ Dei, in quibus vult homines incedere, sunt doctrina ac præcepta ejus Psal. 25, 4. 8. 9. 10. ambulare autem in ijs, est Dei verbum scrutari, ac, quantum fieri potest, sequi ac præstare) in lege morali, & *si* præterea etiam *observationem meam*, quam Israelitis tenendam proposui in legibus Ceremonialibus & Forensibus, quæ hoc nomine sæpe veniunt, & usq; ad Messiæ adventum, velut umbræ durare debent, *observaveris* fideliter, *atq; etiam tu* rectè & justè *jus dixeris domui meæ*, hoc est, per Synecdochen, totam gubernationem Ecclesiasticam ritè sustinueris (nam tum temporis pontifices ex præscripto Dei jus ex lege dicebant publicè, erantq; legis periti, ut hodiè in Consistorijs Ecclesiasticis Theologi ac Jurisconsulti) in populo meo Israel, qui velut domus mea est, & ita quandoq; dicitur Num. 12, 7. Hebr. 3, 2. Jer. 11, 15. & 12, 7. & si præterea *servaveris diligenter atria mea*, fecerisq;, quæ ad publica tui muneris officia spectant, tum quod habeo summum precium persolvam tibi, *utiq; disponam tibi, qui ambulent inter astantes illos angelos* sup. v. 4. constituam te cum tuis posteris in Ecclesia hac militante sacerdotem, & postea in Ecclesia triumphante in eandem dignitatem te collocabo, in qua sunt angeli Dei in cœlo, ut inter ipsorum myriadas converseris beatus, quorum custodia antea fuisti tutus. Confer Psal. 84, 5. 11. Matth. 22, 30. Hebr. 12, 22. Duplex

Lex moralis,

(Viæ Dei præscriptæ hominibus.)

Ceremonialis & forensis.

Pontifex in V.T dicebat jus.

Populus Israel domus Dei.

Inter angelos referuntur pij verbi præcones.

plex igitur hîc promittitur pietatis sacerdotis præmium, unum, temporale, nempe excellentia & diuturnitas dignitatis pontificiæ ad posteros quoq; transituræ: alterum æternum, videlicet cœlestis cum angelis sanctis perfruenda felicitas, ut ita impleatur illud divinum axioma, quod est apud apostolum *1.* Tim. 4, 8. Pietas ad omnia utilis est, quippe quæ habet promissionem vitæ præsentis & futuræ.

LOCI COMMUNES.

Ex vers. *1.*]

I. *Postea, vel &*] Quum Deus non unum tantum, sed plures typos nostro prophetæ offerat, ac postea conciones aliquot dictet, docemur, quod ipse non cesset erudire Sophon. 3, 5. L. C. *3.* & solari Esa. 49, *15.* 16. & 66, 13. non enim dormitat neq; , dormit custos Israelis Psal. *121*, 4. qui dixit, non te omittam neq; deseram Hebr. *13*, 5. 6. *Deus semper pro salute suorum vigilat.*

II. *Ostendit mihi Jehosuam*] Benè observandum h. l. quod solus Jehosua sacerdos maximus coram tribunali Dei præcipuè reus peragatur à Diabolo, eò quod illius potissimum fuerat, reliquos ordines in officio continere, &, si quid hi peccârunt, id ipsi quoq; non immeritò imputari sciamus. Unde facilè liquet, quam grave & arduum hoc munus sit, quod adeò leve pleriq; existimant, ut pueri etiam sæpè, maximeq; ignavi & ignari socij,

Qui dextram ferulæ vix subduxere magistri,
nunc rectè nomen pastorale nundinari putentur. Tu verò quisquis esse cupis, non minister hominum, sed (uti decet verbi divini præconem) homo Dei, (hoc est, minister Ecclesiæ Christi idoneus, qui ita peculiariter appellatur Deut, *33*, 1. 2. Reg. 4, 7. 9. Psal. 90, *1.* 1. Timoth. 6, *11.* *2.* Ti- *Ministri verbi accusantur, quando auditores peccant.* *Homo Dei.*

Ejus officium arduum.

moth. 3, 17. 2. Pet. 1, 21.) id tecum diligenter perpende, quod Deus ex tua manu uniuscujusq; tuâ culpâ ac negligentiâ pereuntis sit requisiturus sanguinem Ezech. 33, 7. 8. quod tibi excubandum sit pro animabus auditorum, tanquam rationem pro illis reddituro Heb. 13, 17. & si quid muneris in officio negligentiùs obieris, quæ spes, tecum mitiùs actum iri, quàm cum Heli, debitâ cum gravitate suos non objurgantis? 1. Sam. 2, 27. 28. & 3, 11. 12. 13. 14. Si enim ab eo jure res potest repeti, qui sua negligentiâ eam passus est perdi, quidni abs te Deus exigat animas tibi concreditas, suoq; sanguine redemptas? vide Exod. 22. v. 9. 10. 11. 12. 13. unde & hoc discis, quod si tu feceris officium, apud Deum excusatus abeas. Confer Ezech. 33, 9. 10. 11. officium autem facere non est ad aliorum mercenariorum exempla, sed Dei institutionem in biblijs expressam respicere & pro virili exequi.

Cogitet se stare in conspectu Dei.

III. *Stantem coram Angelo Jehovæ*] Semper cogitent verbi divini ministri, se stare in conspectu Dei sui Domini. Faciet id cum ad exhortationem, ut omnia summo studio, summaq; cum diligentia perficiant Sophon. 1, v. 7. L. C. 1. & c. 3. v. 2. L. C. 1. & v. 4. L. C. 1. & 2. tùm ad consolationem. Si enim stant coram omnipotente Jehova, quis audebit eos impunè injuriâ afficere, aut quid mali eis accidere poterit? Rom. 8, 31. Heb. 13, 6.

Meritò affligimur & accusamur.

IV. *Et Satanam stantem ad dexteram ejus*] In afflictionibus non modò quid patiamur, sed quid meruerimus, spectandum est: quod si factum fuerit, videbimus meritò cum Mauritio Imperatore nobis esse dicendum ex Psal. 119. v. 137. Justus es Domine, & rectus judicijs tuis. Nam quando quotidiè peccamus, sæpè etiam ex malitiâ, Diabolus statim accu-

accusat Apoc. 12, 10. & Deus ex justitia affligit, qui nulli facit injuriam. Quæ tamen cogitationes si ex instinctu Diaboli nos ad murmurandum instigantis obrepant, vestes nostras inspiciamus, totamq; vitæ nostræ rationem excutiamus, apparebit, diabolum stare à dextris, causamq; contra nos non injustam agere, quam etiam nos nostris vitijs stabilimus.

V. *Ut adversaretur ei*] Diabolus cùm omnibus pijs, tum inprimis multis modis verbi divini ministris fidelibus, quippe qui sunt angeli Michaëlis contra eum pugnantes Apoc. *12*, 7. insidiatur. Alijs pijs quidem se opponit vel uni, Job. 1. vel toti Ecclesiæ Dan. *10*, *13*. *21*. eosq; accusat Rom. 8, *33*. sed hos cupit cribrare Luc. *22*. *1*. illorumq; honestum propositum sæpissimè interturbat Rom. *15*, *22*. *1*. Thess. 2, *18*. unde non incommodè in h. l. ita scribit Wigandus: Diabolus varijs modis conatur impedire pios & necessarios labores in Ecclesia. Nam doctorum officium est, erudire homines de Deo, de pœnitentia & vitæ emendatione, de invocatione, ac monere de Diaboli insidijs, deq; peccatis fugiendis: ideò viciſſim diabolus sinceros verbi Dei doctores miris technis petit. Affligit eos metu non necessario, aut rerum mundanarum studio eos tentat infringere, & ab ingenua veritatis confessione abterrere, quando potentes contra eos excitat, quemadmodum infestavit hunc sacerdotem maximum imbecillitate fidei, terruit eum potentia finitimarum gentium, eo fine, ne obtemperaret Deo in reparatione templi. *Diabolus ministris verbi insidiatur.*

Ex vers. 2.]

I. *Dicebat autem Jehova Satanæ*] Christus non tantùm est mediator pro Ecclesia tota apud Deum patrem intercedens, *Christus pro eis rogat.*

dens, 1. Joh. 2, 1. 2. sed etiam inprimis pro fidelibus ejus ministris rogat Luc. 22, 32. Johan. 17, 8. 9. 15. 17. 20. sicut h. l. sacerdotis maximi causam fideliter agit contra satanam.

Deus Ecclesiam protegit.

II. *Increpet Jehova te, ô Satan*] Deus ipse protegit suam Ecclesiam Psal. 46, nam humanis consilijs diaboli technæ evitari nequeunt, ut canit Ecclesia in hymno germanico, Ein feste Burg/ etc. mit vnser macht ist nichts gethan. Quin etiam ita rogent omnia vera Ecclesiæ membra à diabolo tentata, cum vident se non posse illius vi & dolo resistere; increpet Jehova te, ô Satan, & cum Paulo Rom. 16, 20. Deus pacis conterat Satanam sub pedes nostros citò, hoc est, ejus regnum ministerio Evangelizantium destruatur, illi enim pedum nomine v[illegible]nt Rom. 10, 15. ex Esa. 52. 7. Nah. 1, 15.

Consolatio in malis unde petenda. 1.

III. *Qui eligit Jerosolymam. nonne hic est titio ereptus ex igne?*] Discimus, unde desumenda sit efficax in malis consolatio, præcipuè quando ignitis suis telis de abjectione nostra à Deo facta nos petit diabolus, nempe 1. ex nostra electione, 2. ex anteactis Dei beneficijs, ibi suo exemplo præit Paulus Rom. 8, 31. 33. 35. 38. hîc vero David 1. Sam. 17, 34. 35. 36. 37. & Christus ipse Ps. 22, 10. 11. 12.

2.

Cum titione confertur homo ex malis liberatus. 1. 2. 3. 4.

IV. *Ereptus ex igne*] Ecclesiæ liberatio magnum est miraculum, & non nisi per Deum obtingit. Quando autem Jehosua comparatur titioni, breviter hæc collationis membra notari possunt. Primum ut est titio ramus quidam ex arbore defractus (2.) ab hortulano seu agricola in ignem conjectus, cum esset inutilis & infœcundus, (3.) ab eodem retrahitur semicombustus & 4. ad alios usus reservatur: Ita I. homo pius est ramus Christo veræ viti per Sacramentum initiationis insertus Rom. 11, 17. Joh. 15, 1. 2. 4. 5. per

Accommodatur. 1.

infide-

Infidelitatem defractus Rom. *11*, 20. & II. à Deo in hac vita in ignem crucis & calamitatum conijcitur, in quo si non purgatur, tandem in ignem inextinctum præcipitatur, quia non fecit dignos fructus paradiso Dei Psal. 66, 12. Esa. 48, *10*. Mal. *3*, *3*. Matth. 3, *10*. & *7*, *19*. Luc. *13*, 6. 7. 9. III. Verum si in crucis camino probatus placuerit, à Deo retrahitur ac liberatur Es. 43, 2. Psal. *71*, 20. ac IV. tandem in vitam æternam conservatur, ita tamen ut per ignem *1*. Corinth. *3*, *15*. 3. 4.

Ex vers. 3.]

Jehosua autem cum esset indutus vestibus sordidis] Etiam sanctissimi quiq; sunt peccatores Psal. *32*, 6. Prov. 20, 9. *1*. Reg. 8, 46. *1*. Johan. *1*. 8. exemplo est Noachus vino se ingurgitans, Abraham & Isaac mentiens ac dubitans, Jacob & Loth incestum committens, Moses Deo non fidens, David adulterium & homicidium perpetrans, Petrus Christum abnegans. Quando autem h. l. Jehosua hic typus est veri nostri Josuæ seu Jesu, habemus hîc solatium, quod is omnium nostrum peccata in se sustulerit, omnesq; maculas ac sordes purgaverit Ephes. 5, *26*. *27*. factus victima pro peccato, ut nos fieremus justitia Dei in ipso 2. Cor. 5, *21*. *Sancti sunt peccatores*

Christus omnium peccata fert.

Ex vers. 4.]

I. *Allocutus est eos, qui stabant coram se*] Angeli sancti ex mandato Dei libenter Evangelij cursum, hominumque piorum salutem promovent Luc. *15*, 7. *1*. Corinth. *11*, 10. Eph. *3*, 10. 1. Pet. *1*, *12*, exempla sunt Dan. 8, *13*. *16*. Act. *10*, 3. 4. & *16*, 9. *Angeli cur sum Evangelij promovent.*

II. *Amovete vestes sordidas, transtuli iniquitatem tuam, ut induam te*] Habetur hîc elegans justificationis nostræ coram Deo descriptio. In hac enim condonantur nobis *Justificationis descriptio.*

bis nostra peccata, & donatur Christi justitia; non imputantur nostra crimina, sed imputantur Christi merita: nostra impuritas, quæ revera adest, ac si abesset, Christi verò puritas, quæ abest, ac si adesset inhæsivè, reputatur coram Dei tribunali, & prodest imputativè, siquidem Christus non tantùm expiat peccata, sed etiam adducit patiendo ac moriendo perpetuam justitiam Dan. 9, 24. 1. Corinth. 1. 29. ut pro injustitia justitiam, pro morte vitam, pro inferno cœlum, pro Dei judicis ira Dei patris gratiam habeamus in eo, qui est justitia ac vita. Hujus justificationis paradigma elegantèr in benedictione Jacobi statuit Ambrosius lib. 2. de Jacob & vita beat cap. 2. Quemadmodum enim ille primogenituram â seipso non meritus, habitu fatris occultatus, ejusq; veste indutus, quæ optimum odorem spirabat, seipsum insinuavit patri, ut suo commodo sub aliena persona benedictionem acciperet, ita nos sub Christi primogeniti nostri fratris Rom. 8, 29. Col. 1, 15, 18. Apoc. 1, 5. pretiosâ puritate delitescimus, ut testimonium justitiæ à conspectu Dei auferamus Rom. 3, 23. 26. Jer. 23, 6. 2. Corinth. 5, 21. Act. 15, 9. Ille enim cùm nos fœtebamus coram Deo, seipsum obtulit Deo patri victimam in odorem gratissimam Ephes. 5, 2.

Quoddã paradigma.

Ex vers. 5.]

I. *Imponunto cidarim mundam*] Semper in animum sibi revocent verbi divini præcones, impositam sibi esse cidarim mundam, cui inscriptum, SANCTITAS JEHOVÆ, & proinde ei studeant ipsi, &, ut alij idem faciant, hortentur sedulò, ut sint typi fidelium 1. Tim. 4, 12. 15. 16. Qui vero malè vivunt, cum sint doctores boni, faciunt tamen alios blasphemare nomen domini, ut de Davide dicitur,

Sanctitati studeant ministri verbi.

pro-

propheta regio 2. Sam. 12, 14. in quos quadrat illud D. Bernhardi lib. 2. de consol. ad Eugen. Papam. Monstrosa res est gradus summus, & animus infimus, sedes prima, & vita ima, lingua magniloqua & manus otiosa, sermo multus & fructus nullus, vultus gravis & actus levis, ingens autoritas & nutans stabilitas. Cavendum igitur est juxta Ambrosium lib. de dignit. sacerd. c. 3. ne sit nomen inane, crimen immane, ne sit honor sublimis, & vita deformis, ne sit deifica professio & illicita actio, ne sit religiosus amictus, & irreligiosus provectus, ne sit gradus excelsus, & deformis excessus.

Benè docens, malè vivens qualis.

II. Imposuerunt, induerunt, angelo Jehovæ adstante] Quem Deus absolvit, is statim justus pronunciatur Luc. 18, 14. quorsum igitur multa illa Pontificiorum nugamenta de confessione oris, & satisfactione operis, aliaq; similia? nimirum hic rectè usurpaveris illud de confessionarijs Pontificijs, quod Christus de scribis ac Pharisæis dicebat Matth. 23, 4. Ligant onera gravia portatuq; difficilia, quæ imponunt in humeros hominum, digito autem suo unico nolunt ea movere.

Pontificiorum pœnitentia vana.

Ex vers. 6.]

Tum contestatus est angelus Jehovæ Jehosuam] Christus adest suis ministris, eosq; regit ac gubernat. Illi igitur videant, ut non tantùm dignitatem suam ac honores obtineant, reditus suos accipiant, sed potius, ut ipsi in pietate multum cum auditoribus proficiant, ut ita Dei cultus ac honor propagetur sup. v. 5. L. C. 1. quod futurum est, si in omnibus sequuti fuerint suæ divinæ institutionis formulam, hoc e. scripturam sacram, cui toties Paulus jubet suum attendere Timotheum.

Ministri verbi proficiant in pietate.

Ex verſ. 7.]

Promiſſiones Dei cõditionales.

I. Si in vijs meis ambulabis] Promiſſiones Dei conditionales cùm ſint (quanquam conditionibus diverſis limitatæ, quarum aliæ medij, ut Evangelicæ de vita æterna, gratis per fidem, aliæ meriti; ut legales de eadem operibus conſequenda, aliæ deniq; officij, ut quæ agunt de pietate exercenda) omninò falſum eſſe videmus, Deum abſoluto quodam decreto ſine ullo infidelitatis aut impietatis reſpectu homines quam plurimos damnaſſe, aut ſine reſpectu fidei elegiſſe & ſalvare. Hinc tamen nullo modo, nec ulla ratione Pelagianiſmus aut Papiſmus nobis imputari poteſt à Calvinianis, ſiquidem non cum illis propter prævisam fidem, nec cum his, operibus, ſed fide nos ſalvari aſſerimus, qua de re in L. de electione ac juſtificatione (quippe quarum ſunt eædem cauſæ, ut decreti & executionis) pluribus ſolet agi.

Illas aſſerit Pelagius diverſimodè.

Miniſtris verbi ratione laborũ major gloria datur.

II. Diſponam tibi, qui ambulent inter adſtantes iſtos] Miniſtris verbi per fidem in Chriſtum vita æterna, ut reliquis credentibus gratis quidem omninò conceditur Eph. 2, 8. 9. Rom. 6, 23. 2. Tim. 4. 8. Verùm in vita æterna, quò plus in hac laboraverint, eò major illis dabitur gloria. Dan. 12, 3. Matth. 19, 28. 29. ubi tamen cave præmium hoc accidentale cum eſſentiali confundas. Excitet autem & ſoletur hæc tam amica παραίνεσις ac larga promiſſio omnes fideles Dei miniſtros, ne vel crucis ignominia, vel laborum pondere ſe ſuperari patiantur, cùm in cœlis futura ſit merces eorum copioſa Matth. 5, 12. Matth. 10, 32.

PARS POSTERIOR.

Verſ. 8.] Ne verò externo ſacerdotio intenti, nimiſq; ei tri-

ei tribuentes verum pontificem maximum in illo adumbratum ac promissum Judæi negligerent, porrò eos admoneri oportuit, id ad animum revocarent, quod per ipsos portenderetur. Et quia jam rem magni momenti Josuæ Deus erat propositurus, nova præfatione utitur, ut eum excitet ad tantò diligentius ea, quæ sequuntur, consideranda: *Audi*, inquit, *Jehosua sacerdos maxime* jam omnium promissionum reliquarum complementum tibi demonstrabo, tu verò

Umbræ V. V. quomodo considerandæ.

sensibus hoc imis, res est non parva, reponas, audi *tu & amici tui* (siquidem in collegas, eosq; fratres, non habes imperium) tecum ex exilio reducti, quibus tu tamen præes, *cum illi sedent coram te*, suumq; ministerium obeunt, huc aures animumq; omnes tecum advertant, *quandoquidem ostento sunt*, sunt mera prodigia, quippe miraculosè in h. l. restituti sup. v. 2. ut portendant, Deum aliquid magni hîc moliri, nempe quod Messiam sit missurus, qui erat unicus hujus politiæ Mosaicæ finis, quia sunt viri portenti, hoc est, typi, audiant jam quid præfigurent. Est enim proprie מוֹפֵת res visa vel ostensa, quâ creditur alia res ita futura, sicut prædicta est, ut Kimchi describit in Michlol, quibus alij addunt, quod non tam latè pateat, ut אוֹת, sed tantum se extendat ad prodigium, quod non fit virtute תּוֹלְדוֹת, i. e. naturæ, & exempla biblica approbant, ex quibus hæc pauca vide Exod. 4, 21. & 7, 9. Deut. 13, 1, 2. 1. Reg. 13, 3. 5. 2. Chron. 32, 24. 31. Psal. 71, 7. Ezech. 12, 6. 11. & 24, 24. 27. Quia igitur sacerdotes sunt viri ostenti (de quo loquendi genere vide quædam apud Buxt. thes. lib. 2. cap. 4. anomal. 1. p. 342. 343.) hoc est, tales qui maximè aliquid portendunt, quomodo abstractum pro concreto positum

מוֹפֵת

Viri ostenti.

notat superlativum, ut suprà aliquoties dictum est, age audiamus jam, quid Deus per illos præfiguraverit potissimum, nempe Christi sacerdotium, de quo ipse ita per Prophetam loquitur & pollicetur: *Ecce*, ut rei magnitudo & certitudo attendatur, *ego*, ut operis magnificentia observetur, ego Deus ille verus ter optimus maximus *adducturus sum* in mundum certo & à me constituto temporis articulo *servum meum*, qui voluntatem meam faciat, ut servus, quanquam sponte, Psal. 40, 9. Ebr. 10, 7. hominibusq; inserviat, docendo, benefaciendo, moriendo Esa. 42, 1. & 43, 24. & 53, 13. Phil. 2, 7. & ut hæc omnia efficere possit, in carnem veniet, & ex radice Isai erit novum GERMEN, quod est Messiæ cognomen Es. 4, 1. & 11, 1. Jer. 23, 5. & 33, 15. & inf. 6, 12. tum respectu ipsius, quod ipse velut germen ex Maria virgine esset proditurus, tum respectu hominum piorum, qui ex & in illo velut germine & genimine spirituali renascuntur ac plantæ cœlestes vi verbi redduntur Johan. 15, 1. Jac. 1, 18. 1. Pet. 1, 23. Propter officium igitur Christum vocat servum, propter naturam humanam in personæ unitate potissimum, germen. Græci hebræam vocem צֶמַח malè verterunt ἀνατολὴν, confundentes eam cum זָרַח vel מִזְרָח, & hos secutus etiam vulgatus interpres latinus reddidit orientem, quo errore decepti pleriq; veteres Interpretes h. l. Christum ita dici ajunt ob claritatem, qua de re qui volet prolixè differentem, eosq; refutantem, vel conciliantem, ubi potest, Riberam in h. l. num. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 42. 43. videat. Inprimis vero illud diligenter notet, quod his verbis rectè scriptum ibidem reliquit autor pontificius. Hic locus planè ostendit, quantum emolumenti afferat ad veram scripturæ intelligentiam cognitio linguarum: Omnes si qui-

Promittitur Messias,

servus Dei,

germen,

צֶמַח

non est oriens.

Ribera necessitatem hebrææ linguæ probat.

siquidem, quos nominavi, alijq; quam plurimi graviſſimi atq; Doctiſſimi viri, magna quidem probabilitatis ſpecie, ſed decepti tamen ſunt Hebraicarum linguarum ignoratione, quod hebraicè vel mediocriter ſcientibus manifeſtiſſimum eſt.

Verſ. 9.] Sed quid boni illud GERMEN afferet? ſanè plurimùm, idq; ut ſciant Judæi, & nos cum illis, adjungit Deus porrò aliquot proprietates ſeu officia ac beneficia Meſſiæ, quod videlicet Eccleſiæ ſuæ ſit futurus fundamentum, placamentum, ornamentum, lapis angularis & victima piacularis, Eccleſiam ſuam virtute ſuâ protegens, morte ſuâ redimens, ſanguine abluens: *Nam* ne quis putet, ſi Meſſias eſt germen, regnum ejus erit fragile, *ecce* (quæ Dei verba ſunt de Chriſto) promiſſus Meſſias *lapis ille eſt*, ſuper quo ædificata eſt Eccleſia, lapis refugij pijs, & lapis ſcandali ſuo vitio impijs Eſ. 8, 14. & 28, 16. Pſal. 118, 22. 1. Pet. 2, 7. *quem ego* firmiter *pono coram Jehoſua*, hoc eſt, in Eccleſia, ubi ille Chriſti typum gerit, atq; ita pono, ut *lapidi* illi *unico* ſint *ſeptem oculi*, perfectiſſimè ei adhibens abſolutiſſimam providentiam ut inf. c. 4. v. 10. ſiquidem ſcripturæ ſtylo, (cujus analogiam probare in proclivi eſt) oculi providentiam, ſeptenarius numerus perfectionem denotat, & proinde non facilè in eorum conceſſero ſententiam, qui per oculos h. l. vel eccleſiæ doctores, vel angelos, vel piorum ac credentium fidem intelligunt, quandoquidem de oculis ipſius lapidis, non creaturæ ullius propheta loquitur, nec ſcripturæ analogia facilè oſtendi poterit. Dicitur verò Chriſtus lapis cùm alijs de cauſis, tum etiam, quod ſit fundamentum Eccleſiæ maximè ſtabile, ut petra firmiſſima Matth. 16, 18. 1. Cor. 3, 11. & lapis in extremo angulo domus Dei ſitus, conne-

Meſſiæ beneficia.

Chriſtus lapis angularis.

Oculi ſeptem.

Cur Chriſtus dicatur lapis.

connectens duos Ecclesiæ parietes diversos, Judæos & Græcos Eph. 2, 20. vide quæ diximus Amos 9, 9. Porrò autem quia non tantùm rex suæ Ecclesiæ, sed etiam sacerdos summus (id quod Jehosua in superiori parte capitis adumbravit pluribus) hic Messias ac germen ex radice Davidis, fermè exarefactâ propullulaturus futurus est, age etiam pro ratione umbrarum, quarum etiamnum tempus est, obscuriùs tibi declarabo, quomodo illud suum munus potissimùm obiturus sit, nempe passione sua, in qua sculpendus, lacerandus, ac confodiendus est, quia aliter fieri non potest per meam justitiam, quin, cum omnium hominum peccata in se susceperit, & pro illis se satisfacturum mihi sponderit, atteratur pro iniquitatibus eorum, castigatioq; ipsorum imponatur ei, siquidem tum ego Jehova delectabor conterere ipsum, eò quod exposuit se ipse sacrificium pro reatu Es. 53, 5. 10. (vulg. 8, 13.) proinde *ecce ego* (quibus verbis emphaticis iterum rei certitudo ac magnitudo indicatur) *sculpturus sum sculpturam ejus, dictum Jehovæ, Domini exercituum* ego illum sudore sanguineo in horto languidum, caput ejus in domo pontificis maximi colaphis tumidum, ac sputo fœdum, in palatio Pilati totum corpus vibicibus lividum, verticem corona spinea lacerum, ac denique manus ac pedes ejus clavis pertusos, latusq; ejus in cruce lancea perfossum efficiam, ut hinc inde sculptus ac cœlatus videri queat, & sic demum justitiæ meæ cum per illum fuerit satisfactum, *amoturus sum iniquitatem istius terræ die uno*, passionis videlicet, quo omnia sub vesperam sunt consummata, Johan. 19, 30. Et quia nulla expiatio & remissio peccatorum fit, nisi per mortem Christi, cum ille effectus hîc subjicitur, etiam causam in præcedenti similitudine,

Christus etiam sacerdos,

sculpitur à Deo patre,

dine, per sculpturam lapidis ejus, adumbrari cum plerisq; aliis interpretibus ac Hieronymo potiùs concludimus, quàm cum Junio, quod, quemadmodum per sculpturam alias res solet exornari, ita etiam hîc denotetur, quod eadem opera Deus pater, quando septem oculos dabit illi electo ac pretioso lapidi, etiam omnia ornamenta in eo depositurus, ac *sine mensura* traditurus sit spiritum justitiæ, sanctificationis ac vitæ, ac per eum remissionem peccatorum, ornamentaq; omnia cum Ecclesia communicaturus, metaphorâ ductâ à structoribus lapides politos sculpentibus, rudes vero ac impolitos cædentibus, ut sint apti ædificio. Hactenus Junius, cujus verba omninò hîc notanda existimavi, vel eam ob causam, ut ab hoste etiam inscio vel invito veritati perhibitum videas testimonium. Quodnam illud, inquis? Hoc scilicet, quod Christo germini (de eo enim fit sermo, vide vers. 8.) Deus pater sine mensura dederit spiritum justitiæ, sanctificationis ac vitæ, quod nihil aliud est, quam dicere apertè nobiscum, quod Christo homini dona immensa, infinita ac verè divina in persona τοῦ λόγε communicata sint, ut possit esse mediator. Verum circa hunc eundem locum alterius quoq; Calviniani verba, puta Gualtheri, non indigna existimo, quæ adducantur, cum nostram sententiam illustrent & firment. Ita autem in h. l. scribit. Sculpturæ vel aperttonis nomine Christi passionem & vulnera intelligit, quorum merito peccata nostra expiata sunt & salus æterna nobis parta est. Et ita locum istum pleriq; veterum interpretantur, inter quos Hieronymus sic scripsit. Istum lapidem clavis crucis & lancea militis faciam vulnerari. Neque hoc argutum nimis puto, vel quod in scripturis ludant, qui ita sentiunt. Cur enim non de morte Christi

Junius aliter explicat.

Ejus verba notanda.

sicut & Gualtheri.

Christi locum hunc interpretemur, qui mortis illius fructum verbis disertis explicat, peccatorum scilicet remissionem? vel quid aliud per sculpturam intelligi poterit, si vulnera intelligere nefas est? Idem ergo hîc dicit per Zachariam Deus, quod in deserto per typum petræ ad ictum Mosis apertæ fuit adumbratum, & quod reipsa impletum fuisse Johannes testatur, quando ex Christi latere perfosso sanguis & aqua manavit. Et non temerè Deus ipse se vulnera illa inflixisse dicit, quia jam antea ita per Judæos fieri decrevit Act. 4, 27, 28. Hactenus Gualtherus, & ut puto, benè, contra Calvinum, quem malè & superciliosè ipsi nobiscum probatam sententiam reijcientem perstringit. Verba hujus, ut videas viri superbiam, illa sunt: Argutia illa futilis est, quod Deus sculpsit sculpturas, ubi perfossum fuit latus Christi, ubi tranfixæ fuerunt ejus manus ac pedes: hoc est ludere, non seriò interpretari scripturam, sed propheta per sculpturam intelligit pretiosam & eximiam speciem hujus lapidis, quasi diceret: Erit lapis insignis omni præstantia: Deus enim illum mirabilibus sculpturis expoliet. Et porrò, die uno, notat repente. Et tantum de loco hoc satis obscuro.

contra Calvinum, cujus verba adducuntur.

Vers. 10.] Videamus jam porrò, quisnam horum beneficiorum Christi effectus præcipuus ad pios redundans, qui est pax conscientiæ, Ecclesiæq; satietas, quæ similitudine dulcis familiaritatis, tempore pacis politicæ usitatæ 1. Reg. 4, 24. depingitur. Ut enim tum amici in suis hortis ac vineis amœnis sub arbore frondosa securi confident, & jucunda agitant convivia, quum quilibet suis bonis quietè ac securè à nemine interturbatus fruitur, imò ad eorundem bonorum fruitionem alios quoq; invitare audet & tutò potest,

Sub phrasi politica res spiritualis promittitur.

potest, ita etiam pij die illo, id est, N. T. tempore (ut phrasis illa sæpè accipitur) quando per Christi sculpturam sanitas, per mortem vita, per castigationem pax est pijs restituta, tranquillè degent, omniumq; rerum perfruentur abundantiâ, quæ tamen omnia spiritualiter de tranquilitate animi ac bonis spiritualibus accipienda sunt, sicut Esa. 2, 4. 5. Hos. 2, *15. 18. 21. 22.* & *14*, 5. 6. 7. Joel. 3, *18.* Amos 9, *13. 14. 15.* Mich. 5, 4. 5. & inprimis Micheæ 4, 3. 4. ubi hic locus latiùs est explicatus. Sensus autem est: Postquam Christus jam passione ac morte sua patrem placavit ac peccatoribus reconciliavit (quod fit in unoquoq; homine, quando fide ejus meritum sibi applicat) *die illo*, eoq; tempore *dictum* est *Jehovæ* Domini *Exercituum*, agetis vos cives Ecclesiæ, qui templum ac urbem Domini pro viribus ædificatis ac ornatis, in pace, non secus, ac si *vocaretis quisq; amicum suum sub vitem & sub ficum* vestram, ut in congressibus lætis vos præbeatis hilares. Est enim pijs tranquillus ac lætus animus (qui ipsis erit in Christo Rom. 5, *1*, unico illo mundi ἱλαστηρίῳ Rom. *3, 25.*) velut juge convivium, ut de lætitia ac hilaritate politica dicebat Salomo Proverb. *15, 15.* Confer autem cum h. l. Esa. *25*, 6. 7. 8. Matth. 22, 4. Luc. *14, 17.*

N. B.

Vocare sub vitem & ficum.

LOCI COMMUNES.

Ex versu 8.]

I. Audi jam Jehosua] Iterum Jehosuæ sacerdoti maximo potissimùm hoc proponitur, quod ad totum spectabat populum, ut intelligamus, id unicè incumbere verbi divini ministris, ut, quicquid revelante Deo per verbum sciunt, auditoribus suis fideliter instillent Matth. 10, 27. sup.

Ministri verbi doceant quæ sciunt.

vers. 1. L. C. 2. Soph. 3, vers. 4. L. C. 2. Hag. 1, vers. 1. L. C. 4. & 6.

Sunt fratres in Christo.

II. Tu & amici tui] Omnes verbi divini ministri sunt ratione officij velut fratres in Christo, quippe quibus omnibus par data est potestas, videlicet in verbi prædicatione, Sacramentorum administratione, clavium q; legitimâ usurpatione Matth. 18, 18. 19. Johan. 20, 23. Damnamus igitur tyrannidem pontificiam illam, quâ certi quidam casus reservantur vel soli pontifici, vel solis Cardinalibus & Episcopis; item, quâ certos ordines sacerdotum, diaconorum, ostiariorum instituunt. Interim non tollimus ordinem, quo Superintendentes præsunt alijs ad vitandam ἀκαταστασίαν. qua de re, qui volet, plura legat apud Dn. Chemn. p. 2. Ex. concil. Trid. L. de Sacramento ordinis.

Sacerdotes V. T. typi Christi.

III. Ostento sunt] Quod sacerdotes V. T. typi Christi in multis fuerint, quemadmodum idipsum de summo sacerdote epistola ad hebræos c. 5. explicat, hinc docemur.

Christum quæramus.

IV. Adducturus sum servum meum GERMEN] Hic autem in fine versus in promissione de complemento typorum, multa nobis proponuntur, quæ omnia prolixiùs persequi pro ratione instituti nostri non licet: indicasse ea, credo, sufficit. Primùm illa attentionis particula, ECCE, notat, ut diligenter ubiq; Christum quæramus, tam in T. V. typis, quam N. T. historijs Joh. 5, 39. 46. 47. ut ibi promissum, hic exhibitum & missum videamus Johan. 4, 25. 26. Vide præfationem in sec. edit. Exercitationum Biblicarum. Secundò vocabulum emphaticum EGO indicat, merè gratuitum donum Dei esse, quod filium miserit, qui nos salvaret Johan. 3, 16. Rom. 5, 8. Tertiò quando additur, ADDUCAM, audimus, quod Christus ad nos venerit,

Christus gratis datus, ad nos venit,

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746456336/phys_0110
DFG

rit, cum nos ad eum ac patrem venire non poteramus. Quartò, Christus cùm dicitur *servus Dei*, de statu exinanitionis nostrâ causa tantùm suscepto ad tempus loquitur: is verò cum jampridem desierit, blasphemia est L. Danæi, quando adhuc eum nostrum conservum in statu exaltationis nominat. Quintò cum appellatur GERMEN natura ejus humana indicatur, ejusq; in statu exinanitionis contemta species innuitur, de quibus omnibus alibi prolixiùs.

fuit propter nos servus,

non est cõservus noster.

Ex vers. 9.]

I. Ecce lapis ille est] Quando Christus lapis dicitur, proponitur nobis & instructio, ne in eum incurramus. futurum enim est, ut illo salvo nos collidamur & comminuamur Matth. 21, 44. in malis erectio & consolatio, ne desperemus; quando variæ calamitates velut fluctus maris Ecclesiæ naviculam alluunt. petra enim illa ac illi superædificata Ecclesia firmiter in æternum perstabit Matth. 7, 24. 25. & 16, 18.

Christus est lapis, ne incurramus, illi confidamus.

II. Apponens lapidi unico oculos septem] Christo homini communicata esse propria divina (inter quæ est omni scientia & rerum omnium gubernatio) vel hinc discimus, etiam quorundam adversariorum testimonijs, quæ supra adduximus, confirmati. Confer cum h. l. Col. 1, 19. & 2, 3. 9. & 3, 11. Joh. 16, 30. & 21, 17. & 2, 25. Marc. 2, 8.

Christo homini divina propria communicata.

III. Ego sculpturus sum sculpturam ejus] Insigne est φιλανθρωπίας Dei patris argumentum, quod ipse ob nostram salutem proprio filio non pepercit, Rom. 8, 32. 24. sed eum contrivit & vulneravit, ut nos sanaremur Es. 53. eum morti tradidit, ut nos viveremus Joh. 10, 10. Rom. 5, 8.

Deus filio suo propter nos non pepercit.

Christus pro omnibus peccatis semel satisfecit.

IV. Amoturus iniquitatem die uno] Christus semel passus est, & unica oblatione in perpetuum consummavit eos, qui sanctificantur Rom. 6, 9. Joh. *19*, 30. Heb. 9, 25. & 10, 14. *1.* Pet. *3*, *18*. quorsum igitur pontificiorum supervacanea additamenta merito Christi assuta ?

Ex vers. *10*.]

Pax & gaudium justificatorum.

Die illo vocabitis quisq; amicum suum] Justificati fide pacem habent apud Deum per Dominum nostrum Jesum Christum Rom. *5*, 1. Non enim est regnum Dei cibus aut potus (quorum tamen sub imagine gaudium & dulcedo illius adumbratur Matth. 8, *11*. Apoc. *2*, *17*.) sed justitia, & pax & gaudium in Spiritu Sancto Rom. *14*, *17*. Est enim opus justitiæ pax, effectus, inquam, justitiæ tranquillitas & securitas usq; in seculum Es. *32*, 17. *18*. confer Jerem. *23*, 6. & *33*, *16*. & Calvinum lib. *3*. Instit. c. *13*. sect. 4. & *5*.

CAPUT QUARTUM.

Argumentum.

Summa.

Typi Christi.

SUmma hujus visionis est, quæ v. 6. disertè ponitur, Ecclesiam (cujus typus erat templum & urbs Jerosolymorum, & quò omnia tandem velut ad antitypum referuntur, sicut etiam Zerubbabel, in hoc capite, ut Jehosua sacerdos maximus cap. præced. est typus venturi Messiæ, quemadmodum declaratum est Haggæi cap. 2. vers. ult. & proinde quæcunq; his aut de his dicuntur, potissimùm in Christo suum habent complementum) non constitui, neq; gubernari, neq; sustentari ordinarijs naturæ medijs, aut hominum consilijs, sed Dei potentiâ, virtute ac spi-

ãc spiritu: Ideoq; neq; tum de restauratione urbis & templi, neq; ullo tempore de Ecclesiæ sustentatione, aut de promissionum, quæ huic factæ sunt, impletione desperandum est, sed optima quæq;, etiam in rebus coram mundo desperatis, expectanda sunt. Id enim visio hæc adumbrat, quâ partim Dei providentia commendatur, partim auxilium promittitur, ut intelligat populus Judaicus, negotium ædificationis optimè esse successurum sub manus, quantumvis id hostes impedire studeant, & pij omnium temporum discant, fore ut impleatur, quod Deus promisit Ecclesiæ, quippe quam ipse supernè illuminet, ditet, roboret, protegat ac servet.

Riberæ commentum.

Facessat ergo puerile Jesuitæ Riberæ commentum, agi in hoc capite tantùm de gentium Ecclesia Christo adjuncta, ejusq; gratia & luce, deq; Judæorum conversione in fine mundi per Enochum & Eliam ex cœlo demissos futura: contra quod quia pluribus alibi egimus, in comparatione nempe trium Ecclesiæ Doctorum Eliæ, Johannis Baptistæ & Lutheri, hic eadem reponere supersedemus, tantùm breviter in ipso contextu ostensuri, sententiæ nostræ probabilitatem, quæ scripturæ analogia & visionum harum scopo nititur, & Jesuitæ absurditatem, quæ undiquaque visitur.

Ejus argumenta refutantur.

Antequam verò progrediar (neq; enim rectè potest tradi hujus capitis ἀνάλυσις, antequam constet, de qua re agatur) argumenta ejus, quæ extant num. 31. & 32. quibusque probare conatur, verba hujus capitis de templo Jerosolymitano non posse intelligi, breviter perlustrabimus.

I.

I. Illa explicatio de templo, ut Hieronymus docet, veteribus hebræis & Ecclesiarum magistris adversatur. R. I. Veterum hebræorum omnia commentaria in h. l. mihi vi-

R. I.

dere non licuit, credo nec Riberæ, cùm ipse ad Hieronymi sententiam provocet. Quæ autem ex illis citat Hieronymus, non sunt pro Ribera magis, quàm pro nobis. Adde, quod Hieronymi autoritate solà nobis standum haud putemus, quando rationibus idoneis destituitur, imò nec hebræorum commentaria magni ponderis esse solent apud Riberam, neq; apud nos, ubi scripturâ non nituntur. II. Si per Ecclesiæ magistros Ribera intelligit patres, facilè largior, multis illorum allegoricam potius, quàm historicam expositionem more ipsorum placere, nec posse eos de sensu genuino multorum V. T. locorum dextrè judicare, quum linguam sanctam, in quâ ille à Deo revelatus, nesciant. Interim scimus multos alios interpretes hanc nostram afferre & probare sententiam, quæ num sit proba, porrò videbimus, de qua II, sic ait Ribera: Si ipsa per se excutiatur, minus habet probabilitatis, quàm primo aspectu videtur: nam & falsa assumit, & quædam relinquit, quæ convenienter explicare non potest. Syllogismo rem proponemus; Quæ expositio & falsa assumit, & quædam præterit, non est probabilis. Hæc est talis. E. Minor probatur, primum de falsis, quia dicatur hoc candelabrum in visione oblatum simile esse illi, quod fuit in tabernaculo Exod. 25. Sed R. Riberam falsum hîc assumere, cum pleriq; interpretes, quos sequimur, disertè scribant, in qnibusdam illud isti non respondere, quid ergo opus tot verborum machinas contra inanem sui ingenii larvam dirigere? neq; etiam opus est, si dicamus, quatenus hoc candelabrum offertur in visione, fieri respectum ad illud, quod erat in tabernaculo, ut in omnibus hæc duo candelabra sint similia. Secundò probare vult Ribera, de ijs quæ in hac explicatione relin-

I.

II.

Falsum assumi ait

R. neg.

Quædam omittuntur.

quun-

quuntur. I. quia non exponitur, quid significent septem infusoria aut duo rostra. sed Resp. negativè, ut postea patebit, quando nostra explicatio illa explanabit. II. de septem oculis, qui à Riberæ sententia discedunt, nequeunt ad propositum suum accommodare. Resp. longè melius secundum scripturæ analogiam, quàm ipse Ribera, ut deinceps cum Deo declarabitur III. (quod est valdè ridiculum) Zerobabel, inquit, nunquam habuit lapidem stanneum. Resp. neq; id in textu hebræo dicitur, sed tantùm, quod lapidem perpendiculi habuerit, cui optimè historia respondet, quando is ædificare templum legitur. IV. Duæ olivæ dicuntur significare regnum & sacerdotium, cùm tamen Zerubbabel non fuerit rex. Resp. nugæ maximæ. Etsi non fuerit rex unctus, tamen erat regis loco, dux populi, quod tantùm innui dicimus. V. Mons magnus Zerubbabeli isti non obstitit. Resp. neg. quia multi hostes conabantur impedire ædificationem. Ex quibus omnibus futilitas Jesuitæ apparet, qui ob argumenta nullius momenti à vera explicatione ad planè absurdam abire voluit.

I.
R. neg.
II.
R.
III.
R.
IV.
R.
V.
R.

Jam vero videbimus hujus capitis ἀνάλυσιν. Dividi id populariter potest in 4. partes, quarum I. est paraskeve ad typi propositionem v. 1. II. ipse typus v. 2. 3. III. interpretatio partis principalis typi v. 4. IV. interpretatio alterius partis visionis v. 11.

Ἀνάλυσις Popularis.

Nos Tremellij & Junij ductum sequentes in tres partes hoc caput distribuemus: Earum I. erit προοικὴ seu præparatio v. 1. II. typi ipsius per duas partes enarratio de lychnucho aureo ejusq; ornatu v. 2. de duabus oleis suppeditantibus utrinq; oleum v. 3. III. ejusdem interpretatio pro ratione typi bipartiti bimembris. Primò enim, quid lych-

Alia 3. Partes tres I. II. III.

lychnuchus, de quo v. 2. denotet, indicatur. Ejus enim interpretationem propheta postulat v. 4. & ad eam accipiendam ipsum angelus excitat vers. 5. ac porrò καὶ ἄρσιν καὶ θέσιν explicat hanc in genere v. 6. in specie v. 7. deniq; confirmat ex Dei revelatione v. 8. à rei experientia v. 9. & Dei providentia v. 10. Secundò, quid duæ oleæ, de quibus sup. v. 3. significent, exponitur, id quod propheta rogat v. 11. 12. & angelus seu Christus ipse præstat v. 13. 14. quemadmodum in plerisq; visionibus Ἀλληγορία inter prophetam & Christum instituitur.

PARS PRIMA.

Vers. 1.] Postquam propheta nomine Dei jam aliquot insignes promissiones typis adumbratas exposuit, quæ nam sit carnis imbecillitas, suo ostendit exemplo, dum superiorum promissionum admiratione stupebat potius, quam eas credebat, (confer Luc. 2, 33. & 24, 41. ubi exempla piorum similia) ideoq; facilè colligere est, quid reliquos ejus auditores feciſſe putandum sit. Sic autem scribit: *Deinde*, cum jam de statu Ecclesiastico, ijsq;, quæ huc pertinent, actum esset in superiore visione, *reversus angelus ille, qui loquebatur in me*, hoc est, Christus sup. cap. 1. 9. à Jehosua conversus, & mecum sermonem habens, à visione præteritâ attonitum ac stupentem, dum clarum veritatis lumen videre non poteram & quasi obdormiscebam, *excitavit me, ut virum, qui excitatur à somno suo*, expergefecit me, ut ad ea, quæ in visione porrò offerebantur, attenderem, sicut & Danieli quoq; contigit c. 8, 17, 27. & c. 10, 10. Et hæc est præparatio.

Stupent quandoq; pij magis quam credunt.

LOCI

LOCI COMMUNES.

Ex vers. 1.]

Angelus excitavit me] Nostræ carnis pravitate, diabolicq; suggestione id fit, ut quando Deus maximè nobiscum agit, nobis subinde sopor atque veternus obrepat, quemadmodum videmus in discipulis Christi, quando pater de cœlis cum ipsis loquebatur, & filius coram ipsis transformabatur, ipsi erant gravati somno Luc. 9, 29. 32. 35. meritò igitur semper id inclamet verbi præco: Excitare, qui dormis, & exsurge ex mortuis, & illucescat tibi Christus Ephes. 5, 14. hîc enim etiam tum pro immensa sua misericordia nos excitat, & rogatus illustrat oculos nostros, ut non dormiamus dormitionem mortis Psal. 13, 4. Nos verò in N. T. qui vivimus, semper in memoriam id nobis revocemus, quod Rom. 13, 11. 12. scribit Apostolus, hora adest, ut excitemur à somno, somno, inquam, insciticæ & nequitiæ, quemadmodum ibidem pluribus declaratur.

Quando Deus nobiscum agit, dormitamus.

PARS SECUNDA.

Vers. 2.] Sequitur typi ipsius declaratio, ubi in initio propheta, quasi adhuc nondum satis vigilans, interrogatione angeli magis excitatur, ac monetur, ne obiter aut perfunctoriè tantam fidei confirmationem à Deo sibi propositam transmitteret, aut leviter saltem (quæ hominum negligentia, infirmitas ac stupor esse solet) admitteret, sed ut videat attentiùs, explicationemq; petat ardentiùs. Sic autem Zacharias de seipso: *Et dixit mihi ille angelus*, postquam me exsuscitaverat, ecce visum divinitus oblatum, tu autem non satis videris advertere, age *quid tu vides? cui dixi, video, quod ecce* obversetur mihi candelabrum sive lych-

Typus lychnuchi aurei.

lychnuchus aureus totus, cujus lecythus (vulgò lenticulam cum Hieronymo dicunt, hebræis vero גֻּלָּה à Rad. גָּלַל, id est, volvit, in Niphal fluit, propterea quod inde oleum effluat, dicitur) genus quoddam vasis rotundi, instar phialæ, *supra summitatem ejus* lychnuchi *est, & septem lucernæ ejus in eo, septemq; infundibula septem illis lucernis, quæ in summitate illius* sunt. Hæc est prior visionis pars, quæ deinceps v. 6. 7. 8. 9. 10. explicatur, quæ tamen ut sit tantò dulcidior, summam ejus ac scripturæ analogiam hîc statim libet subijcere, ut vel inde Jesuitæ Riberæ appareat temeritas.

In V. T. tempus umbrarũ

Lychnuchus aureus quid notaverit,

in N. T. explicatũ.

Primùm illud hîc tenendum, quod in V. T. quippe quando erat nox ac tempus umbrarum Rom. *13, 12.* Col. *2, 17.* Heb. 10, 1. multa obscuriùs in templi Jerosolymitani vasis ac instrumentis sint proposita, atq; inter ea lychnuchus ille aureus cum suo ornatu reliquo (de quo Exod. *25.* v. *31.* & seqq. *37, 17.* & 40, *24.* Num. 8, 4. sua significatione non caruerit Hebr. 9, *1. 2. 8.* Quænam verò hæc, tum in V. T. per traditionem Deut. 6, 7. notum fuit, in N. autem T. aliquoties satis disertè est explicatum Matth. *5, 14. 15. 16.* Luc. 8, *16.* & *11, 31. 32. 33.* Apoc. 1, *12. 20.* & 11, 4. nempe fuit typus ipsius Ecclesiæ coram Deo pretiosissimæ, id quod lychnuchi hujus & materia & forma denotant, quarum illa est valdè preciosa, hæc admodum speciosa; illa aurum purum, metallum optimum, hæc consistebat in ornatu egregio & cœlatura juxta artificium maximum. Secundò observandum, quod hoc loco hac visione depingatur & templum Jerosolymitanum in typo, non tantùm quod sit satis magnificum & ornatum ædificium futurum, sed etiam inprimis, quod in eo Christus tandem per Evangelij prædiaationem

Templum Jerosolymitanum typus Ecclesiæ.

nem, apostolorumq; electionem ac missionem (quos velut lucernas ardentes super illud candelabrum posuit) lucem doctrinæ accensurus sit, & Ecclesia omnium temporum sequentium in antitypo, quod ipsa luce verbi divini, & alijs donis nunquam sit caritura, quippe cui erunt septem lucernæ, hoc est, multi Ecclesiæ doctores Joh. 5, 35. & magnæ doctrinæ lux ac splendor. 2. Pet. 1, 19. ac septem infundibula, hoc est, multa Spiritus S. dona, quibus illi instructi, tantum possint ritè subire officium 1. Cor. 12. unde etiam propter donorum istorum multiplicium largitionem una Spiritus Sancti persona septem Spiritus dicuntur Apoc. 1, 4. quatenus communicatione virtutis suæ operumq; divinorum demonstratione in septem illas Ecclesias (quarum ibidem & c. 2. ac 3. fit mentio) ita se perfectè aperit, ut si totidem essent spiritus perfectè in sua quisq; Ecclesia operantes. Desinat autem hîc ineptire pater Ribera, quod per hæc 7. infundibula intelligantur 7. sacramenta in N. T. Nos n. præter duo, strictè sic dicta, nulla in N. T. sacramẽta agnoscimus, nec ille eadem ex scriptura demonstrare poterit, qua de re alius est dicendi locus. Nunc paucis præterea dispiciemus, cur Deus sub candelabri specie, & quidem aurei, hæc revelaverit. Sine dubio illa potissimum in hoc typo notantur obscurè, quæ alibi scriptura dilucidè posuit. Primùm sicut candelabri hîc proprius usus est, ut in tenebris ipsi lucerna imposita ardeat, lucemq; præbeat ad obeunda necessaria negotia, sine offensione aut læsione corporis, & rectè conficienda opera, circa quæ versamur: Ita etiam ministerij verbi (hinc enim, synecdochicè toti Ecclesiæ hoc nomen competit in locis suprà allegatis) proprium officium est, ut ejus præcones in suggesto, & velut in sublimi constituti sint lucernæ ardentes, qui auditoribus tene-

7. infundibula notant Sp. S. dona.

non 7. sacramenta.

Candelabro cur adumbretur Ecclesia. 1.

Præcones verbi lucernæ ardentes.

tenebris mentem obscuratam habentibus verbi divini faculam alluceant, ne in credendis aut faciendis offendant, sed ritè illa præstent, quæ summus ille paterfamilias in magna suâ domo seu Ecclesia quemq; peragere voluit, quemadmodum facilè hujus comparationis singula membra ex scriptura probare possemus, nisi aliò properantes privatæ
2. cujusq; hoc relinqueremus industriæ. Deinde sicut aurum inter omnia metalla est præstantissimum, sive precium spectes, sive incorruptibilitatem, quæ nec igne violari, nec rubigine exedi potest: Sic in his terris Ecclesia & verbo Dei (unde illius præstantia oritur, quod sæpe in Psalmis 12. 19. 119. & aliàs auro quoq; comparatur) nihil est melius, Deoq; carius, quippe illa est ejus peculium, quod filij sui sanguine pretiosè redemit, quodq; æternum etiam post hanc vitam durat, nec quicquam crucis igne corrumpi, nec vitiorum rubigine, si modo agatur pœnitentia, & legis scopis ex peccatorum exverris pertrahatur, denarius perditus Luc. 15, 8. planè aboleri potest, quæ collationis membra etiam credo, ab unoquoq; scripturarum perito facilè posse ex ijs deduci ac stabiliri. Tertiò neq; illud siccò pede hîc prætereundum, quod sub lecythi, seu, ut alij vocant, disci ac lenticulæ suprà candelabro impositæ, figura Christus adumbretur, quippe (ut paucissimis hæc omnia complectamur) solus Ecclesiæ suæ caput est, super omnia eminet, & ex cujus plenitudine omnes accipimus, quæ omnia κατὰ λεπτὸν in loco de officio Christi, & loco de Ecclesiæ capite quia solent explicari, hîc indice digito tantùm monstrari debuerunt, quæ inde porrò petenda esse arbitramur. Et tantùm de priori hujus visionis parte: sequitur posterior v. 3, contenta, quæ sic habet.

Dei verbum auro contrà carius.

3.

Christus Ecclesiæ caput.

Vers.

Vers. 3.] *Et ecce duæ oleæ erant ad illum lychnuchum* (sic enim עַל omninò hîc accipiendum, ut aliàs sæpè pro juxta vel secundum ut inf. v. 14. Job. 1, 14. Exod. 2, 15. Ps. 137, 1. Gen. 14, 6. & 29, 2. Luc. 4, 39.) unde perpetuum oleum illi candelabro ejusq; infundibulis suppetat divinitus, siquidem h. l. non fit mentio ullius, qui oleum expresserit, & ut intelligamus, nulla ex parte id defuturum, stant illæ duæ oleæ utrinq; adnatæ ac virentes semperq; oleum fundentes, *una à dextra lecythi, & altera ad sinistram ejus*, Christi jussum (hunc enim per lecythum intelligi, suprà ostendimus) utrobiq; expedientes. Et quia hæc omnia infrà sunt exponenda prolixiùs, eò reliqua, quæ hîc dicenda fuerant, reservabimus, visuri interea, quomodo nostro prophetæ ipsi ab angelo prior visionis pars explicetur.

עַל ἐπάνω *i. e. juxta.*

LOCI COMMUNES.

Ex vers. 2.]

I. Ecce lychnuchus] Ubi est vera Ecclesia, ibi est lux & lucerna, & candelabrum verè aureum, hoc est, verbum Dei, quod est lux Prov. 6, 23. Psal. 19, 9. & 119, 105. 2. Pet. 1, 19. verbi divini præco, qui est lucerna ardens Johan. 5, 35. & verbi ministerium, quod est velut candelabrum, cui illæ lucernæ à patrefamilias, hoc est, Deo vel immediatè, vel mediatè, per Ecclesiam vocante, imponuntur, ut omnibus qui sunt in domo Dei seu Ecclesia 1. Tim. 3, 15. Eph. 2, 19. luceant, & non sub humanæ rationis collocentur modium Matth. 5, 15. Typus quidam hujus rei & velut imago est, quando in Ægypto, quæ hujus mundi naturam repræsentat Apoc. 11, 8, erant tenebræ plusquam Cimmeriæ, cum tamen in terra Gosen, ubi habitabant Israelitæ, qui sunt verè fi-

In Ecclesia est lux.

dales, erat lux Exod. 10, 21, 22, 23. Confer Esa. 9, 1. 2. & 60, 1. 2. 3.

Septem pastores.

II. Septem lucernæ] Deus suæ Ecclesiæ dat tot ministros, quot ei sufficere possunt. vide quæ dicta sunt Mich. 5, 5.

Divinitus præcones verbi illuminantur.

III. Septem infundibula 7. illis lucernis] Homines ex se non possunt in domo Dei lucere, nisi divinitus eis dona concedantur 2. Cor. 2, 16. quomodo prædicabunt? putacum fructu & de jure Rom. 10, 15. vide etiam sup. 2. 5. Jer. 3, 10. Esa. 6, 7. Jer. 1, 9.

Ex vers. 3.]

Duæ oleæ ad illum] Ecclesia supernè illustratur & sustentatur, quemadmodum suprà aliquoties fuit declaratum, & infra idem probandum est.

PARS TERTIA.

Scopus Visionis.

Vers. 4.] Ejus scopus est, candelabrum tam egregiè exornatum pulchreq; instructum significare, ædificandum esse templum ac perficiendum, ut in eo iterum reponi possit candelabrum aureum, quale prius in eo erat, & porrò gloriam hujus templi Christo exhibito fore magnam Hag. 2, 7. quemadmodum etiam Ecclesia ab eodem semper decore & honore coronatur. Antequam autem illa interpretatio tradatur, διδασκὴ quædam præmittitur instituta per dialogismum, ut magis & tunc propheta, videns ista in ecstasi, attenderet, & nosipsi quoq; ea legentes excitemur melius. *Tum* enim, quum illa mihi revelata erant, *respondi*, hoc est, scripturæ stylo, quæ sæpius ab initio sententiæ ita hac voce utitur, cæpi verba facere, *& locutus sum ad Angelum*,

διδασκὴ.

Respondere.

lum, qui loquebatur in me dicendo, quid ista, quæ vidi, sibi volunt, *Domine mi*, ego enim rerum tantarum splendore obstupescens hæreo, & quid inde colligam, nescio.

Vers. 5.] Tum *respondens angelus qui loquebatur in me, dixit mihi*, cum quotidiè candelabrum aureum quondam fuerit in templo, & scias, illa omnia fuisse umbras, de quibus unus, quid notent, interroget alterum Exod. 12, 26. & 13, 14. Deut. 6, 20. 21. Jer. 31, 34. *an tu nescis, quid sibi* velint *ista? Cui dixi* ego, ignorantiam meam non dissimulans, *non* novi *Domine mi*, & proindè te rogo, edissere, quid vilio illa portendat.

In V.T. unus interrogabat alterum.

Vers. 6.] *Respondens itaq.*, hisce meis precibus impulsus, *allocutus est me dicendo*: Ecce tibi, ut vidisti hunc lychnuchum cum toto suo ornatu divinitus poni ac necessarijs rebus instrui, ita scias Ecclesiam Dei solius consilijs ac virtute sustentari, defendi, regi, & nunc hoc opus ædificationis eo duce & auspice perfectum iri. Id quod Tremellius & Junius in notis ad h. l. ita efferunt: Quemadmodum lychnucho illi & instrumentis illis sive faciendis & constituendis sive curandis, nulla ars humana, nullæq; vires adhibentur, sed Deus spiritu suo fecit & supernè curat per eundem spiritum, ita etiam populus meus & Ecclesia mea nullo consilio aut humanis viribus restituta est, curabiturq; porro & conservabitur, ne sua quidem & ducum suorum opera, sed unica virtute spiritus mei. *Hoc est verbum Jehovæ* adumbratum hujus visionis typo *ad Zerubbabel* populi ducem, *dicendo* ad eum potissimum, tum quia ipse Christi æterni regis typus est Hag. 2, ult. tum vel inprimis, ut ipse hinc erigatur ac confirmetur, siquidem ille potissimum hoc opus curare debet, neq; frangi externis obstaculis, quia ex principum

Ecclesia Dei virtute sustentatur. Tremellij nota.

Zerubbabelem cur alloquatur.

cipum ingenio, hoc est, constantia seu timiditate populus pendet sæpissimè. Scit enim Deus hoc esse primum ac præcipuum spectrum, quod nos in opere cœpto impediat, quando ita rationes vobiscum deputatis: mandatur nobis, ut templi ac urbis ædificationem aggrediamur: magnum certè opus molimur, & sumus imbelles ac impotentes: contrà nostri hostes sunt validi ac potentes, frustrà ergo laboramus. Sed audite quæso, quid dicat Dominus, is enim ita censet: Externis præsidijs opus non est, ubi meus spiritus est, non enim opus hoc efficietur *virtute externa neq; vi* humana, *sed spiritu meo*, id est, virtute divinâ, ut vox spiritus accipitur Es. 11, 4. & 31, 3. 2. Thess. 2, 8. pro Dei potentia, quæ meritò à vobis sola opponi debet omni, quicquid mundus aut homines habent forte, robustum, numerosum, splendidum, *ait Jehova* Dominus *Exercituum*, idq; longè firmius ac verius est, quã illud quod caro dictitat: idq; ut tantò diligentius notaretur, bis ei gravissima hæc asseveratio ac confirmatio in hoc unico versu adjecta est.

Maxima tentatio Judæorũ reductum.

Spiritus i. e. potentia Dei.

Vers. 7.] Atq; hæc quidem dicenda sunt Ecclesiæ civibus consternatis ac timidis: quæ vero sequuntur, referenda sunt ejusdem hostibus rerum successu elatis ac tumidis, quæ ut animos eorum tantò magis afficiant, per apostrophen proponuntur, q. d. vos præ Zerubbabelis Judæorumq; tenuitate montes magni vobis videmini: verùm, agite, mox mutatio fiet, non estis vestri juris ac arbitrij, sed sub manu ac potestate Dei, qui ita horribili voce intonat: Tu vero *quis es, ô mons magne, coram Zerubbabele*, cui te opponis, (quomodo hoc factum Esd. c. 3. 4. 5. legere est) sis carnalium hominum judicio mons excelsus, qui videaris magnus & invictus, mox deijcieris, nam jamjam *in-*

Ecclesiæ hostes Deus allo quitur.

Mons magnus.

plani-

planitiem es, ut ita omnia Zerubbabeli virtute mei ſpiritus te humiliantis ſint plana ac facilia, ſiquidem ipſe non modò fundamenta jaciet cum læta videntium gratulatione, verùm etiam totum abſolvet ædificium, & vel vobis, ô hoſtes invidi, invitis, videntibus ac pereuntibus ipſe lapidem ſummum extremamq; manum huic imponet operi, *nam* ille idem *proferet lapidem ſummum cum fragoſis acclamationibus* ſpectatorum gaudentium, dicentium ac identidem ingeminantium: *gratia gratia ei* domui, quæ nunc ad ſummum educta eſt faſtigium, ei, imò nobis per eam multa ac magna (id quod geminatio apud hebræos notat Buxt. th. l. 2. c. 2. p. 320. 321. Vide in Pſal. 3, 3.) gratia obtingat, clementia omnipotentis aſpiret labori ac cœpto huic, ut inde omnis generis bona in nos redundent; atq; ita Judæi optabunt hâc formulâ, quâ tamen etiam ijdem hoc prædicabunt: gratiâ Dei hæc domus perfecta eſt præter omnium opinionem, non merito aut virtute noſtrâ, ſed gratia Dei nobis adfuit, eaq; ut porrò adeſſe dignetur, ſupplicibus votis oramus, ut ita gratia antecedat, ac conſequatur, nosq;, qui hanc domum frequentabimus, circummuniat, confer 1. Reg. 8.

Zerubbabel opus ædificationis perficiet.

(Geminatio vocis.)

Verſ. 8.] Atq; hanc eſſe mentem horum verborum in ſeqq. apertè indicatur, ubi propheta ſic ſcribit: *fuit enim verbum Jehovæ ad me dicendo*, ne quis putet, me pro meo in Zerubbabelem favore iſtam ſup. v. 7. inſeruiſſe particulam, quod is non tantùm inceperit, ſed etiam perfecturus ſit hoc ædificationis negotium.

Ad eventum provocat propheta.

Verſ. 9.] *Manus Zerubbabelis fundaverunt domum iſtam, & manus illius ipſius perfecturæ ſunt* in veſtris oculis, *ut agnoſas*, quisquis es, qui hac de re adhuc dubitas, *Jehovam*

vam Dominum *exercituum*, *misisse me ad vos.* confer sup. c. 2, 13. Sic vos quondam probabitis hujus vaticinij veritatem experientiâ & ex eventu certissimo.

Quod Deus expedit, nemo impedit.

Vers. 10.] Interea verò ego eandem firmo à Dei providentia, qua cùm hanc rem curet, quis eam intervertat, aut ipso invito impediat? cùm ipse eâ delectetur, quis spernat? neq; enim est, quod quis nunc parvis hisce offendatur initijs, quia paulò post futurum est, ut ex lætissimo eventu ingens exoriatur lætitia. *Quis igitur*, nisi demens, *spreverit diem parvorum* ac tenuium horum principiorum, quæ jam in exstruendâ domo ducta sunt? nemo, inquam, nisi qui planè impius aut insanus, (sic enim ista interrogatio ex usu scripturæ vehementer negat) & meritò: *nam lætantur*, ac paulò post gaudebunt ex animo *adspicientes ad lapidem*, & *ad perpendiculum*, quæ sunt *in manu* ædificantis *Zerubbabelis*, quando jam ferè ad finem perductum est ædificium, supremaq; manus tantùm imponenda restat. Quis autem, inquiat aliquis, præstabit hoc? *Septem illi* dico, quinam septem illi? *oculi*, inquam, *Jehovæ*, de quibus sup. c. 3, v. 9. inf. c. 5, v. 6. Apoc. 5, 6. illiipsi *peragrantes* cùm *totam terram*, tum præcipuè in Ecclesiam clementer ac in bonum intenti, quemadmodum super hostes ejus in malum ac ad puniendum sunt directi. Vide Amos 9, 4. 8.

Interrogatio negat.

Septem oculi Jehovæ.

Vers. 11.] Hactenus prioris partis visi, quæ v. 2. interpretatio: sequitur posterior, in quâ nova θεολογικὴ λογικὴ, ut sup. v. 4, 5. 6. Sic autem incipit propheta: postquam hæc, quæ v. 2. erant visa, satis exponente angelo perceperam, & nunc porrò etiam versus tertij explicationem scire avebam, *amplius* pergens loqui (hoc est, in textu hebræo, *respondens*, ut supra v. 4. dictum est, & ita hoc verbum usur-

Respondeo i. e. pergo loqui.

usurpatur Matth. 11, 25. Marc. 12, 35. & alibi) *dixi ei* angelo loquenti in me, *quid sibi* volunt *duæ oleæ istæ*, quarum una est *ad dextram lychnuchi*, & altera *ad sinistram ipsius*.

Vers. 12.] Et cùm rem diligentiùs considerarem, admodumq; mirarer, hoc unum omnibus septem lucernis perpetuum subsidium, quod nulla arte aut operâ humanâ præbebatur, pergens loqui seu *respondens* denuò dixi, & angelo in me, ac mihi roganti, loquenti, accuratiùs & minutatim scisitans de ijs, quæ nondum ex vers. 3. erant explicata, de quibus satis benè in notis suis Tremellius ac Junius h. m. utrinq; adstabant lychnucho erectæ oleæ, quarum rami ad lecythũ lychnucho impendentẽ spectabant: supra lychuchũ erant duo tubi aurei, quorũ os inferius lecytho oleũ infundebat, superius v. (quod spacij majoris erat) accipiebat ex olearum baccis, quæ memorantur hoc versu. Hæc illi, quæ magnam huic textui lucem inferunt. Sic enim quærit propheta: *quid duæ baccæ olivarum, quæ sunt in spacio duorum tuborum auri effundentium ex se aureum liquorem*, nullo homine administro semper stillantium oleum, quod ex auro in aurum defluens & ipsum aureum videbatur, quippe pellucidum. *Visio de duabus oleis.*

Vers. 13.] *Quum* autem *ille angelus alloquutus esset me dicendo, an nescis, quid ista* sibi velint? *dixi ego* denuò meam profitens ignorantiam, *non, Domine mi* sup. v. 5. scio, quid ista significent, ideoq; te rogo, illud me edoceas. *Quid hæ notent.*

Vers. 14.] *Itaq; dixit* à me rogatus. *hæ* sunt *duo filij olei*, hoc est, duæ oleosæ seu oleæ oleaginosæ, uberes, pinguissimæ, scaturiginem quandam olei habentes, idq; indesinenter subministrantes, consistentes ac *permanentes apud*, עַל, id est, (עַל *i. e. apud.*

id est, apud, sup. v. 3. *Dominum totius terræ*, quomodo hoc responso brevi angelus satis habuit demonstrasse interpretationis viam, quum priorem tantùm quæstionem, quæ habetur v. 11. explicat, ad posteriorem verò, quæ ex priori dependebat, expositionem inde colligendam relinquit. Hic vero valdè variant interprètes, quænam sint hæ duæ oleosæ, seu filij olei, & quid notent. Hebræi pro ratione illius temporis, quo visio hæc prophetæ oblata est, ajunt intelligi Zerubbabelem populi ducem, de quo hoc capite, & Jehosuam sacerdotem maximum, de quo cap. præcedenti, qui propterea, quod solebant in V. T. ungi 1. Reg. 10, 1. & 24, 7. Exod. 29, 29. & 30, 30. Lev. 8, 12. dicantur filij olei & stent apud Dominum totius terræ, hoc est, in ejus ministerio sint fideles. Hinc jam alij interpretes, nempe Wigandus Gualtherus & præterea nonnulli in hanc abeunt sententiam, quia non tantùm hæc visio de typo, sed etiam de antitypo, hoc est, non tantùm de templo & politiâ Judaicâ, sed etiam de Ecclesia omnium temporum agit, designari synecdochicè omnes pios gubernatores in statu Ecclesiastico & politico, qui religionem sedulò propagant, Dominoq; suo fideliter inserviunt, ut ita fiat transitus ab individuo ad speciem, in ijs, ubi de jure quæritur. Porro quidam, referente Ribera, Beda & Tychonius existimant denotari duo sacrorum Bibliorum instrumenta, quæ vulgò testamenta dicuntur, eò quod inde Ecclesia suam lucem hauriat. Ipse Ribera verò cum quibusdam alijs, præcipuè patribus, duos prophetas Enochum & Eliam Thesbiten in suis corporibus paulò ante mundi finem redituros, ac Judæorum gentem conversuros, intelligi, mordicus, sed frustrà it defensum, nixus potissimum alio malè ab ipso accepto loco Apoc.

I. Sent. Hebræorum, notari Zerubbabelē & Jehosuam.

Reges & sacerdotes ungebantur in V. T.

II. Wigandi &c. omnes gubernatores.

III. Duo instrumenta bibliorum.

IV. Ribera, notari Enochum & Eliam Thesbiten.

poc. II, 3. 4. qui error uterq; cùm jam antea à me sit refutatus, in collatione trium Eliarum, eò me brevitatis ergo jam refero. Brigthmannus Com. in Apoc. c. II, existimat intelligi verbum Dei, ex quo, tanquam oleâ fundatur, quod nutriat lampades Ecclesiæ, & duas esse, quia sunt duo Testamenta V. & N. seu lex & Evangelium, quæ quidem vera sunt, hîc tamen adumbrari non puto, quia scripturæ analogia eum destituit, in qua lex cum oleo non comparatur, nec V. T. tempore Zachariæ poterat adumbrari, quippe quod jam revera erat. Sed desino his immorari, ubi illud paucis, de loco modò ex Apocalypsi allegato, adjecero I. omninò Johannem ad v. 2. & 12. hujus capitis respicere, II. hoc velle, quemadmodum hîc à propheta declaratur ex visione ipsi revelata & explicatâ, Deum conservare, donisq; necessarijs ornare suam Ecclesiam; sic etiam tum in statu Ecclesiæ N. T. luctuoso futurum, ut à Deo sustentetur, ministris verbi donetur, & necessarijs rebus instruatur, licet nunc in capite hoc II. sint duo candelabra seu Ecclesiæ particulares, & pauci ministri, cùm antea cap. 1. 2. 3. ipsi ostenderentur septem candelabra, & multi verbi præcones, ut facilè intelligas, utrobiq; valde imminutum esse numerum. Sed redeamus ad hunc prophetæ nostri locum. Ego verò cum scopum hujus visionis, ejusq; cohærentiam, ac scripturæ analogiam diligentiùs consîdero, accedo potius ad sententiam Calvini & Junij, quorum hic in notis hæc habet: duæ istæ arbores figurant omnimoda Spiritus Sancti dona à Deo in æternùm ad Ecclesiam obventura per Christum, duæ autem baccæ & tubi significant demensum Spiritus abundans, & in Ecclesiam à plenitudine Christi suis modis, tanquam tubulis, indesinenter defluens, dum illa

V. Brigthmanni, verbum Dei.

Apocal. II, 3. 4.

VI. Calvini & Junij,

Significari Spiritus S. dona.

illa dona penes Christum, quippe à quo unà cum Patre Spiritus S. procedit & datur, sunt, & per illum Ecclesiam benedictionibus æternis perfundunt. Atq; hæc cum præcedentibus optimè conveniunt, quando v. 3. hæ oleæ ad dextram & sinistram, hoc est, ab omni parte lecythi, qui in summitate candelabri aurei erat, Christumq; ipsum denotabat sup. v. 2. fuisse dicuntur, siquidem in manu hujus est, dare Spiritus S. dona, cui & quantum vult. Et quamvis ille quotidie suæ Ecclesiæ multa elargiatur, tamen nihil minus habet, sed ea permanent apud illum semper v. ult. Per oleas enim potius quàm per alias res adumbratur hæc donorum effusio, tum quia ipse Christus, quod oleo lætitiæ supra modum unctus sit, nomen Messiæ obtinet Psal. 45, 8. & 89, 21. Es. 61, 1. Dan. 9, 24. Luc. 4, 18. Act. 4, 27. & 10, 38. Hebr. 1, 9. tum quia Spiritus S. ipse ratione donorum effusorum in Ecclesiam, (quomodo de eo h. l. agitur) unctio 1. Johan. 2, 20. 27. sumpta metaphora à consuetudine unctorum, quæ in lege τυπικῶς usurpari solebant, vide Exod. 29. & 30. cap. & confer ea, quæ de spirituali piorum unctione loquuntur 2. Corinth. 1, 21, 22. Cant. 1, 3. & 4. 10. & quomodo hi duo filij olei, h. e. oleo indesinenter fluente prædiți adsint hujus spiritualis candelabri lecytho, hoc est, Ecclesiæ capiti Christo, melius intelliges.

Christus dat Sp. S.

Messiæ nomen.

Sp. S. dicitur unctio.

LOCI COMMUNES.

Ex vers. 4.]

Quid ista sibi volunt?] Nostrum est, semper adniti, ut fiamus intelligentes, quæ nam sit voluntas Domini Eph. 5, 17. vide suprà c. 2, v. 2. L. C. 1. & v. 6. L. C. 1.

Cognoscamus Dei voluntatem.

Ex

Ex vers. 5.]

An nescis, quid ista? & dixi, non] Agnoscimus hîc in propheta, quanta sit mentis nostræ in rebus spiritualibus obscuritas *1. Cor. 2, 14. 2. Cor. 3, 4. Act. 26, 18. Eph. 4, 17. 18. 19. & 5, 8.* *Mentis nostræ cæcitas.*

Ex vers. 6.]

I. Respondens allocutus est me] Quia Deus nos vult docere adeò libenter, nostrum est discere diligenter Psal. 49, *2. 3. 4. & 50, 1. 2. 3. 4.* & quia idem typos tam dilucidè curat explicandos, quomodo suum verbum velit esse obscurum? quemadmodum Christus ipse etiam, si quid per parabolas obscurius proposuerat, statim postea satis perspicuè exponit Matth. *13.* Joh. *3, & 10. &* 16. *Discamus diligenter.*

II. Non virtute neq; vi] Ecclesia externis præsidijs non defenditur, sed solius Dei virtute conservatur Psal. 46. & 48. Act. *5, 38. 39.* 2. Cor. *4, 7. 8. 9. 1.* Cor. *1, 26.* quippe quæ in infirmitate perficitur *2.* Cor. *12, 9.* *Ecclesia ab hominibus non defenditur.*

Ex vers. 7.]

I. Quis es, ô mons magne?] Contra montem Sion, hoc est, Ecclesiam, semper alij magni montes excitantur à Diabolo, qui sint montis illius perditores Jerem. *51, 25.* tales fuerunt Cain, Nephilim ante diluvium, Pharao, Cananæi, Assyrij, Babylonij, Samaritani, Persæ, Antiochus, Herodes, Romani, qui omnes eò vires intenderunt suas, ut Ecclesiam funditùs exscinderent; verum frustra, cum omnes in planitiem redacti sint, & miserè ex suo delapsi fastigio, eò quod sola fides possit istos omnes montes transferre ac in mare dejicere Matth. 17, 20. huc etiam saxum sine manibus à monte revulsum, omniaq; mundi regna comminuens, Dan. *Montes Diaboli, inplanitiem redigantur.*

Dan. 2, 34. 45. & cum h. l. conter finem versus sexti hujus capitis, siquidem hi duo loci in afferenda sibi luce mutuas tradunt operas.

Ecclesiæ hostes pereunt.

II. In planitiem es] Deus potentes ecclesiæ hostes deprimit Luc. 1, 52. nota sunt illa tragica Tyrannorum miserè pereuntium exempla, veluti Pharaonis, Sennacheribi, Holofernis.

Cum Deo omnia bene succedunt.

III. Proferet lapidem summum cum acclamationibus] Deo benedicente omnia satis feliciter succedunt Lev. 25, 21. Deut. 28, 8. Psal. 133, 3. Psal. 3, v. 9. ut testantur exempla patriarcharum, Abrahami, Isaaci, Jacobi, Josephi. quis enim execraretur, ubi Jehova non execratur? quis detestaretur, ubi ille non detestatur? Num. 23, 8.

Ubi Christus, ibi gratia.

IV. Gratia gratia ei] Ubi Christus est, ibi plurimum gratiæ est Johan. 1, 14. 16. 17. Rom. 1, 7. unde in omnibus suis Epistolis gratiam per Christum suis auditoribus optat Apostolus.

Ex versu 8.]

In Ecclesia sonet vox Christi.

Fuit enim verbum Jehovæ ad me dicendo] Quisquis publicè in Ecclesia se audiri expetit, loquatur ut eloquia Dei 1. Pet. 4, 11. ut verè in verbi divini ministros quadret illud Christi Luc. 10, 16. Qui vos audit: & ut ipsi auditores certi sint, quod acceptum de Deo sermonem, quem audiunt ex suis doctoribus, excipiant, non ut sermonem hominum, sed, sicut revera est, ut Dei sermonem, qui efficax est in illis, qui credunt 1. Thess. 2, 13.

Ex vers. 9.]

Christus α & ω.

Manus Zerubbabelis fundaverunt domum istam, & manus ejus perfecturæ sunt] Deus singulariter illos curat, qui singu-

singularem in ejus domo ædificandâ curam adhibent Hagg. 2, 23. sup. c. 2, 12. Quia autem Zerubbabel in toto hoc negotio typus Christi est, ut in loco Haggæi modò citato ostensum est, id notatur, Ecclesiam in Christo fundatam, eodem autore perfici Matth. 16, 18. Eph. 2, 20, 21. 22. quia ipse est A & Ω, ptincipium & finis Apocal. 1, 11. & 21, 6. & 22, 13.

Ex vers. 10.]

I. *Quis spreverit diem parvorum?*] Deus parva, contemta, humilia & abjecta in hoc mundo eligit 1. Cor. 1, 27. 28. Luc. 1, 48. 52. 1. Sam. 2, 8. Psal. 113, 6. 7. quibus tamen ipsi placet olim dare regnum Luc. 12, 32. & si quis non spernit hîc abjectus esse cum Davide Psal. 84, 11. 2. Sam. 6, 22. ille tandem audiet: Euge serve bone & fidelis, in parvo fuisti fidelis, super multa te constituam, ingredere in gaudium Domini tui Matth. 25, 21. 23. Ille enim ordo à Deo servatur in suis, ut per angusta ad augusta Matth. 7, 14. per afflictionem ad refectionem Apoc. 7, 14. Luc. 16, 25. Apoc. 14, 13. à parvis ad magna, ab humilibus ad excelsa, ex labore ac dolore ad honorem perveniant. Et hanc fortunam ipsa Ecclesia sæpe experta est in V. T. tempore Caini, Noachi, Abrahæ, Jacobi, Mosis, in N. T. tempore Johannis Baptistæ, Christi, ejusq; Apostolorum ac postea martyrum: nempe à parvis initijs in innumeram excrevit multitudinem.

A parvis initijs fit Ecclesia magna.

II. *Lætantur adspicientes*] Dei beneficentia est celebranda, gratoq; jubilo deprædicanda, ut suo exemplo pij hinc inde carmina εὐχαριστικὰ Deo concinentes benè præeunt in V. T. Moses Exod. 15. Deut. 32. Debora & Barak Jud. 5. Hanna 1. Sam. 2, David cùm hinc inde in psalterio, tum

Dei boni celebretur.

2. Sam. 22. Tobias c. 13. Judith cap. 16. socij Danielis in c. 3. adjectionibus ad Dan. in N. T. Maria & Zacharias Luc. 1.

Deo soli confidendum.

III. Septem isti oculi] In periculis omnium optimè ac firmissimè solatur Dei providentia Es. 43, 1. qui suis est murus igneus sup. c. 2, 8. fluvius Es. 33, 21. propugnaculum, arx, petra Psal. 18, 3. quocirca, quisquis cum malis conflictaris, devolve super Jehovam viam tuam, ipsiq; confidito, & sic is faciet Psal. 37, 5. & 55, 23. Prov. 16, 1. Pet. 5, 7. vis quem imiteris? Davidem tibi propone, Psal. 62, & cum illo Deum sic alloquere: tu vides Ps. 10, 14.

Deus omnia cernit.

IV. Peragrantes terram] Inserviat hoc (quod oculi Jehovæ dicantur peragrare terram) ad piorum consolationem, ne desperent: & ad impiorum instructionem, ne se impunè ita nequiter vitam traducere sperent, quia in omni loco sunt oculi Jehovæ speculantes bonos & malos Prov. 15, 3. illos in bonum, hos in malum, illos muniendo, hos puniendo: illos præmijs ornando, hos pœnis onerando: illos eripiendo, hos deripiendo: illos salvando, hos damnando.

Ex vers. 11.]

In pietate proficias.

Amplius dixi] In via cognitionis Dei ejusq; voluntatis semper est progrediendum Ephes. 3, 18. 19. Apoc. 2, 7. 10. 19. 25. & 3, 3. Quemadmodum enim Luna semper crescit aut decrescit, & diu in eadem facie consistere nescit, sic Christianus in suo cursu aut progreditur, aut regreditur, nec diu in eodem statu permanere rectè creditur.

Ex vers. 12.]

Unctio Spiritus S.

Duæ baccæ olivarum] Deus multa, imò infinita Sp. S. dona habet, quibus velut oleo mystico pios perfundit, id quod

quod olim in unctione regum, sacerdotum ac prophetarum, quæ in ipsorum inauguratione adhibebatur, fuit significatum, eos jam hoc ipso ritu idoneos à Deo ad hoc munus, cui præficiebantur, effici, dùm extus oleo & intus Sp. S. donis inungerentur. Confer Psal. 23, 5. & 45, 8. Es. 11, 2. 1. Cor. 12, 4. 8. 9. 11. 10. exempla unctionis in V. T. usitatæ passim sunt obvia; Vide tamen, si libet, hæc loca 1. Sam. 10, 1. & 16, 1. 12. 13. Exod. 29, 7. & 30, 30. 1. Reg. 19, 16.

Ex vers. 13.]

Quia planè cum quinto suprà explicato convenit, peculiari declaratione hîc non indiget.

Ex vers. 14.]

1. Hi sunt duo filij olei] Quia h. l. fit mentio בְּנֵי הַיִּצְהָר, filiorum olei, & notus est ille hebraismus, quo sæpè בֵּן in utroq; numero (sicut & בַּר in lingua Syriacâ, ut notat Tremellius in acta Apostolorum c. 13, v. 8.) significat, præditum esse ab alio, ut Deut. 3, 18. בְּנֵי חַיִל, id est, præditi robore, & Jud. 21, 10. 1. Sam. 14, 52. בְּנֵי שַׁחַץ filij superbiæ, id est, præditi superbiâ Job. 41, 25. בֶּן־פְּרָת filius fœcundæ, id est, fertilitate præditus Gen. 49, 22. בֶּן־שֶׁמֶן filius olei, hoc est, oleo præditus Es. 5, 1. discimus, & dona Spiritus S. esse merè gratuita, dariq; hominibus, non ut mercenarijs aut servis, sed ut filijs: & esse fontis inexhausti divinæ gratiæ quosdam velut rivulos, qui tamen non exarescunt, quamdiu illi, quibus scaturiunt, filij esse non desinunt: & tandem, quia oleo solebant inungi athletæ, ut tantò essent fortiores in pugnâ, sciamus illa Spiritus S. dona esse velut talenta, quibus benè utamur, velut talentis concreditis Matth. 25. & velut arma, quibus muniamur in pugnâ, quæ nobis cum diabolo depuganda est Eph. 6, 12.

בֵּן *cum substantivo constructum significat præditum esse.*

Dona Spiritus S. gratuita.

obtingunt filijs

ut bene ijs utantur.

Omne bonum est à Deo.

II. *Permanent apud Dominum totius terræ*] Omne bonum donum & perfectum est à Deo patre luminum Jacobi 1, 17. hinc igitur qui indiget, id, quo caret, petat Luc. 11, 13. Matth. 7, 7. Etiam illud notatur his verbis ultimis, Ecclesiæ lucem nunquam exstingui, cum eam servet Dominus Esa. 10, 17. Ps. 27, 1.

CAPUT QUINTUM.

Argumentum.

Summa.

IN visionibus, Zachariæ divinitus oblatis, agitur potissimùm de consilijs Dei, quibus utatur in administratione suæ providentiæ, quâ curat Ecclesiam, idq; tam in genere, & ubique, ostendendo, quàm sollicitè, quibusque

Cap. 1. 2.

medijs ac ministris id præstet c. 1. eam liberando, ejusque hostes perdendo c. 2. quàm in specie, & in ipsa terra sancta seu Judæa, ubi peculiariter suam asserit gloriam, duobus potissimùm modis, nempe beneficijs, quibus suos pios clementer afficit, tum eorum caput, c. 3. tum totum corpus seu Ecclesiam c. 4. ac Judicijs, quibus impios vehementer conficit, hoc capite quinto. Declaratur enim hic, qui fiat, quum

3. 4. 5.

Objectio, non apparere promissa.

Deus veracissimè sæpè promiserit per Haggæum ac Zachariam, fore, ut omnibus remotis obstaculis, quæ à Diabolo ac hostibus externis obijciebantur, templum & urbs sancta restaurentur, ibiq; cultus Dei conservetur usq; ad tempus correctionis, quando Messias reipsa præstiturus erat, quæ jam sub typorum involucro adumbrarentur, hactenus tamen illa promissa divina planè non appareant, imò hostibus Ecclesiæ impijsque illis Judæis, qui in Babylonia remanserant, longè feliciùs omnia, quàm hisce pijs Judæis reducibus.

bus sub manus succedant, videlicet quod fuerit internum quoddam ab his ipsis objectum impedimentum, multorum scilicet inter eos degentium impietas, cui tamen Deus jam tandem etiam sit allaturus remedium, cùm eos, qui planè sunt immorigeri, præfracti & obstinati, sit ex Ecclesia ejecturus. Atq; ita superioribus duobus Capitibus jam divinitus constitutâ Ecclesiâ, nunc porrò hîc docemur, quid Deus à Civibus ejus requirat, nempè ut sanctè justèque vivant, alioquin futurum, ut scelerum ipsorum acerrimus sit vindex, quà de causâ propheta hîc primùm justitiam Dei asserit, docens hunc non potuisse non punire Judæorum improborum scelera, quibus illi maledictionem in lege denunciatam provocarint. Deinde ostendit instare tempus gratiæ, quo impietati frenum injiciat, eamq; à reliquo Ecclesiæ corpore segreget, ac ad eos ableget, qui in Babylone liberationis oblatæ beneficium superbè contempserant, quemadmodum satis benè hæc edisserunt h. l. Gualtherus & Junius, cum alij plerique interpretes longiùs à vero sensu abeant, ut Ribera, qui de illa Judæorum excæcatione hîc agi existimat, quâ sint Babylone aliquando Antiochum recepturi. & Wigandus, qui cum multis alijs id significari arbitratur, fore ut propter iniqua judicia ac falsam doctrinam regnum Babyloniæ evertatur, quorum illa visione voluminis, hæc Ephæ denotetur. Sed videamus potius capitis ἀνάλυσιν ac cohærentiam, quàm ut pluribus ostendamus, aliorum non posse subsistere sententiam.

R. impietas impedit.

Ut autem tres hîc proponuntur visiones, ita etiam caput ipsum satis benè in tres partes potest dividi. In earum I. habetur sub typo voluminis volantis v. 1. inq; longitudinem se explicantis v. 2. decreta ac jam scripta in improbos male-

Analysis. Partes tres to-

2. maledictio v. 3. ac hujus vis ac potentia v. 4. in II. sub imagine progredientis vers. 5. Ephæ vers. 6. ac mulieris illi injectæ, massâq; plumbi suppressæ, improbitatis, quæ maledictionem promeruit, & sententiæ in hanc latæ descriptio

3. v. 7. & 8. in III. continetur sub specie duarum mulierum Epham istam celeriter deferentium v. 9. & 10. sententiæ illius divinitus procuratæ executio v. 11.

PARS PRIMA.

Vers. 1.] Præcedentes promissiones nomine Dei factas quando audiebant Judæi, cum Gideone dicere poterant: Si Jehova ita est nobiscum, quare obvenit nobis totum hoc? Jud. 6, v. 13. hunc igitur scrupulum nunc it exemtum Deus, quando hâc septimâ visione ostendit, qui factum, ut hactenus earum complementum nondum apparuerit, nempe quod ipsi nefariè contra legis divinæ utramq; tabulam peccassent. Nam *deinde rursus* post præcedentem visionem, in quâ hærebam meditabundus, *cum sustulissem oculos meos, vidi*, cœlitus mihi factâ revelatione, *quod ecce volumen* coram me *volaret*, liber formidabilis inusitatæ & antea inauditæ magnitudinis celerrimè proferretur, eratq; מְגִלָּה, id est, talis membrana seu charta magna, quæ aliàs, cum non legitur, circa lignum more veterum convolvebatur, eademq; quando erat legenda, revolvebatur, unde apud hebræos à גָּלַל, id est, volvit, ut volumen apud latinos à volvendo dicitur. Ex quâ observatione intelliges hæc duo loca Ezech. 2, 10. Luc. 4, 17. 29. Aquila & Theodotio satis eleganter græcè vertunt διφθέρα, siquidem hæc est pellis seu membrana, in quâ fabulantur veteres Jovem omnium

Obj.

R.

Volumen volans.

מְגִלָּה

volumen.

Διφθέρα.

omnium hominum peccata consignare (vide proverbium, Antiquiora diphtherâ loqueris) & propterea hoc loco magnum volumen visitur, quia multas maledictiones in lege Deut. 27. & 28. scriptas continebat, idq; volare cernitur, tum quod maledictio esset citò adventura, tum quod ad multos redundatura, &, ut notat Chrysostomus, volatus velocissimum ultionis incursum significat, & ex cœlo (quippe quò oculos erigebat propheta) cum demittitur, ex superno tribunali ferri sententiam animadvertimus. Is qui autor est versionis græcæ, quæ vulgò LXX. attribuitur, hîc more suo sine punctis cùm legit, pro מְגַלָּה vidit מַגָּל quando vertit, falx volans, quod tantùm indicasse, est refutasse vel contrà nitentem, eumq; errorem excusantem Riberam. *LXX. errant.*

Vers. 2.] Hæc est ipsa visio: sequitur exhortatio, quâ angelus monet prophetam, ut diligenter eam contempletur. *Tum enim dixit mihi* angelus ille, qui loquebatur in me, meq; fideliter erudiebat, *quid tu vides?* an etiam animadvertis, quid tibi offeratur? Ego verò respondi *ac dixi, video volumen volans*, idq; satis grande, videlicet *longitudine viginti cubitorum, & latitudine decem cubitorum*, in quo innumera peccata ac infinita maledictio continetur, ac tam ampla forma ad majestatem Dei significandam exhibetur, quemadmodum vulgò videmus fieri, ut magna sint regia aut cæsarea diplomata, edictaq; ab illis publicata latissimis amplissimisq; membranis proponantur & affigantur. *Longitudo & latitudo voluminis.*

Vers. 3.] Hæc est visi enarratio: subijcitur ejus explicatio, quæ sic habet: *Tum dixit mihi* ille angelus consiliorum Dei benè conscius, utpote etiam Deus, hoc volumen magnum nil aliud est, nisi *hæc execratio* ac maledictio multiplex,

plex, quam in lege olim Deus est comminatus, Levit. 26. Deut. 27. & 28. ubi ex justitia omnes illos maledictos ac pœnâ dignos pronunciat, qui Dei iram adversus se provocant, legem nefariè transgredientes, eaq; , quia peccata multa ac magna in totâ hac terrâ etiam inter sanctum Dei populum regnant, *processura* ac pervasura est omnes *in superficie* hujus *totius terræ*, non quidem universæ, sed Israeliticæ, siquidem in hac tantùm in nomine veri Dei jurabatur, ut etiam hîc verum illud esse videas, aliquid mali propter vicinum malum, quoniam verè

πόλλακι κὴν σύμπασα πόλις κακὸν ἀνδρὸς ἐπαυρεῖ.

Israelitæ ut gentes se peccasse negant.

Jurène verò an injuriâ hæc sententia à Deo feratur, hinc sciri potest: *quia, quisquis furatur ex hoc*, scilicet Dei populo, *ut illa* reliqua improborum in terra ac regione gentium degens colluvies, *se innocentem asserit, & quisquis jurat* falsò *ex hoc* populo, *ut illa* impiorum turba profana, *se innocentem asserit*, factumq; suum pessimum excusat, & æquè ac aliæ gentes, impudens est in flagitio suo defendendo, haud secus ac si nunquam Deum novisset, & dum in criminibus omniq; injustitiâ vivit, nihilominus justitiæ alicujus specie innocentem se esse confirmat, qui cum in secundam tum in primam decalogi tabulam reus est, (id quod Synecdochicè hisce duabus peccatorum speciebus denotatur) non sum operatus malum, more alicujus scorti frontis perfrictæ Prov. 30, 20. impudentissimè audet asserere.

Deus id evincit.

Vers. 4.] Verumenimverò, quamdiu hi pessimi meâ abutentur clementiâ? cùm putent, sua flagitia mihi planè esse incognita, age ostendam, falsos eos hîc esse, efficiam, ut quod invisione cognovisti, illi reipsa experiantur. Existiment sanè meas comminationes esse otiosas ac prorsus deli-

delitescere, sit res ipsa testis, *Ego (dictum* hoc est *Jehovæ* Domini *exercituum)* hanc maledictionem, quæ hactenus visa non est, in lucem *profero*, & velut exercitum in campum produco, *ut invadat domum furis, & domum jurantis per nomen meum falsò*, quæ duo vitia, quia plerumq; conjuncta sunt, (siquidem qui fraudulentus, manusq; tagaces, animumq; habendi cupiditate devinctum habet, etiam libenter & crebrò per nomen Dei pejerat Prov. 30, 8. Sirac. 27, 2.) hîc quoq; conjunctim reprehenduntur. Et revera fermè nullum peccatum est, quod non ad hæc possit referri, Non autem ita veniet maledictio, ut citò transeat, sed diu eos fures ac perjuros affliget, quandoquidem *commorans consumet eam* prorsus, atq; ita, ut etiam *& ligna & lapides ejus* conficiat, quomodo excidium horrendum & totale indicatur, quo totæ ædes ita perduntur, ut ne quidem supersint ulla vestigia, quo, quicunq; tantos viderit ruinas, admoneatur; quantum Deus peccata oderit, quàmq; severè puniat corrigi nescios, nempe non secus, quàm solet fieri in hoc mundo, si quis crimen læsæ majestatis commiserit, ut domus ejus diruatur, statuaq; ejus loco erigatur, cui devoti nomen & noxa inscripta extent ad posteros. Confer Levit. 26, 32. Deut. 28, 30. Matth. 24, 2. Luc. 19, 44. Atq; ita tria potissimum hoc versu continentur 1. quis eam pœnam seu maledictionem sit executurus, 2. contra quos, 3. quantam.

Furta & perjuria conjuncta.

Horrendum excidium,

ut quod decernitur reo criminis læsæ majestatis.

LOCI COMMUNES.

Ex vers. 1.]

1. *Volumen*] Semper sit illud nobis in recenti memoria, omnia nostra dicta & facta conscribi in libris Dei, hoc

Omnia nostra no-

tantur in libris Dei.

est, Deum omnia æquè nosse, ac si in libro singula haberet accuratissimè consignata: illi autem in extremo judicio aperientur, & quisquis tum non fuerit scriptus in libro vitæ Psal. 69, *29.* Phil. 4, 3. Apoc. 3, 5. & *17*, 8. & *20*, *12. 15.* & *22*, *16*, ille juxta dicta ac facta sua ex illis libris judicabitur Dan. 7, 9. *10.* Apoc. *20*, *12.* Matth. *12*, 37. quoniam ejus nomen non est scriptum in cœlis Luc. *10*, *20.* sed in terrâ fuit exaratum, quippe cui adhæsit Jer. *17*, 13. Joh. 8, 6.

Dei judicia citò expediuntur.

II. Volabat] Cum omnia alia Dei verba ac mandata velociter currunt ac citò expediuntur Psal. *33*, 9. & *148*, 5. & *147*, *15.* tum inprimis maledictio ac vindicta, quam immittit peccatoribus cum in hac vita Deut. *27*, *15.* 16. & *28*, *15.* 16. tum post eam in extremo judicio, ubi dictum factum lata sententia executioni mandabitur Matth. 25, *41*, *46.*

Ex vers. 2.]

Dei judicia diligenter cõsideranda.

I. Quid tu vides ?] Dei judicia non sunt negligenter aspicienda Habac. *1*, 5. 6. Amos 4, 6. 7. sed opus Jehovæ diligenter intuendum, ac factum manuum ejus considerandum Es. 5, *12.* qui Psal. 46, 9. per prophetam regium ipse dicit, agite videte opera Jehovæ, &otiosos in foro hujus mundi stantes graviter objurgat Matth. 20, 6. Sic igitur alij alios & nos ipsos semper hortemur cum quæcunq; sunt supra, infra, intra, circa nos adspiciamus, quid tu vides?

Peccatorum & pœnarum longitudo & latitudo.

II. Longitudo & latitudo] In peccatis, & quæ illa sequuntur, supplicijs meritò consideranda est longitudo & latitudo. In ijs enim est longitudo, cum quis diu in illis, non actâ pœnitentiâ, persistit & vocatus à Deo animum suum obdurat: in his, cum supplicia secuturi seculi dicuntur & sunt æterna. In illis item est latitudo, quando ad plures extenduntur: in his, quando multos

multos itidem concernunt, quoniam alia flagitia & supplicia sunt privata, alia publica. quæ tamen prolixius persequi non est hujus loci. Nos caveamus, ne multis nos polluamus peccatis, ne nobis ipsis cumulemus pœnas Roman. 2, 5.

Ex versu 3.]

De justitia.

I. Hæc execratio processura] Deus ex justitia malefactoribus obstinatis cogitur maledicere sup. v. 1. L. C. 2. sicut testantur exempla Gen. 3, 14. 17. & 4, 11. Thren. 2, 7. Matth. 23. & 11, 21.

Peccatum non est excusandũ.

II. Quisquis furatur, se innocentem asserit] Illud demùm est peccatum maximum, quando quis Diaboli more illud it excusatum, aut se pro innocente venditat Es. 3, 9. Prov. 30, 20. nos potius cum peccavimus, confiteamur Deo, qui tum remittet 1. Johan. 1, 8. 9. secuti exemplum Davidis Ps. 32, 3. 5. 6.

Referũtur ad furtum peccata 2. tabulæ.

III. Quisquis furatur & quisquis jurat] Ad furtum pleraque secundæ decalogi tabulæ peccata referri possunt, sicut ad perjurium illa, quæ contra primam tabulam legis committuntur. Etenim illa Charitatem proximò debitam unicè inculcat, hæc cultum Deo debitum præcipuè flagitat. Jam ergò qui aliquod proximo ex legis mandato debitum denegat officium, furatur, ut qui parentibus aut majoribus honorem non exhibet: qui alij vel vitam aufert membrum mutilat, vel damnum dat in corpore, atque ita valetudinem eripit: qui virgines pudicitiæ dono spoliat, aut fidem conjugalem fallit, qui sibi ipsi suum non servat vas purum: qui alicujus famam lædit, aut aliàs pravis cupiditatibus animum habet devinctum. Quisquis verò cultum, quem Deo se exhibiturum juravit in baptismo, non præstat, perjurij notam

ad perjurium 1.

semper incurrit. Qui volumus igitur hîc denunciatam vitare pœnam, caveamus etiam admittere eandem hîc exprobratam culpam, memores illius, quod ad Martyres scribit Tertullianus: Vocati sumus ad hanc militiam Dei vivi, jam tunc cùm in sacramenti verba respondimus. confer. Rom. 6, 3. 4.

Ex vers. 4]

Malum pœnæ est à Deo.

I. Hanc profero] Deus ipse propter peccata omnis generis mala pœnæ immittit, atque ita revera nullũ malum est in civitate, quod non fecerit Dominus, Amos 3, 6. Es. 45, 7. Eccl. 7. 14. Mich. 1, 12. Jer. 32, 42.

Corrigi nescij perduntur.

II. Ut pervadat & consumat] Ex pœnæ gravitate discamus judicare de peccati, quo illa provocatur, fœditate. nam Jehova justus non facit iniquitatem Sophon. 3, 5. 6. peccatores verò præfractos & corrigi nescios tandem perdit Ps. 24, 22. & 11, 5. 6. 7. exemplum est in Pharaone, Achab, Pharisæis, & hominibus antidiluvianis ac Sodomitis.

PARS SECUNDA.

Vers. 5] Ne verò nimis consternarentur, quotquod adhuc erant pietatis amantes, cùm audiunt, Deum tam severum esse Judicem, nunc porrò prophetæ, & illis, in visionibus sequentibus duabus declaratur, quàm clemens pater idem sit, quando docetur, Deum cernere scelera, quantumvis latentia, & nosse, à quibus illa perpetrentur, & proinde, ne omnia perrumpant ac pervadant, futurum, ut ab eo compescantur, modusq; ac locus designetur, quomodo cùm illis agatur, & ibi hæc liberiùs grassentur, siquidem omnes improbi ex Judæis, providentiâ Dei in unum acervum comportabuntur, & gravissimo ineluctabiliq; è-

Deus malos compescit.

jus

jus decreto obsignabuntur. *Postea progressus angelus, qui loquebatur in me,* tanquam ad videndum, ut ita Propheta ipse etiam excitaretur & admoneretur, magnum quid esse, ob quod cognoscendum ipse angelus, tam sollicitè laboraret, *dixit mihi, attolle jam,* superiori viso quos dejecisti præ mœstitia, *oculos tuos, & vide, quid* sit *hoc,* quod procedit.

Vers. 6.] *Et dicenti mihi,* cum nondum satis benè oculis id usurparem, aut mentem ad cogitandum de tanto viso instituerem, *quid est? dixit* ille angelus, *est Epha, quæ progreditur,* genus mensuræ aridorum apud hebræos, capiens decem Homer. Exod. 16, 37. Levit. 5, 11. & 19, 36. Deut. 25, 14. 1. Sam. 17, 17. Ruth. 2, 17. Amos 8, 5. & tres seas, quarum singulæ capiebant sex cabos, cabus quatuor logos, logus sex, communia ova gallinacea, ut annotat Tremellius in Gen. 18, 6. & 1. Reg. 4, 22. & idem in 1. Reg. 7, 26. scribit, quod bathus mensura liquidorum ejusdem cum Epha capacitatis sit. Hoc vero in loco impropriè accepta illa vox tantum id denotat, hanc esse mensuram iniquitatis, quam ut implerent mali Judæi, pati & permittere voluerit Dominus, certumq; huncillorum impietati præfigere terminum, id quod sequentibus verbis apertiùs declarat angelus, quando *dixit,* hic *est oculus ipsorum in totâ hac terrâ,* hæc est cognitio illa verissima, quam Deus habet in Ecclesiâ suâ de toro sceleratorum corpore, quemadmodum aliàs apud nostrum prophetam per oculum vel oculos Dei denotatur providentia rerumq; administratio sup. 3, 9. & 4, 10. & infra 9, 1. Et quia hunc locum nervosè explicat Gualtherus, placet huc ejus verba transcribere. Potest, inquit, ex his sensus talis colligi; Grassata est quidem hucusq; impietas in terrâ, quæ mihi (nam in persona Dei hæc dicuntur) consecrata esse debe-

Epha.

quid h. l. notet.

Oculus Dei notat providentiam. Explicatio Gualtheri.

debebat, & ideo infelices fuistis ac miseri. At non me inscio hoc factum est, cujus oculi totum orbem perlustrant & occultissima quæq; inspiciunt. Et nunc tempus instat, ut impietas intra fines suos conclusa à vobis transferatur: nec deerunt mihi ministri, qui illam in Babylonis regionem deferant, ut maledictio & vindicta in eos redundet, qui suam crudelitatem in vos immodicè nimis exercuerunt, vel vobis in meo opere laborantibus, in Babylone suo otio & securitati consulunt.

Vers. 7. Sic autem in hac visione Deus agit cum propheta, ut primùm è longinquo cernat simul omnia, deinde verò specie propius appropinquante discernat singula ac tres illius partes, quæ v. 7. ponuntur & v. 8. exponuntur, ut jam sequitur: *Ecce* autem *massa plumbi afferebatur, &* cum *eâ mulier una, quæ sedit in medio illius Ephæ*, ubi massa plumbi typus firmitatis & immutabilitatis in decreto divino adversus Judæos est, ut sit quasi repagulum firmissimum, quod improborum impetus ac furores firmiter coerceat: mulier autem, ut aliàs sæpè in scriptura (vide Amos 5, 2. Esa. 32, 9. vide Exerc. biblic. Sic Ecclesia sæpè confertur cum muliere ib' in loco Jer. 31. Ecclesia piorum Apoc. 12, impiorum Apoc. 17, 3.) corpus ac colluviem impiorum Judæorum figurat & h. l. præterea id notat, quando improbitas mulieris typo proponitur, quod primùm ut mulieris malæ ingenium est valdè subdolum ac multorum malorum causa Prov. 2, 16. 17. & 5, 3. 4. & 7, 5. 6. 7. & 9, 13. 14. & 22, 14. Eccles. 7, 27. & tamen placet suis amatoribus: ita nequitia subdolè se in mentes hominum insinuare novit valdeq; abblanditur, quantumvis magnas pœnas attrahat: deinde ut mulier natura est vas infirmum 1. Pet. 3. 7. & voluptati plerumq; magis dedita,

Massa plumbi.

Mulier politica.

Comparatio mulieris ac peccati.

1.

2.

ta, quàm vir, unde & ipsa primum seducta est 2. Cor. 11, 3. Gen. 3, 6. 1. Tim. 2, 14. ita omne peccatum vel infirmitate humanâ prolabente, vel voluptate trahente & alliciente committitur.

Vers. 8.] Atq; ita ipse angelus explicat, quando *dixit, hæc* mulier insidens Ephæ est *ipsa improbitas*, quæ hactenus quidem permissu Dei liberè & passim vagata est, at nunc completo iniquitatis curriculo certis terminis inclusa visitur, *quia projecit eam* Deus, *in medium Ephæ* depressit & incurvavit, ne deinceps caput impunè exsereret, ut hactenus factum erat. quam ob causam etiam in visione hac primùm ita ferebatur in Epha, ut pars corporis superior unà cum capite exstaret ac videri cognosciq; ipsa posset vers. 7. nunc autem ita illâ Ephà conditur ac plumbo super imposito obtegitur, ut tota intus lateat, quæ antea ex parte patebat, nam Deus *projecit massam illam plumbi*, quæ sigillatim ac seorsim antea ferebatur *in os ipsius* Ephæ super fœminam illam jam intus recluſam, ut servaretur velut firmo carcere ligata, donec judicium, quod in sequentibus adumbratur, efficeretur.

Improbitas in Epham conjecta.

plumbo superinjecto gravatur.

LOCI COMMUNES.

Ex vers. 5.]

I. Progressus angelus.] Si ipsi sancti angeli revera cupiunt introspicere in mysteria Dei, eaq; cognoscere 1. Pet. 1, 12. quomodo etiam ipsis in Ecclesiam collata multis modis varia gratia & sapientia Dei nota fit in supercœlestibus Eph. 3, 10. & si h. l. filius Dei, qui tamen est omniscius, in exemplum, quod imitemur, inquirere videtur, quidni nos

Dei mysteria sedulò cognoscenda.

nos cum Mose accedamus, visuri Dei visiones magnas? Exod. 3, 3.

Noster stupor.

II. *Attolle oculos & vide*] Verum, proh dolor, post lapsum is est noster stupor, ut, nisi à Deo moneamur, moveamur, excitemurq; , ejus opera, quantumvis ob oculos versantia, non admodum attendamus. vide sup. v. 1. in L. C. c. 4. ut meritò sit à præcone verbi illud psalmistæ inculcandum quotidie, Agite, videte opera Jehovæ Psal. 46, 9. Venite & videte opera Dei, reverendus est actione erga filios hominum Psal. 66, 5. 6. nam magna sunt opera Jehovæ, exposita omnibus, qui delectantur illis Psal. 111, 2. cui mandato exadverso respondebit pius, celebro te, ô Deus, & quod suspiciendis operibus tuis in admirationem traducor, celebro mirabilia opera tua, quàm maximè novit animus meus Psal. 139, 14. Contrà impij hujus mundi delicijs immersi opus Jehovæ non intuentur, & factum manuum ejus non considerant Es. 5, 12.

Ex vers. 6.]

Malos Deus tandem coercet.

I. *Est Epha*] Deus longanimis diu permittit homines ire in vijs suis Act. 14, 16. ad tempora ignorantiæ connivens Act. 17, 30. tandem vero cùm mensuram iniquitatis suæ impleverunt Gen. 15, 16. nec pœnitentiam egerunt, pœnis gravissimis eos compescit, certisq; limitibus nequitiam circumscribit 1. Sam. 23, 26. Gen. 19, 11. 2. Reg. 6, 18. ac plagis tandem æquipollentibus afficit Psal. 125, 3. Matth. 23, 38. Luc. 21, 51. Johan. 18, 8. Apoc. 18, 7. vide etiam in Amos 1, 3. Joel. 3, 13. Ut enim Deus ipsius diaboli furoribus metam ponit Job. 1, 12. & 2, 6. Matth. 8, 26. 31. ita etiam diaboli filios, hoc est, malos homines inhibere facilè potest Gen. 31, 24. 29. & 33, 10. Unusquisq; autem videat, ne longanimitatem

tatem Dei contemnens mensuram suæ iniquitatis absolvat, & æternùm pereat cum divite epulone Luc. 16, 25. vide initium capit 13. Luc.

II. Hic est oculus ipsorum] Deus videt omnem iniquitatem, & contra eos, qui mali sunt, ponit suos oculos Prov. 15, 3. Psal. 34, 17. Heb. 4, 13. Jer. 21, 10. Sir. 23, 25. vide in Amos 9, 4. 8. & sup. c. 4, v. 10. *Dei oculus in malum.*

Ex vers. 7.]

I. Massam plumbi, mulierem & Epham] Hic est modus, quo Deus in hominibus illuminandis utitur, ut à parvis initijs ad majora progrediatur: sicut typus aliquis hujus rei extat Marc. 8, 24. 25. ubi Lutherus valdè nervosè in margine, Also ist auch vnser anfang Christum zuerkennen schwach/ wird aber immer stercker vnd gewisser/ & revera totum iter justorum simile est luci splendidæ, pergenti lucere, adeò ut eorum quisq; sit stabilis die Prov. 4, 18. *Modus illuminandi.*

II. Massa plumbi] Deorum soccos esse laneos, sed manus plumbeas, hoc est, tardè quidem procedere illos ad iram, sed longas moras gravitate pœnæ compensare, scive runt & dixerunt etiam Ethnici: idem verò h. l. in visione indicatur, ubi plumbi massa nil aliud notat, quàm manum Dei fortem, quæ tandem impiorum conatus cohibet ac reprimit, si enim Davidi fuit manus Dei gravis Psal. 32, 4. & 38, 3. quantò gravior erit illis, quos in irâ inveniet Ps. 21, 9. *Dei manus plumbea.*

Ex vers. 8.]

Quum proïceret eam in medium Ephæ] Deus improbitatem vincit ac concludit, ne impunè pro libitu grassetur Apoc. 9, 4. & 20, 2. Nisi enim Jehova exercituum reliquos nobis faceret superstites, utcunq; paucos, velut Sodoma & Gomorrha omnes absumpti Es. 10, 9. Rom. 9, 29. *Deus improbitati ponit metas.*

Thren. 3, 22. Psal. 125, 3. vide Lutheri biblia Rom. 9, 27. 28. & adde ea, quæ ibi habet in margine.

PARS TERTIA.

Summa hujus visionis.

Vers. 9.] Tertia visio continet sententiæ à Deo latæ executionem, in quâ duo: prius, impietatis evictos ac in peccatis suis constrictos extra Ecclesiam deportari: posterius, eosdem ex Judæa in Babyloniam relegari, hoc est, implicatum iri eo judicio, quod manebat cùm crudeles & profanos Babylonios, tùm infideles & malos Judæos, qui in Babylonia remanserant. *Tum* enim *attollens oculos meos vidi, quod ecce, duæ mulieres,* in se infirmiora voluntatis divinæ exequendæ instrumenta, *prodirent habentes ventum in alis suis,* ita celeriter ac velociter progrediebantur, & *illis* erant *alæ similes alis ciconiæ,* quæ in excelso nidificat & volat, supremumq; aera petit Job. 39, 16. Psal. 104, 17. Jerem. 8, 7. quoniam & hæipsæ mulieres *efferebant illam Ephan,* quæ priùs à paucis videbatur, *inter terram & cœlum* palàm, publica sententia & executione illius (sicut quæ in aerem efferuntur, oculis omnium exponuntur,) ut ita ab omnibus agnoscatur.

Cur h. l. duæ mulieres conjungãtur.

Cur h. l. duæ conjungantur mulieres, non una omnium interpretum est sententia: mihi se maximè probat illa, quæ est Junij; nempe quia ferè cum muliere comparatur Ecclesia, designari Ecclesiam duorum temporum citò à malis repurgatam, unam, quam Esdras ex Babylonia in Judæam missus Ecclesiam Judaicam constituit, & ab impijs, quibus commaculata erat, quàm celerrimè fieri potuit, repurgavit Esd. 9, & 10. inprimis v. 8. alteram, quando Nehemia adhibito sacerdotum consilio idem fecit Nehem. 13, qui duo

designãtur duæ reformationes. 1. 2.

refor-

reformatores in se satis erant imbecilles, & tamen Dei hanc sententiam forriter exoquebantur.

Vers. 10.] Sic igitur mali figurantur extra Ecclesiam ejecti: quorsum verò sunt deferendi, dicat quispiam? hoc porrò declaratur à Zacharia, quando scribit: *me autem dicente illi angelo, qui loquebatur in me, quò istæ mulieres* duæ *deferunt Ephan hanc* de sede sua amotam ac in aêra sublatam?

Vers. 11.] *Dixit* ac respondit ille *mihi*, relegat eam improbitatem, & quotquot illi obstinatè adhærent, extra Ecclesiam relegatione perpetuâ *ut ædificet sibi domum in terrâ Sinharis*, hoc est, ipsa Babylonia Gen. 10, 10. & 11, 5. *ubi stabiliatur & collocetur*, ut ibi diu resideat, imò perpetuò habitet ac commoretur, id quod domus ædificatione solet figurari Jer. 29, 5. 28. ut & nos proverbialiter dicimus, wir wollen da kein Hauß bawen/ hoc est, non diu ibi commorabimur, collocetur vero *in basi sua* seu sede illa, ubi jam antea fundati & radicati corruptissimos suos mores hauserunt, & ubi fratres ipsorum neglectis Dei beneficijs sedes suas fixerunt 1. Chron. 4, 22. 23.

Ædificare domum & diu commorari.

LOCI COMMUNES.

Ex vers. 9.]

Duæ mulieres] Deus etiam per res contemptas sua potest exequi judicia, sicut vel solæ plagæ Ægyptiorum demonstrant. confer librum Sapientiæ c. 15. 16. 17. & discas timere hujus regis manum, cui omnis creatura est exercitus, qui ranis Pharaonem, muribus Hattonem, pediculis Herodem &c. punire potuit. Quod verò hæ mulieres habent ventum

Deus per parva facit magna judicia.

ventum in alis, notat celeriter executioni mandari Dei decreta. vide sup. v. 1. L. C. 2.

Ex vers. 10]

Respice finem. *Quò deferunt Epham*] Semper est cogitandum, quis tandem finis futurus sit improbitatis 1. Pet. 4, 18. & quò mulieres hæ, hoc est, Dei ministri ac satellites. deferant hanc Epham & mensuram iniquitatis completam, nempe in tenebras exteriores Matth. 8, 12. & 13, 41. & 22, 13. nam extra Jerosolymam cœlestem erunt canes, & venefici, & scortatores, & homicidæ, & idololatræ, & quisquis amat ac committit mendacium Apoc. 22, 15. Precemur cum Davide, dum sumus in hac ad vitam via: Deus fortis, vide, an ego ingrediar viâ molestâ tibi, quod tamen si fiat, tu pro tua clementia reduc me ex erroris diverticulo, & deduc me viâ æternâ Psal. 139, 23, 24. neq; in æternum me à facie tua abijcias Psal. 51, 13.

Ex vers. 11.]

Mali à Deo abjiciuntur, שִׁנְעָר I. *In terra Sinharis ædificet sibi domum*] Quisquis se non gerit dignum civitate Dei, ex illâ meritò ejicitur, & in terram Schinharis, id est, dentium excussionis deportatur (שִׁנְעָר enim ex שֵׁן, id est, dens, & verba נָעַר, id est, excussit, componitur) hoc est, in infernum tandem detruditur, ubi est dentium stridor perpetuus Matth. 8, 12. & 13, 42. & 22, 13. nam Deus improborum dentes confringit Psal. 3, 8. dentes eorum in ore ipsorum destruit, molaresq; crudelium demolitur Psal. 58, 7. & olim, quando cornu pij elevatur honore in cœlis, improbus videns indignatur, dentibus suis frendens contabescit, at desiderium ejus perit Psal. 112, 9. confer Sapient. 5, v. 1, 2.

& dentes eorum cõfringuntur.

II. Col-

11. *Collocetur in basi sua*]
Tum verè impietas grassatur libera, passim omnia plena malis,
Quum penes injustos jus est, & jussa malorum sunt metuenda bonis Psal. 12, 9.

Malorum imperium.

CAPUT SEXTUM.

Argumentum.

Summa.

SIgnificatur typo quatuor curruum, ministerio sanctorum angelorum à Deo cùm in Judæa, tum etiam in ipsa Babylonia multos adhuc quidem hærentes, sed paulò post Jerosolymam venturos, seq; suaq; Deo consecraturos, in gratiam receptum ac salvatum iri. Deinde repetit promissionem de Messia, qui hoc templo ac politia durante venturus, omniaq; impleturus sit, quæ ibi hactenus erant adumbrata, regno ac sacerdotio suo fideliter perfungens. Tandem publicum ejus rei monumentum in Ecclesia statuit, adumbratum coronis suspensis, & completum prædicatione universali Evangelij, ubi etiam, quodnam fideles hujus regis cultores maneat præmium, indicatur. Scio alios longè aliter visionem hanc interpretari: sed quod scripturæ analogiæ, scopo prophetæ ac cohærentiæ hujus vaticinij quàm maximè congruit, id sequi mihi visum est sine cujusquam injuriâ. Ut tamen tantò melius conferri possint aliorum explicationes placet paucissimis illas nonnullas indicare. Wigandus ita habet: Iterum solatur Judæos, ne metu potentiæ vicinarum gentium ædificationem templi intermittant: nam Deum esse per angelos repressurum hostes, ac pacem largiturum. Verùm hi angeli

1.

2.

3.

Variæ explicationes.

1. *Wigandi.*

Quid hîc

desideretur.

2. Danæi.

3. Ribera.

4. Gualtheri. Refutantur.

1.

2.

3. Analysis I. Partes tres

1.

2. 3.

II. Partes duæ

1.

2.

III. Partes tres,

1. Visionis revelatio,

geli non dicuntur evertum ire, sed tranquillatum Babyloniam, & propheta de hostibus non tam in irâ domandis, quam ad regnum Christi ex gratia advocandis agit, & de spirituali pace prophetat. Eundem in modum ferè Danæus, quando scribit. Hæc sunt superiùs commemoratarum promissionum confirmatio de instaurandâ Dei Ecclesiâ, & de evertendis ejus hostibus, qui tum maximè erant Chaldæi ac Babylonij. Ribera ita sentit: De 4. monarchiarum successione vaticinatur, cui consentit in genere Gualtherus, regna, inquit, hujus mundi à Dei providentia pendere, illudq; tantùm fieri, quod ipse decrevit, docetur. Sed notandum, I. quod scriptura per currus regna non denotet, quæ apud Danielem per partes corporis ac animalia quatuor indicantur, II. quod hîc non declaretur, quid evenerit, eventurumq; sit in regnis politicis, sed potius spirituali illo Christi, qui propterea in fine capitis tam exactè describitur III. quod angeli interpretatio aliud innuat, de quibus omnibus in progressu pluribus. Nunc videamus capitis hujus partes: Eæ, si quis populariter illud velit explicare, esse possent tres: videlicet I. Visionis hujus narratio. II. ejus Interpretatio III. de Messia ejusq; officio ac regno insignis prædictio. Cum Junio aliquanto accuratius dispescueris in partes duas, ita ut in priori sit, quod Deus suis propositis perficiendis adhibet consilium usq; ad vers. 7. in posteriori, quo Deus Ecclesiam de reconciliatione, gratia & cura sua promissionibusq; in Christo implendis confirmet, singulare symbolum v. 7. & seqq. Nos partes faciemus tres: Earum I. erit visionis revelatio, in quâ offeruntur conjunctim quatuor. Currus, qui ex duobus montibus chalybeis progrediuntur v. 1. & separatim docetur, à quibus

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746456336/phys_0154
DFG

bus equis singuli currus trahantur, videlicet primus ab equis rufis, secundus à nigris v. 2. tertius ab albis, quartus à grandine guttatis v. 3. II. est visionis per angelum facta explicatio, ubi est & prophetæ quæstio v. 4. & angeli responsio v. 5. in quâ itidem eruditur Zacharias de curribus conjunctim v. 5. & de equis separatim v. 6. speciatim verò de illis, à quibus quartus currus trahebatur, ubi illorum studium, & Dei ad hos mandatum v. 7. & ad prophetam instituta hortatio v. 8. ad illos, ut quod volebant, efficerent: ad hunc, ut quid ab illis factum esset cùm in Judæa v. 7. tum in Babylonia v. 9. diligenter attenderet III. pars, est visionis applicatio, in qua declaratur effectus administrationis gratiosæ illius, quæ ex mandato Dei per angelos in Babylonia peracta est, respectu cùm deportatorum, & in exilio adhuc hærentium, qui religiosè munus Deo Israelis afferunt v. 10. & operâ prophetæ (quem Deus peculiari mandato hic instruxerat v. 9.) in usum publicum conferunt v. 11. tum reductorum & in Ecclesia viventium, quibus promissiones dantur de Messia in carnem venturo, Ecclesiam amplificaturo v. 12. in eadem regnaturo, eam redemturo ac pro ea intercessuro v. 13. quarum memoriale publicum in templo suspenditur v. 14. tum deniq; longinquorum seu adhuc extra Ecclesiam degentium, sed certò advocandorum, tempore N. T. v. 15.

2. explicatio.

3. applicatio.

PARS PRIMA.

Vers. 1.] Narraturus propheta visionem novam more suo, & ejus autoritatem, & suam ipsius alacritatem indicat, siquidem cœlitus revelatur, & studiosè à Zacharia observatur, qui ità scribit: *Deinde rursus* post visiones superiores pro-

propositas &expositas *attollens* ego in cœlũ *oculos meos* Deo mirabiliter revelãte *vidi, quod ecce* quatuor *currus* (militares puta, quales olim in usu in veteri militia Exod. 14, 17, 25. & 15, 4. Jud. 1, 19, & 4, 3. 2. Sam. 8, 4. & 10, 18. 1. Reg. 10, 26. Es. 21, 7. & 22, 6. Ezech. 23-24. Confer Joel. 2, 5. Mich. 5, 10. Nah. 2, 3. & 3, 2. Hag. 2, 22.) *prodibant è medio duorum montium, qui montes erant toti chalybei.* Variè quidem hæc à varijs explicantur: nobis vero se quàm maxime probant ea, quæ habet Wigandus (qui hactenus rectè sentit) per currus intelligi angelos, sed id malè, quod propterea eos venire putat, ut regna evertant; & Junius, cujus etiam verba hîc libet apponere: Sunt quatuor currus, acies vel comitatus angelorum ex mandato Dei diligentissimè omnes orbis partes obeuntium, & capessentium jussa illius, montes duo chalybei sunt signa potentissimæ & impervestigabilis Dei providentiæ, ex cujus abdito firmissima & ineluctabilia consilia prodeunt: equi celeritatem significant. Itaq; summa est: Deum quidem tum ad superiora, tum etiam ad cetera sua consilia præstanda & perficienda (quæ in recessu providentiæ ejus latent) abundare administris, per quos omnia cognoscat verissimè, & perficiat justissimè ac fidelissimè: quemadmodum Christo æterno Dei patris filio in eandem sententiam equi attributi sunt sup. 1, 8. quia Christus est sapientia & potentia Dei: Verum in hoc singulari negotio angelis placet uti, tanquam salutis bonorum administris, ad pios in mediâ Babylonia regendos, reconciliandos sibi & adducendos ad cultum suum, ne forte omnes, qui extra Judæam erant, excidisse à salute Dei putarentur, aut ipsi in desperationem conjicerentur. Hæc ille, quibus adde, quæ supra in c. 1. v. 8. dicta sunt, &, quod aliàs in scriptura

Currus militares.

Explicatio Wigandi & Junij reliquis præfertur.

Currus,

montes chalibei,

equi,

ptura ministerium angelorum currus nomine denotetur Psal. 18, 11. & 68, 18. confer Psal. 104, 3. 4. quomodo etiam Elias curru igneo & equis igneis in cœlum vectus rapitur 2. Reg. 6, 17. Jacobo item occurrunt exercitus angelorum, in quibus & currus Gen. 32, 1. 2. & montis nomine firmitas significetur Psal. 125, 1. 2. & 36, 7, Quod verò quatuor currus cernuntur, id denotatur, quod in omnes quatuor mundi plagas angeli egredi & circumquaq; pacem tueri, diabolo-que ac mundo debebant resistere. Quod autem Dn. Wigandus existimat, quando duorum montium h. l. fit mentio, denotari Jerosolymam, quippe in qua erant montes duo Sion & Morija, idq; eò magis, quod angeli sint Ecclesiæ (cujus typus & sedes quædam erat Jerosolyma) custodes, alienum esse videtur, tùm quod cœlitus facta sit hæc revelatio, tum quod non dicantur reliqua prodijsse Jerosolymâ nec ullo modo angeli debuerint ex Jerosolymâ egredi, sed potius eam ingredi, ut eam custodiant. Taceo quod hæc malè cum toto versu 5. & cum fine vers. 6. cohæreant, nec reliquis partibus visionis benè respondeant.

Angeli currus nomine denotantur.

Mons notat firmitatem.

Cur 4. currus?

Non intelliguntur hic duo mõtes, quæ Jerosolymis.

1.
2.
3.
4.

Vers. 2.] Quæ porrò de equis v. 2. & 3. subijciuntur maximam partem supra sunt explicata c. 1, 7. 8. Summa autem est, quod oculus Dei ac providentia celeriter cuncta pervadat in suis angelis, sicut equus est animal velocissimum, varijq; & diversi colores diversos providentiæ divinæ notant effectus, niger tristes, albus lætos, rufus sanguineos, varius mixtos, *in curru primo erant equi rufi, & in curru secundo equi nigri.*

Vers. 3.] *In curru* autem *tertio equi albi, & in curru quarto, equi grandine guttati & confirmati,* divinitus roborati, & ad singulare opus, quo accingebantur, virtute Dei exor-

אֲמָצִים

exornati. id enim potius notat h. l. participium hebræum paul אֲמָצִים quàm ſimpliciter robuſtos aut validos, id quod habitum ſignificat, & aliâs hebræi tales dicuntur גִּבּוֹרִים vel אַמִּוצִים, & proinde melius exprimes vim vocis hebrææ, ſi germanicè vertas, geſtercket/ als ſtercke Roſſe. Omne enim horum robur non tam in ipſis, quàm in Deo eſt, & talis per paul. notatur paſsio, quæ adhuc duret Pſal. 32, 1. נְשׂוּי כִסּוּי, & ſic hebræi differre dicunt נִשְׂגָּב & עֵץ שָׁתוּל, נִפְתָּח & קֶבֶר פָּתוּחַ, נִכְתָּב & סֵפֶר כָּתוּב בַּיִת בָּנוּי נִבְנָה & &c.

Significatio Paul Cal.

LOCI COMMUNES.

Ex verſ. 1.]

Inprovidentia Dei cognoſcendâ

I. Attolleos oculos meos vidi] In providentiæ divinæ negotio (ſicut in omnibus alijs rebus, quæ ſunt ſpiritus Dei 1. Cor. 2, 14.) cum naturâ ſimus cæci, nec quicquam de ea intelligamns, ſapientes carnaliter, ut Job. c. 28. multis probatur, & exemplis etiam piorum aliquandiu ex carnis imbecillitate fluctuantium patet Jòb. c. 21. 7. Aſaphi Pſal. 73, initio. Jeremiæ c. 12, v. 1. ſi velimus verum cognoſcere, non inhærendum carnis vel mundi cogitationibus, ſed in cœlum ſunt cum propheta attollendi oculi, & cum Aſapho in divinarum ſcripturarum penetrandum eſt ſacrarium Pſ. 73, v. 17. more Davidis Pſal. 37. Ibi enim mera ἀπαξία in mundo eſſe videbitur, cum nos ex carnis inſtinctu malis benè, & bonis malè eſſe judicabimus, & cum Claudiano ex lib. 1. in Ruffinum exclamabimus,

attollendi oculi.

Sæpè mihi dubiam traxit ſententia mentem
curarent ſuperi terras, an nullus ineſſet.

Rector

Rector, & incerto fluerent mortalia casu. Hic verò quando verbi divini prælucet facula, disparente caliginosâ mentis nostræ nubeculâ, liquidò apparebit, quod Dei providentia gubernet omnia Sap. 14, 3. quodq; sit tam sapiens, ut etiam de malo possit diligentibus se benefacere Rom. 8, 28. & summæ sit patientiæ, potentiæ, sapientiæ, misericordiæ ac justitiæ, quod mala aliquandiu toleret, ac ad bonos fines dirigat dum bonos eis in hac vita exercet & probat. vide Aug. lib. 1. de C. D. c. 8. & 9. adde historiam Josephi, Davidis, Jobi, passionis Christi.

II. Quatuor currus ex montibus chalybeis] Multi sunt sancti Angeli, qui Deo ministrant in omnibus mundi partibus Dan. 7, 11. Psal. 91. 11. Heb. 1, 14. illiq; sunt valdè fortes Psal. 103, 20. 2. Thess. 1, 7. id quod etiam patet ex operibus ab illis perfectis, rebusq; præclarè gestis, quateuus Ecclesiam & pios defenderunt 2. Reg. 6, 17. Psal. 34, 8. Dan. 8. 13. 20. sup. 1, 12. ac malos punierunt 2. Sam. 24, 15. 2. Reg. 19, 35. unde etiam dicuntur robustissimi Psal. 78, 25. Ex tota autem hac visione probatur, quod Deus ministerio angelorum tueatur Ecclesiam, qua de re sup. c. 1. pluribus, quemadmodum etiam de ijs, quæ ex v. 2. & 3. hîc de equis notari poterant, ibidem explicata sunt prolixiùs, præterquam quod in fine hujus quidam dicuntur *confirmati.* Hac enim occasione potest aliquid dici, tum de eo, quod angeli etiam sancti omnia à Deo habeant, ab eoq; dependeant, tam quod ad esse, quàm quod ad operari, inde sæpius dicuntur angeli Dei, angeli Domini, tùm potissimum de confirmatione sanctorum angelorum in bono concreato, ne deinceps labi queant. Non enim hoc habent proprietate naturæ Job. 4, 18. & 15, 15. sed ex singulari Dei beneficio ac gratia, quo-

Angeli multi & fortes.

Angeli omnia habēt à Deo,

& sancti sunt in bono confirmati, ex gratia.

quomodo jam propriè & peculiari ratione hunc nominis honorem obtinent, ut vocentur angeli sancti, angeli boni, angeli lucis. Dominus Chemnitius ita hoc probat I. quod chasma inter beatorum cælitum felicitatem, & damnatorum infernalium cruciatus sit confirmatum ita ut nemo possit vel inde huc, vel hinc illuc transire Luc. 16, 26. II. quod sint electi 1. Tim. 5, 21. hi autem finaliter excidere à salute nequeant Matth. 24, 24. ubi tamen notandum, aliter eligi angelos, hoc est, ex mera gratia in bono, in quo sunt creati, confirmari ad beatitudinis sempiternæ fruitionem, ut sit in vocabulo eligendi metalepsis, quatenus ex antecedente consequens intelligitur. & aliter eligi homines, videlicet in Christo, quatenus is pro illis Dei justitiæ satisfecit eorumq; peccata expiavit, certoq; salvabit finaliter in fide perseverantes, quæ in angelis sanctis nulla, unde hi etiam propriè electi in Christo dici nequeunt, ut vult Bucanus & alij nonnulli Calviniani, siquidem Christus est mediator hominum 1. Tim. 2, 5. & hi tantùm sunt cum Christo mortui Rom. 6, 8. & his tantùm Christi meritum per verbum ac sacramenta offertur ac confertur. Alij III. aliquantò firmius adhuc idem probant, quod faciant voluntatem Dei Matth. 6, 10. nobisq; velut exemplar tutò sequendum proponantur IV. quod videant faciem patris cœlestis διὰ παντὸς, id est, semper in omnem æternitatem Matth. 18, 10. V. quia nos, qui sumus futuri incorruptibiles, perfecti, immaculati in vita æterna, simus futuri ἰσάγγελοι Matth. 22, 30. Luc. 20, 36. Breviter nota contra eos, qui contrarium statuunt: Quicquid angelis deest ex naturæ proprietate, id habent ex Dei benignitate, qui hîc dicuntur esse in stabilitate.

probatur I. 2. [quomodo angeli elegantur, non ut homines] 3. 4. 5.

PARS

PARS SECUNDA.

Vers. 4.] Hæc est visionis narratio: Sequitur ejus interpretatio, quam impetrat propheta in discenda Dei voluntate aliquantò obscurius sibi patefactâ valdè diligens, quando interrogat angelum, seu potius angelorum Dominum, & quidem cum summa subjectione ac reverentia, quum eum, quicum loquitur, agnoscit & vocat suum Dominum. *Itaq;*, cum ista viderem, *respondens*, hoc est, scripturæ stylo, proloqui incipiens, (vide Job. 38. 1. Dan. 4, 27. Matth. 17, 4. & 22, 1. & 28, 5. Marc. 11, 14. Luc. 3, 14. & 14, 3. & 17, 17. Joh. 2, 18. Apoc. 7, 13. quæ habet Em. Sa.) *dixi angelo* illi, *qui loquebatur in me, quid hæc* sibi volunt *Domine mi?* quæ mihi jam ostensa sunt superiora visa mihi explicuisti fideliter ac dilucidè, age etiam in hoc me respice, & quid notet, cum ego nesciam, edisserè. *Respondeo i. e. alloquor.*

Vers. 5.] *Tum respondens* iste *angelus, dixit mihi, hi quatuor* currus sunt sancti angeli, Deiq; ministri ac satellites, qui in omnibus quatuor mundi cardinibus ac partibus tam citò facileq; Dei jussa exequuntur, ac si essent *venti cœlorum* (ipse enim pro admiranda sua potentia facit angelos suos ventos, & ministros suos ignem flammantem, tamq; commodè illis voluntatis suæ nuncijs ac judiciorum administris utitur, ut ventis & igne uti solet Psal. 104, 4. quibuscum confer Ezech. 1, 8. 10. 23. 24. Heb. 1, 7. 14.) à Deo emissi veniunt, & ad eundem expeditis rebus demandatis redeunt, ac se summo isti Imperatori sistunt, si quid porrò velit injungere (sicut etiam de malis angelis legimus 1. Reg. 22, 29. Job. 1, 6.) ita *procedunt* ipsi, *inde ubi constiterant*, & decretorum Dei fuerunt executores (stare enim hîc sæpè significat ministrare sup. 3, 1. & 4, 14.) quippe qui semper parati ac *Angeli sunt ut venti.* *Stare.*

prompti Domino suo ac *apud dominatorem totius terræ* consistunt, nutum ejus observantes ac jussum exspectantes Matth. *18*, *10*. Dan. 7, 10.

Equi rufi

& nigri quid notent.

albi

varij.

Terra meridiana h. l. sancta.

Vers. 6.] Hæc in genere scias de visione tibi conjunctim oblatâ, de qua v, *1*. nunc in specie quædam accipe de equis sigillatim ostensis, (ut supra v. *2*. fuit dictum) quippe qui figurant, quid ex Dei decreto illos populos, quò mittuntur, manear. Nam equi illi rufi, qui suprà v. 2. sunt primùm nominati, & hîc quasi digito monstrantur, nempe isti, qui *sunt in illo* curru primo, *& equi illi nigri egrediuntur in terram aquilonarem* seu Babyloniam, quæ respectu terræ sanctæ versus aquilonem sita est sup. c. 2, *10*. portendentes bella, multas clades, ac tristem ejus regni statum, quod ad plerosq; incolas malos spectat, verum *& albi illi egrediuntur post eos*, eodem tendentes, & notant, pijs in eâ hærentibus tandem aliquando lætiorem obventurum statum, cùm & illi à Deo curentur: atq; hi sunt tres priores currus, de quarto tandem sequente, scito, quod in eo *grandine guttati equi* & varij, variumq; statum notantes, *egrediantur in terram meridianam* seu Judæam, quæ respectu Chaldææ, cujus paulò ante facta est mentio, & cui hæc nunc opponitur, est ad meridiem sita. Ita enim potius ob scopum hujus visionis & versus sequentis explicationem, hanc particulam explicamus de terrâ sanctâ, quàm cum alijs de Ægypto, Idumæa aut Arabia, siquidem h. l. non sine causa δεικλικῶς appellatur *hæc* terra, puta in qua versabatur propheta cum suis auditoribus: & angeli sancti h. l. non sine causa pro ea intercedere leguntur, siquidem Ecclesiam curant.

Vers. 7.] *Confirmati itaq; illi* grandine guttâti equi, divini-

vinitusq; animati ac armati (de quibus in fine c. 3. suprà) *egressi* seu potius libenter egressuri ad capessenda Dei mandata *quærebant eundo* sibi piorum amore ultrò Judææ procurationem à Deo deposcebant, ac sibi hoc demandari rogabant, ut *obambularent terram hanc* sanctam, atq; in ea pios juvarent & defenderent. *Ea propter* motus misericordiâ suâ ac precibus angelorum sanctorum princeps, *dixit*, agite, *ite obambulate terram hanc*, & facite, quod jussi estis, ac ipsi voluistis. Quod Dei mandatum cum audissent angeli, dictum factum sine morâ ad Ecclesiam Judæorum advolant, & tam citò obierunt ista sua ministrorum munia, atq; solent equæ velocissimæ in nuncijs celerrimis, *sic* inquam *obambularunt terram* ut equæ præproperæ, quam similitudinem genus fœminimum verbi hebræi innuit.

Angeli capiunt obumbulare terram sanctam.

Vers. 8.] Hisce autem ita in Judæa Judæorumq; salute promovendâ occupatis, de reliquis me ita peculiariter monebat Christus. nam *accersens me allocutus est me dicendo: Vide, hi qui egressi sunt in terram aquilonarem* sup. v. 6. præcipuè illi equi albi, lætiq; nuncij *tranquillarunt spiritum* & iram *meam in terra aquilonari*, videlicet multos homines in Babyloniâ hærentes ad resipiscentiam pietatemq; ministerio suo adducendo, aliosq;, in quibus ea nondum prorsus refrixerat, in eâ continendo, effecerunt, ut istos omnes non omninò à mea adhucdum excludam gratia, sed etiamnum illis clementiæ patefaciam januam, ut paulò post quorundam ex illâ terrâ Hierosolymam, pietatis ergò declarandæ, cum muneribus venientium exemplo probabitur, ut ita vel inde, quis visionis superioris scopus sit, luculenter appareat.

Vers. 9.] Postquam enim illa fuit oblata & explicata, *tum*

tum fuit verbum Jehovæ, volentis typum præcedentem dilucidiùs declarare, *edicendo mihi* ipsius prophetæ, ut dum illud mandatum ejus expedirem, meliùs, quæ videram & audieram hactenus, intelligerem, nempe non omnes extra Judæam degentes prorsus excluſos esse à Dei gratia, quandoquidem & jam in media Babylonia multi pij serventur integri, & olim ad regnum Christi venturi sint longinqui seu gentes, Christi, inquam, cujus typus erat Josua sacerdos maximus, & qui jam hac ipsa occasione denuò promittitur, ut ita sequens historia sit & superioris doctrinæ de templo non tantùm ædificando, verum etiam ornando Hagg. 2, 7. sup. 2, 15. confirmatio, & Judæorum nondum in terram sanctam regressorum (quò tamen omninò aspirabant, ac propediem venturi erant) & gentium tandem solenniter advocandarum consolatio.

LOCI COMMUNES.

Ex versu 4.]

Inquiramus. *Dixi angelo*] Quando propheta adeò studiosè voluntatem Dei inquirit, quid nos reliquos facere convenit? de quo jam sæpè in superioribus.

Ex vers. 5.]

Angelorũ celeritas. *I. Hi quatuor currus sunt venti cœlorum*] Angeli sancti, utpote spiritus, ex uno mũ ad alterum sine morâ temporis transeunt expeditissimè Act. 1, 10. & 5, 19. & 12, 7. 8. 9. ex cœlo in terram mittuntur, eoq; celerrimè redeunt Luc. 1, 19. 26. & 2, 13. 14. 15. sup. 1, 10. unde quia ventus est rapidissimus, meritò huic conferuntur Psal. 104, 4.

Angeli Deo astãt. *II. Inde ubi constiterant*] Angeli sancti Deo astant, eiq; inserviunt, ut regi terreno satellites, 1. Reg. 22, 19. Job.

Job. 1, 6. & 2, 1. & 38, 7. Pſal. 148, 2. Apoc. 4, 8. & 7, 11. 12. Dan. 7, 10. Eſa. 6, 3. Matth. 18, 10. Deut. 33, 2. ubi non negligenda eſt verbi hebræi הִתְוַצַּב, quod hîc occurrit in textu, ἔμφασις, ſiquidem propriè notat aliquem ad ſenatum ſeu tribunal comparere intrepidè, ut vel ſuam vel alterius cauſam agat. vide in Pſal. 2, 2. & 5, 6. ut vel inde diſcas Dei pro tribunali ſedentis angelorumq; corona quaſi circumdati majeſtatem, horumq; in capeſſendis illius juſſis promptitudinem, unde diſcimus

הִתְוַצַּב

III. apud dominatorem totius terræ] quod ille ſolus ſit totius terræ dominator Deus παντοκράτωρ 2. Cor. 6, 18. Apoc. 1, 8. & 4, 8. & 11, 17. & 15, 3. & 16, 7. 14. & 16. 6. 15. & 21, 22. etſi pleriq; putant, omnia vel caſu fieri, vel conſilijs humanis tantùm regi. Si autem Deus ſolus eſt Dominator totius orbis, eum colamus, ei confidamus unicè.

DEUS παντοκράτωρ.

Ex verſ. 6.]

I. Egrediuntur in terram aquilonarem] Singulis provincijs ac regnis peculiares ſuos attributos eſſe angelos, nonnulli probabiliter colligunt ex Dan. 10, 13. & Act. 16, 9. quicquid autem ſit, certum eſt, cum ex hoc noſtri prophetæ, tum ex alijs ſcripturæ locis, angelos ſanctos, quocunq; mittantur à Deo, promptos ſe eò conferre, &, quod juſſi ſunt, expedire. num vero ijdem angeli ſemper eidem præſint provinciæ, Deus novit, & nos ſatius ac tutius eſſe ducimus cum ſcripturâ tacente tacere, quàm nonnullis certi quid aſſerentibus temerè aſſentiri.

Angeli juſſa Dei faciunt.

II. In terram aquilonarem & meridionalem] Deus pios, ubicunq; locorum ſint, per angelos cuſtodit ac protegit, ut multa piorum hinc inde peregrinantium exempla teſtantur. Jacobo in itinere, Danieli in Babylonia, Joſepho

Ubiq; locorum.

sepho in Ægypto, Johanni Evangelistæ in Patmo apparuit angelus.

Ex versu 7.]

Angeli pietatem promovēt.

I. Quærebant eundo] Angeli sancti libenter magnoq; cum prolubio pietatem promovent Dan. 8, 13. 16. Act. 10, v. 3. 4. Luc. 15, 7. Eph. 3, 10. 1. Pet. 1, 12.

Angelorū præsidium oremus.

II. Dixit, ite] Christus angelorum princeps ac Dominus illis dat mandata, quæ expediant Psal. 91, 11. hunc igitur, si volumus esse tuti sanctorum angelorum præsidio quotidiè manè ac vesperi rogemus; tuus sanctus angelus me custodiat, ne diabolus ullum jus in me obtineat.

Ex vers. 8.]

Tranquillarunt spiritum meum] Angeli sancti pietatis studium promoventes, Dei iram sedant: illi vero quia à Deo mittuntur, quod huic omnia sint accepta ferenda, facilè est colligere, vide sup. c. 1. & hîc v. 5. L. C. 2. v. 7. L. C. 1. & 2.

Ex vers. 9.]

Prophetia est à Deo.

Tum fuit verbum Jehovæ, edicendo mihi] Nulla prophetia allata est libitu hominum, sed acti à Spiritu S. loquuti sunt sancti Dei homines 2. Pet. 1, 21. quemadmodum David propheta regius de se expressè fatetur 2. Sam. 23, 2. spiritus Jehovæ loquutus est in me, & sermo ejus per linguam meam.

PARS TERTIA.

Summa hujus partis & resolutio.

Vers. 10.] Primum exponitur Dei mandantis dictum v. 10. & post subijcitur prophetæ id exequuturi factum v. 11. In illo tria sunt notanda I. personæ, ad quos ablegatur, qui sunt viri Judæi, qui recens ex Babylonia Jerosolymam venerant,

nerant, ac dona à se aliisq; Judæis in templum Dei conferenda afferebant, ostendentes pietatis suæ professionem publicam. II. Locus in quem ire jubetur propheta. III. tempus, videlicet eodem die, quo visio superior fuit oblata ac declarata, quoniam consolatione celeri indigebat populus. Ita autem dixit mihi Jehova: *Accipe à deportatis* ac nondum ex captivitate huc cum familiâ regressis, *à Cheldajo* (qui idem est Chelem v. 14. inf.) *& à Tobÿa, & à Jedahia* dicis, ubi conveniam? quomodo ab illis accipiam? dico, postquam *veneris tu eodem die*, postquam *veneris*, inquam, *domum Joschÿæ, filÿ Tzephanjæ* (qui infra v. 14. etiam Chen appellatur) qui non ita pridem venerunt, imò jam *veniunt è Babylonia*, religiosè oblationem facturi suo Domino, quem etiam colunt à templo hoc remoti, quod vos jam exstruitis. *Legati deportatorũ.*

Vers. 11.] Ego vero quod mihi erat injunctum, ita expedire debui juxta tenorem ac præscriptum hujus sequentis institutionis divinæ, & tu Zacharia *accipiens argentum ac aurum*, quod illi tibi Deo consecratum tradituri sunt, *facies* inde *coronas*, ad aurificem cum detuleris argentum & aurum rude, faciendas & expoliendas curabis coronas, easq; jam affabrè factas & exornatas *impones* capiti seu potius cidari, quam suprà imponi vidisti ejus capiti c. 3, v. 5. super impones ac circumdabis) *Jehosuæ filÿ Jehotzadaki sacerdotis maximi*, ut sit & testimonium summi ornatus, gloriæ, splendoris ac majestatis, quæ non tantùm in sacerdotio, verum etiam in toto templo hoc futura sunt, & indicium, quanto decore sit exornandus ille Josua, seu Christus, qui hujus est futurus antitypus, sacerdos N. T. unicus. *Coronæ imponuntur sacerdoti maximo, qui typus Christi.*

Vers. 12.] Horsum enim quod spectent hæc potissimùm

etiam indicabis statim, & cum istos ritus adhibueris in summo sacerdote exornando, *ipsum alloqueris dicendo*, & quid coronatio illa voluerit, quodq; sit ejus fundamentum ac finis ultimus, explicando. *Sic ait Jehova* dominus *exercituum dicendo*: *ecce* jam egregiè â me hisce coronis impositis ornatus es, verùm illæ tibi non propter te imponuntur, sed ut figuram ac typum Christi regis ac sacerdotis geras, ecce *virum*, non tam te, quàm eum, cujus es typus, respice, illum virum cogita, *cujus nomen* est, GERMEN sup. cap. 3, v. 8. qui meritò hoc nomen obtinet, quia suo tempore *ex loco suo germinabit*, ex propria gente, tribu Juda, ac sede destinata, & jam in lucem editus succrescet ac virescet, velut surculus irriguus de radice Jessæ Es. 11, 1. & in urbe Nazareth ille נֵצֶר apparebit Matth. 2, 23. *& ædificabit templum Jehovæ* spirituale seu Ecclesiam, ut tu jam promoves hujus externi templi structuram.

Is est Germen.

נֵצֶר

Vers. 13.] Ita ajo: *is* demum *ædificaturus est* prædicatione Evangelij *templum Jehovæ* ex hominibus, quod multò gratius erit Jehovæ, quàm quod nunc ædificatur ex lapidibus, dum cœtum piorum Deo colliget sua doctrina, quando & ille demum erit glorioſus miraculis, totoq; redemptionis opere mirabilis, ex virgine natus, ex mortuis excitatus, in cœlum sublatus, omniq; gloriâ divinâ donatus, siquidem ille *reportaturus est decorem*, quatenus *sedebit ac dominabitur in solio suo* quod est Ecclesia Luc. 1, 32. 33. Mich. 4, 7. & velut rex sibi populum peculiarem colliget ac contra hostes potenter defender. simul verò etiam *erit sacerdos in solio suo* seipsum victimam patri gratissimam in passione ac arâ crucis offerens, *ut* sic per ejus sanguinem *sit*, sublatâ inimicitiâ, *consilium pacis inter utrosq;*, eos qui in Judæa

propheta

rex

sacerdos

sunt

sunt propinqui, & eos qui inter gentes sunt, atq; adhuc ab Ecclesia longinqui Es. 53, 8. Eph. 2, 13. 14. 15. 16. Col. 2, 13. 14. Ita enim malumus hæc ultima verba ob cohærentiam textus, numerum pluralem & finem redemptionis totiusque Christi officij, explicare, quàm cum alijs eadem accipere, vel de utroq; regimine seu dignitate regiâ ac Ecclesiasticâ, vel de multis verbi ministris, quorum in præcedentibus non fit expressa mentio, sed Christus hic describitur, tum quod ad personam v. 12. tum quod ad triplex prophetæ, regis ac sacerdotis officium, quæ omnia deniq; huc conspirant, ut ex Judæis ac gentibus salventur quamplurimi, quando proh dolor, longè plures sua culpa (qui & ipsi à Christo non absolutè sunt excluſi) pereunt.

Inter nos q;, quid h. l.

Vers. 14.] Quod cùm ita sit, videlicet quod ex capite illo, Christo Jesu, in reliqua omnia viva Ecclesiæ membra sit redundatura gloria, ut etiam hujus rei sit quoddam testimonium *idcirco* jam coronas illas, de quibus sup. v. 11. capiti Pontificis detrahe, & legatis impone, ita ut *illarum coronarũ quæq;* sit una *pro Chelemo*, & altera *pro Tobija*, & tertia *pro Jedahja* & quarta deniq; *pro Chene, filio Sophoniæ*, dẽturq; singulis singulæ, (id quod in textu hebræo constructio ipsa innuit, quando nomini plurali verbum singulare adjunctum distributionem notat הָעֲטָרֹת תִּהְיֶה Bux. th. l. 2. c. 10. p. 389.) ut hoc monumento confirmentur pij longinqui, quales hi quatuor erãt adhuc in Babylonia hærentes, se Deo acceptos fore, & intelligant propinqui seu in Judæa degentes jus illis longinquis esse cum ipsis ad Deum accedendi, quiq; etiam olim in cœlis unà cum reliquis pijs sint coronandi, idq; ne tradatur oblivioni, *in memoriale*, posteaquam iterum sunt demptæ hæ coronæ de capitibus horum pio-

Singulis legatis imponitur corona.

rum proselytorum, in templo Jehovæ suspendantur quò iis-
Quid hoc moneat. serviant posterorum & consolationi, certò inde concluden-
tium, venturum Messiam, qui istis coronarum antitypis seu
donis supercœlestibus & gloriâ ornetur Psal. 8, 2. 6. & instru-
ctioni, ut reliqui Ecclesiæ cives etiam ad liberalitatem simi-
liter exercendam accendantur, quando has coronas & ἀνα-
θήματα sacra vident, & amplissimum restare offerentibus
præmium audiunt, atque ex hîc descriptâ historiâ intelli-
gunt.

Vers. 15.] Sic igitur declaratum est typicè, omnes Ec-
clesiæ veros cives habituros esse in Christo sacerdote N. T.
unico laudem ac gloriam perpetuam: porrò indicatur,
Longinqui in N. T. advocãtur. quod & populi longinqui in initio N. T. se illis sint adjun-
cturi, ut unà templum spirituale ædificent, quemadmo-
dum in gentium vocatione factum est; quam ut verissimam
esse credant, &, ita ut prædictum est, eventuram ad rei e-
ventum iterum provocat propheta, ut sup. c. 2, v. 15. id quod
etiam ad excitandos Judæos facit. Cur enim hi de suis dif-
fiderent studijs, cùm alienigenas in societatem eorum ven-
turos audiebant? pudeat verò illos suæ ignaviæ, si ipsi, gen-
tibus accurrentibus, non adveniant. *Nam longinqui*, hoc
est, gentiles, Paulo interprete Eph. 2, 13. 14. in N. T. ad Ec-
clesiam *advenient* (complementum habes prolixè descri-
ptum in actis Apostolorum, Paulinisq; Epistolis) *& ædifica-
bunt in templo Jehovæ* spirituali, seu Ecclesia, se ipsos offe-
rentes pro vivis lapidibus Eph. 2, 19. 20. idq; cùm factum
fuerit apud vestros ô Judæi, qui jam vivitis, posteros, *ita
cognoscetis* vox ex ijs, *Jehovam* Dominum, *exercituum mi-
sisse me ad vos. atq; hoc* quidem *futurum est* per ministerium
verbi. Interea verò vestrum est, ijs, quæ hactenus à me di-
cta

cta sunt, attendere, & templum erigere, urbem munire, ac Rempub. constituere, in quibus olim vivat aliquandiu & moriatur promissus ille Messias. Nam *quum sic omnino auscultaveritis voci Jehovæ Dei vestri*, post illud, inquam, tempus hoc regnum Christi, de quo dixi jam sæpius, venturum est; neq; est, quod de promissionum divinarum complemento vel tantillum dubiteris. Nam Jehova dixit, & facta sunt.

LOCI COMMUNES.

Ex vers. 10.]

Accipe à deportatis] Deus neminem ad se venientem repellit Joh. 6, 37. qui omnes à se abeuntes ad se venire compellit Luc. 14, 23. amicèq; invitat Es. 55, 1. Matth. 11, 28 quem nullius interitus delectat Ezech. 18, 32. & 33. 11. Inprimis verò h. l. videmus, quomodo Deus etiam munera externa pio animo oblata habeat valdè grata, quod nos omnes ad liberalitatem pro facultate exercendam erga ministerium & pauperes meritò excitare debet Luc. 21, 1. 2. 3. Matth. 25, 40. 2. Cor. 9, v. 6. 7. 8. 9. 10. Rom. 12, 8. Phil. 4, 10. 15. 16. vide exemplum regis Sodomorum Gen. 14, 21. Israelitarum Exod. 36, & 38, 8. Davidis 2. Sam. 8. 11. 1. Chron. 18, 9. & 26, 26. Salomonis 1. Reg. c. 5. 6. 7. 8. Cyri Esd. 1, 7. & 6, 3. 4. 5. Es. 44, 23, Darij Esd. 6, 8. 9. Zachæi Luc. 19, 6. 8. piarum mulierculorum Luc. 8, 2. viduæ pauperculæ Luc. 21, 3. 4. Lydiæ Act. 16, 15. barbarorum & Publij c. 28, 2. quibus adde nostrorum majorum zelum in largiendo nimium, quamvis ille non esset secundum scientiam, dum templa magnifica erexerunt, altaria dotarunt & ditarunt, ijsq;, qui his serviebant, stipendia ampla constituerunt.

Deus nullũ rejicit.

Simus liberales

ad exemplum piorum.

Ex

Caput Sextum

Ex vers. 11.]

Benè utamur opibus,

I. Accipies argentum faciesque coronas] Deus id quod datur ad ipsius peragendum cultum, sibi ipsi refert acceptum, ac multum id commendat Matth. 26, 7. 13. Videamus igitur, ita utamur mammone, injustè plerumq; parto, ut in æterna recipiamur tabernacula Luc. 16, 9. & gloriæ ibidem donemur coronâ 2. Timoth. 4, 8. Jacob. 1, 12. 1. Pet. 5, 4. Apoc. 2, 10. Sap. 5, 17. quæ illi tantùm obtingit, qui benè currens ad metam pervenit 1. Cor. 9, 24. 25.

ut coronemur.

Corona ministrorum verbi quæ?

II. Impones capiti sacerdotis maximi] Olim sacerdos maximus, quia erat typus Christi regis prophetæ ac sacerdotis, gestabat coronam in sacra sua cidari, quia tempus erat umbrarum in V. T. quæ cum jam disparuerint adveniente ipso corpore, quænam erit corona sacerdotum? hæc scilicet, ut pro viribus curent omnes verbi ministri, ut auditores dignè Evangelio viventes sint ipsorum corona & gloria Phil. 4, 1. 1. Thess. 2, 19. quibus sapientia divina tradat coronam ornatissimam Prov. 4, 9. 2. Tim. 4. 8. & reverentia Domini est corona exultationis Sir. 1, 10, 18.

Accommodatio nominum hebræorũ.

III. Quando h. l. coronæ imponuntur capiti Heldaji seu Chelem, Tobijæ, Jedahjæ, & Joschijæ aliàs dicti Chenis, & in memoriale eorundem in templo reponuntur seu suspenduntur, ex horum nominum propriorum explicatione analogicâ, quæ ex hebræarum vocum etymologia nascitur, docemur, quibus in hac militante ac post in triumphante Ecclesia à Deo summo brabeuta, corona gloriæ imponatur I. חֶלְבַּי, dicto à חֶלֶד, id est, tempus, mundus cessans instabilis & transiens, qui novit dies suos esse palmares, & hoc tempus esse, ut nihil, coram Deo Psal. 39, 6. & proinde quia scit hoc esse contractum.

חֶלְבַּי *qui temdus benè collocat.*

tractum *1.* Cor. *11*, 29. benè eo utitur ib. v. *31.* & singulos dies numerat Psal. *90*, *12.* animadvertens viâ integrâ, quando Deus sit venturus ad se Psal. 101, *2.* adde Eccles. *11*, 8. Sir. 7, 40. ille demum est bonus חֹלֵם seu somniator à R. חָלַם, id est, somniavit, unde Chaldaicè somnium חֶלְמָא dicitur, qui somnia illa in V. T. divinitus immissa (nam de talibus potissimum hoc verbum usurpatur in hac significatione vide Joel. 2, 28.) diligenter observat, atq; ita per somnium illud & somnum mortis piæ benè reconvalescit (quæ est altera hujus verbi hebræi significatio Esa. *38*, *16.*) & nitidior melior ac firmior ex eo prodit Joh. *12*, 24. *1.* Cor. *15*, *36.42.* II. טוֹבִיָּה, illi, qui bonus est Jehovæ, seu piè vivit Psal. *18*, *26.* 27. & *73*, *1.* vide Luth. præfat. Germ. in librum Tobijæ & quis per Tobijam intelligi possit, scies, à R. טוֹב, id est, bonus, & יָהּ nomine divino contracto III. יְדַעְיָה, illi, qui novit Deum, à R. יָדַע, id est, novit, & nomine divino יָהּ, nam hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti J. C. Johan. *17*, 3. nam cognoscere te, ô Deus, absoluta est justitia, & nosse potentiam tuam est radix immortalitatis Sap. *15*, *3.* conf. Es. *53*, *11.* Luc. 1, 77. Col. 1, 9. *10.* 1. Johan. *2*, *3.* 4. IV. יֶאשִׁיָּה dicto, R. אֵשׁ, id est, ignis & יָהּ, cui litera formativa propriorum ab initio est præfixa, illi scilicet, qui est igneæ naturæ, non friget in bono Rom. *12*, *11.* & sursum tendit Col. *3*, *2.* quique seipsum Deo sacrificat Rom. *12*, *1.* & cujus oratio est ut suffitus coram Deo, elatioq; manuum ut munus vespertinum Psal. *141*, *2.* q. d. cum Hieronymo hoc nomen explicans, incensum Domini, sacrificium Jehovæ, qui idem est חָנָן à R. חָנַן, id est, gratiam fecit, illi qui gratiam apud Deum invenit Luc. 1, 30, in Christo scilicet Eph. *1*, 6. Johan. *1*, *16.*

חֹלֵם *qui somnia sacræ observat,*

& in somno mortis vitam adit.

טוֹבִיָּה

יְדַעְיָה

יֶאשִׁיָּה

חָנָן

Quibus nō imponantur corona.

Econtrario jam facilè quisq; colliget, quibus non imponentur olim coronæ, nempe securis Epicuræis, verbiq; divini contemptoribus malis, Dei ignaris, in pietate frigidis, quiq; gratiam Dei per sua flagitia ac scelera amiserunt, & per pœnitentiam seriam non receperunt.

Ex vers. 12.]

Descriptio Christi, qui est verus homo

I. Ecce virum] Habemus hîc insignem Christi, ejusq; officij descriptionem, siquidem primo dum vocatur *Vir*, hominem verum eum esse, docetur vide sup. c. 1. v. 8. L. C. 1. unde refutantur Marcionitæ, Manichæi, Valentiniani, Anabaptistæ. Secundò, quando appellatur idem *Germen* & vilis ac contempta ejus coram mundo origo indicatur sup. 3, 8. & quod eundem propheta hîc denotet, de quo ante captivitatem Esaias prædixerat c. 4, 1. & 11, 1. & quem Jeremias eodem ornaverat titulo c. 23, 5. & 33, 15. Tertiò cum *de sub se*, seu è loco suo proprio *germinaturus* pronunciatur, id quoq; innuitur, quod & sine virili semine sit nascituri rus, & regnum suum propriâ virtute constituturus. Quartò quando de ipso prædicat Zacharias, *is ædificabit templum Jehovæ*, monemur, quod in ipso solo totum ædificium Ecclesiæ coagmentatum crescat, ut sit templum sanctum Domino Eph. 2, 21, 22. Quintò quum, *reportare eum decorem*, additur, id potissimum designari credimus, quod infinitis ac divinis sit futurum ut ornetur donis vide Psal. 8, 2. 6. Dan. 7, 13. 14. Joh. 17, 5. Sextò *sessurum ac dominaturum eum in solio spirituali* cum audimus, regem Ecclesiæ illum esse unicum intelligimus Psal. 2, 6. Jer. 23, 5. & 33, 15. infra 9, 9. Septimò *sacerdos* quod sit futurus disertè hîc exprimitur confer. Heb. 9, & 10. cap. Octavò deniq; quod sit Judæos ac gentes simul vocaturus ad Ecclesiæ consortium, significatur,

in statu exinanitionis vilis

nasciturus ex virgine

& rex,

Ecclesiæ caput ac fundamentū, divinis donis ornatus

rex

sacerdos

conjungēs Judæos & gentes.

quando

quando subijcitur, & *consilium pacis erit inter utrosq;* vide Johan. 10, 26. Eph. 2, 13. & 3. 6.

II. Germinabit] Christus non tantùm germinat sibi, quatenus ex Maria virgine mirabiliter natus est, sed etiam hoc respectu germen rectè dicitur, quod in ipso omnes plantæ cœlestes germinent ac vireant. Joh. 15, 2. Eph. 3, 16. 17. 18. *Germinat in se & alijs.*

Ex vers. 13.]

Quæ notari poterant, supra in L. C. v. 12. strictim sunt indicata, & ex L. de persona ac officio Christi latiùs possunt deduci.

Ex vers. 14.]

Illarum coronarum quæq; esto pro Chelemo] Quotquot in cultu Dei apud alios propagando fidelem navant operam, aut eum saltem amplectuntur ipsi, amplissimum reportant à Deo præmium, in hac vita conscientiæ tranquillitatem, & post eam æternæ beatitudinis felicitatem, quæ duo coronis hîc indicantur, confer quæ dicta sunt sup. v. 11. L. C. 1, & 2. *Coronæ pietatis præmium.*

Ex vers. 15.]

1. Longinqui advenient] Elucet hinc Dei misericordia, qui gentes profanas ac omninò perditas ad filij sui regnum vocat Rom. 15, v. 9. 10. 11. 12. de quâ vocatione quod sæpius in T. V. sit prædicta, alibi est probatum prolixiùs. *Gentium vocatio.*

II. Quum omninò auscultaveritis voci Jehovæ] Promissiones Dei sunt plerumq; conditionales, & illis complentur, qui conditionem adjectam præstiterint, id quod contra Calvinianorum decretum absolutum deducimus uberius. Nunc ut vela hîc contrahamus, absolutis Zachariæ nostri *Promissiones conditionales.*

visionibus, omninò videtur consultum: reliqua quæ hîc declarari poterant plenius, in tempus commodius reservabimus.

CAPUT SEPTIMUM.

Argumentum.

Summa.

HActenus in secunda hujus prophetiæ parte, quæ ad templi instaurationem, urbis reædificationem, & populi reducis in utraq; laborantis per visiones divinitus oblatas excitationem ac confirmationem necessariam pertinebant, vidimus: Sequitur nunc ut Institutiones ejusdem populi jam melius deinceps habentis & sperantis accedamus. Quia enim nunc satis constabat de paternâ Dei erga hunc populum suum providentia, cum ex vlsionibus novem hactenus declaratis, tum ex ipsa experientia, quatenus templum ac Urbs, quorum ædificatio antea sæpius fuit interrupta, & sæpè diu per hostes impedita, maximâ ex parte erant restaurata, quando utriusq; reparatio benè sub manus succedebat, & de futuro complemento c. 4. v. 7. promisso bona spes Judæos fovebat, meritò Deus vicissim pro isto suo multiplici beneficio populum per prophetam erudit de sibi præstando officio, idq; occasione hâc satis commodâ. Quum videbant Judæi reipsa edocti omnia jam per Dei gratiam apud se esse lætiora, quâm vel olim in exilio, vel paulò ante, illo soluto etiam, consulunt peculiari quadam legatione sacerdotes & prophetas, num sit deinceps eodem modo & tempore jejunium publicum instituendum, ut tempore captivitatis & infelicitatis prioris factum fuerat, hæc est quæstio. ita autem à Deo per prophetam

Institutiones hujus populi.

Occasio.

Quæstio.

pietatem formatur responsio, ut doceat priùs in genere, omnia vana esse jejunia, quæ cum veræ pietatis studio non sint conjuncta, qualia sunt eorum, qui mandata Dei in lege morali præscripta susq; deq; habent, inter quos & Judæorũ majores & ipsi posteri meritò numerantur, atq; ut hi præsentes corrigantur majorum suorum exemplo cautiores redditi, exponuntur mandata illis præscripta & nefariè violata, atq; idcirco in quas pœnas inciderint subijcitur, eum in finem, ut si hi cupiant evitare eadem supplicia, ab ijsdem abstineant flagitijs. *Responsio.*

Usus itaq; hujus totius capitis est, ut discant verbi ministri, quomodo sint objurgandi illi, qui de traditionibus humanis potiùs, quàm de præceptis divinis inquirunt, & de externis magis ceremonijs, quàm internâ animi pietate sunt solliciti, cujus farinæ hominum quælibet ætas gregem profert maximum, qui universam pietatis rationem, ac cultus divini proram ac puppim insuperstitionibus ineptis esse somniant. Contra illos enim hîc satis egregiè ostenditur, quibus officijs Deus verè coli, & pax vera conservari possit. *Usus.*

Partes hujus capitis possunt constitui tres: I. Exordium, in quo præter autorem horum sequentium documentorum tàm primarium quàm secundarium, temporis est exacta notatio v. 1. II. est à populo per legatos de jujunio facta quæstio, in quâ duo notanda, prius circumstantiarum præcipuarum observatio, nempe 1. quis legaverit. 2. quò. 3. quos. 4. cur. 5. ad quos v. 2. & initio tertij, posterius ipsa quæstionis informatio in fine v. 3. III. est à Deo per prophetam reddita responsio v. 4. & seqq. Sunt quidem ejus (quippe quæ sequens totum caput etiam complectitur) duo præcipua membra, unum, thesis generalis de pietate *Analysis Partes tres. 1. Exordiũ 2. Quæstio à legatis proposita. 3. Responsio.*

Caput Septimum

Deo probandâ, alterum hypothesis, & ad quæstionem superiorem peculiariter applicatum responsum, quemadmodum etiam supra in septimo προλεγομένων membro fuit ostensum; verùm in hoc capite porrò duo hæc tantùm habentur, & præcedentis horum Judæorum ex captivitate reductorum doctrinæ & vitæ redargutio, quatenus jejunia non in Dei laudem & obsequium v. 5. sed suum commodum v. 6. majorumq; pravum exemplum, v. 7. instituerunt, & per brevem majorum historiam, confirmans illa, exornatio, in quâ exaggeratur per prophetam v. 8. majorum à Deo satis edoctorum v. 9. & 10. inobedientia ac mens obstinata v. 11. 12. & Dei à Judæis valdè læsi excandescentia ib. implacabilitas v. 13. ac manus aggravata v. 14. utrobiq; vero gradus quidam ponuntur, ibi nequitiæ, hîc iræ, ibi describitur populi contemnentis maleficium, hic Dei in furore suo cum ipso contendentis judicium. Si quis velit, potest ea, quæ à v. 8. habentur in textu, satis benè syllogismo huic includere: Qui Dei mandata violant dum hominum præcepta ac traditiones servant, Dei iram gravissimam in se provocant. Sed majores vestri (& vos cum ipsis) id fecerunt E. Major quidem disertè non ponitur, sed ejus pro syllogismus ac probatio, dum v. 9. & 10. quænam sint verè divina jussa, exponitur, & de quibus quærendum, ac secundum quæ erat vivendum, innuitur. Minor expressè habetur v. 11. & 12. sicut & conclusio ibidem & seqq. duobus versibus.

ejus hîc membra duo

1. redargutio

2. exornatio.

Syllogismo hæc inclusa.

Pars Prima.

A quibus ac legatio missa

Primùm omnium hîc videndum, A quibus legatio, de quâ in sequentibus agitur, missa, & à quibus quæstio, quæ decla-

declaratur, fuerit proposita? nisi enim de hoc certi quid constiterit, reliqua omnia erunt quoq; ambigua & dubia. Plerique; omnes interpretes in eâ sunt sententiâ, quod ij, qui Babylone remanserant, quosdam ablegarint Jerosolymam, qui quærerent, quando jam audirent ipsi, suis fratribus in terram patriam reversis, & hactenus satis malè per hostes adversariosq; suos afflictis jam tandem opus ædificationis templi & urbis procedere, num etiam deinceps ipsis in exilio adhuc dum commorantibus sit lugendum ob templi desolationem, suiq; ducis Gedoljæ interfectionem. Posita igitur hac hypothesi porrò objurgationem totam, quæ sequitur, ad Judæos nondum ex captivitate reversos nec opus restaurationis juvantes tantùm spectare concludunt, quasi illi ob suam reprehendantur negligentiam, quæ satis inde evincatur, quod rebus suis tantùm consulant, de traditionibus humanis quærant, & legem Dei nefariè violent. Tremellius & Junius contrà censent à populo ipso reduce, & in Judæa versante hanc legationem venisse, idq; ita probant ipsi, tum quod aliàs fuerit moris in terrâ sanctâ per legatos viros honestissimos cum sacerdotibus ac prophetis agere (exempla quædam vide *1.* Reg. *14*, *2.* & *22*, 9. *2.* Reg. *3*, *12.* & 8, 8. & *22*, *13*, *14.* Jer. *42*, *1.* *2.* Ezech. 8, *1.* & 14, 1. & 20, *1.* Hagg. 2, *11.* Mal. 2, 7.) tum quod hæc quæstio de jejunio propter templi restaurationem benè cœptam ac propediem perficiendam magis ad Judæos in terrâ sanctâ degentes, hujusq; beneficij magis participes, quàm illos, qui in Babylonia desidebant, pertinebat. Possunt autem eidem sententiæ firmandæ hæc quoq; subijci, primò quod *totus populus* potius dicatur de illis, qui in terrâ suâ suis quodammodo vivebant legibus, quàm de ijs, qui dispersi alieno adhuc parc-

1. ab ijs, qui in Babylone

2. à populo reduce

ratio 1.

Legati cũ sacerdotibus solebant agere.

2.

3.

parebant imperio confer v. 2. & 5. Secundò quod idem v. 5. valde emphaticè dicatur populus *hujus terræ*, puta sanctæ, quomodo sæpè δευλικῶς denotatur & cap. 8. v. 19. vocatur domus Jehudæ. tertiò si veniſſent hi legati ex Babylonia Sp. S. ſine dubio hoc adjeciſſet, ut ſup. c. 6. v. 10. factum meminimus. Quod autem Gualtherus exiſtimat, legationem quidem adveniſſe ex Babylonia, quæ quæſtionem propoſuit, ſed reſponſum eſſe directum ad populum in terrâ ſanctâ degentem, conjectura eſt, eaq; non admodum probabilis, cum illi ſoleat reſponderi qui quæſivit. Concludimus igitur quod à terræ ſanctæ incolis ſit quæſitum, illisq; reſponſum, & proinde ita omnia ſunt explicanda, ut his quadrare poſſint.

Gualtheri conjectura rejicitur.

Verſ. 1.] Ita autem habet præfatio. *Poſtea*, cùm quæ hactenus prophetæ divinitus oſtenſæ viſiones declaratæ, & populus in ædificationis negotio alacrior erat reddirus per annos duos & ultrà (ſiquidem anno ſecundo Darij menſe undecimo perrexit ſup. 1, 1, 7.) atq; ita templi ſtructura urbisq; ædificia bonam partem erant provecta, lætiorq; ſpes de ultimâ manu propediem imponendâ affulgebat, *fuit anno quarto Darij regis* (quis ille, vide ſup. c. 1, 1) *ut eſſet verbum Jehovæ ad Zachariam*, illud nimirum quod infra v. 5. exponitur, priùs autem hîc cauſa prophetiæ & occaſio verbi inſeritur, idq; *quarto die, menſis noni*, qui nomine proprio Chaldaico dicitur *Cisleu*, & eſt anni ſacri nonus, maximaq; ex parte noſtro Novembri reſpondet vide ſup. 1, 7.

Quando hæc facta.

LOCI COMMUNES.

Ex verſ. 1.]

Poſtea anno quarto Darij die quarto menſis noni Cislevi]

Præ-

Præter illa, quæ suprà aliquoties sunt indicata de prophetiæ autore, autoritate & usu, hîc exacta temporis notatio monet, singulis temporum momentis diligenter à nobis esse obseruandum, quodnam sit Dei ad nos dictum, quodnam in mundo factum. Summa enim Dei sapientia & filius Dei ipse Matth. *11*, 19. 1. Corinth. *1*, 24. quotidiè per omnes orbis & urbis angulos inclamat Psal. *50*, *1. 2.* Prov. 1, *20. 21.* & 8, *1. 2.* & Dei potentia ex opere creationis elucet Rom. *1*, *20. 21.* & prouidentia adhuc omnia gubernat Sap. *14*, *3.* non relinquit se expertem testimonij Act. 14, *17.* & *17*, *26. 27. 28.* vide Psal. *103. 104. 105. 106. 107 113.* 78. 44. adde ea quæ suprà dicta sunt c. *2.* v. *2.* L. C. *1.* & v. 6. L. C. *1.* & C. *5.* v. 2. L. C. *1.* & v. *5.* L. C. *2.*

Omnia temporum momenta seruanda.

PARS SECUNDA.

Vers. 2.] Temporis circumstanti à explicatâ adijcitur ἀιτιολογία, cur Deus prophetæ novum instinctum dederit, desumpta ex rei gestæ occasione, quæ hæc est. Contigit hoc, *quum misisset* scilicet populus, supple ex v. 5. Judaicus videns se sua spe jam non amplius deludi, sed jam firmiter præsumens, completum iri, quæ Deus per Haggæum ac Zachariam promisisset, & jam causa luctus publici sublatâ, an ille nihilominus durare debeat, ambigens, ablegasset in ipsam *domum Dei*, hebraicè בֵּית־אֵל appellativè, non propriè accepto vocabulo composito, hoc est, templum Jerosolymitanum, in quo Deus coli voluit, ut ita locus ipse, quid facto opus esset, moneret prophetam ac sacerdotes. Quia autem propter ordinem & honestatem conueniebat à cœtu magno certos homines capiendis consilijs & rebus gerendis delegari, miserunt viros quosdam magni nominis *Scharetzerum & Regem melechum*, *ac viros* seu

בֵּית־אֵל *i. e. templum.*

omites ac ministros *ejus* utrosq;, quorum nomina ipsa quandam majestatem præ se ferunt, & bonum omen portendunt, siquidem שַׂר־אֶצֶר est cantans ob thesaurum, & רֶגֶם־מֶלֶךְ ad cœtum regis pertinens. Causa vero legationis erat duplex, una, *ad deprecandum faciem Jehovæ* ob peccata hactenus admissa, eoq; nomine per humiles preces totius Ecclesiæ nomine fusas placandum.

Scharetzer, Regē melech.

Causa legationis duplex 1.

Vers. *3.*] Altera, ad quærendum de eo, quod erat deinceps futurum, ne quid in eo porrò peccarent, *ad alloquendum sacerdotes*, quorum erat de lege consulentibus respondere (vide quæ diximus Hagg. 2, 11.) *qui aderant domui Jehovæ* Domini *exercituum* & simul *prophetas* Haggæum ac Zachariam, tam ordinarios, quàm extraordinarios divinæ voluntatis interpretes, tam mediatè, quam immediate vocatos Ecclesiæ ministros, *dicendo*: Summa postulati est, An etiamnum, ut antea rebus afflictissimis feci, jejunare, meq; affligere debeo? siquidem cum opus ædificationis templi ad finem properet, lætitiæ potius tempus esse videtur quàm luctus, hic enim ob templum desolatum erat institutus, quod nunc videmus supra dimidiam partem restitutum: *An* ergo *fleturus sum* deinceps *mense quinto*, qui maximam partem respondet nostro Julio seu Quinctili, ejusq; die decimo, quo ante annos complures civitas ac templum planè desolabatur 2. Reg. 25, 8. Jer. 52, 12. Synecdochicè verò per fletum luctum publicum ac jejunium cum lachrymis ac ploratu conjunctum intelligit, quemadmodum cum ex alijs parallelis scripturæ locis Jud. 20, 26. 1. Samuel. 1, 7. 2. Sam. 1. 12. & 14, 14. Neh. 1, 4. Joel. 2, 12, Psal. 69, 11, Esth. 4, 3. 1. Sam. 7, 5. Baruch. 1, 5. tum ex responsione & seqq. tum denique ex ijs, quæ hîc immediate sequuntur, facilè

2.

Summa Quæstionis.

Fletus quid notet.

cilè potest deduci: Subijcitur enim an fleturus sum *separando me* more modoq; Nasiræorum abstinendo à consortio personarum & rerum omnium usu, quæ ad lætitiam faciunt, id quod verbum hebræum הִנָּזֵר h. l. notat, quod satis benè vertit Chaldæus, nunc quid prohibebo animam meam à delicijs? plura autem quæ hîc de Nasiræorum legibus & ritibus erant dicenda, vide jam ante, quantum pro instituti nostri ratione sufficit, satis explicata Joel. 2, 15. Amos 2, 11. 12. confer. Num. 6, 1. Hoc autem potissimum ansam dedit quærendi, quod nec jejunium istud à Deo esset mandatum, nec ulla justa deinceps lugendi causa restare videbatur, quapropter meritò ex ore totius populi legati apponunt, an fleturus sum ita dehinc porrò separando & continendo me ab omni lætitia & contra studiosè me dedendo tristitiæ, *quemadmodum feci jam aliquot annis*, numerum ipsum præcisè non adjiciunt, quia exilium fuerat molestum & templi urbisq; vastitas non nisi magna animi cum perturbatione poterat revocari in memoriam. Junius 167. computat, quem vide. Hæc est à legatis proposita quæstio: videamus etiam, quænam nomine Dei per prophetam sit de ea exposita responsio.

הִנָּזֵר

LOCI COMMUNES.

Ex vers. 2.]

1. *Quum misisset populus in domum Dei*] In rebus perplexis, quæ religionem concernunt, solus Deus in suo verbo ac ministris est consulendus Exod. 29, 42. 43. Deut. 18, 15. Psal. 74, 9. Esa. 8, 20. Hagg. 2, 11. Exemplo Mosis, Davidis hic enim quærenda veritas & nobis jam dictum est de filio, hunc audite Matth. 17, 5.

In dubijs est Deus consulendus.

Honor verbo Dei habendus.

II. *Scharetzerum & Regem melech.*] Honor verbo Dei ejusq; ministris est habendus, vide de illo exempla varia Gen. 47, 31. & 49, 33. Num. 23, 22. Jud. 3, 20. 2. Reg. 23, 2. 2. Chron. 34, 31. Nehem. 8, 6. & de hoc saltem hæc præcepta 1. Corinth. 3, 4. 1. Thess. 5. 12. 1. Timoth. 5, 17. Hebr. 13, 17. Ubicunq; igitur verbum Dei nobis annunciatur, licet honorem externum quoq; ei exhibere, qui sit index interioris devotionis. quod si ita est, quid nos rident Calviniani, quando caput aperimus in templo, quando canitur, verbum Dei legitur, nomen Jesu appellatur, ad hoc genu incurvatur, sicut etiam ab ijs, qui ad sacram synaxin accedunt & sacrosanctum Domini corpus edunt, sanguinemq; bibunt, ostendentes se venienti sub oris & cordis sui tectum Domino, mediantibus symbolis, meritò honorem debere. Si verbi ministri habendi sunt in precio, qui fit, quod multi ex magistratu aut patronis illos vix dignantur, quibus mittant calonem seu caculam, mediastinum, entissarium, stabularium, agasonem, mulionem, quando eos ad se vocandos curant?

Quando orandum.

1.

2.

3.

III. *Ad deprecandum faciem Jehovæ*] Docemur hic, quomodo ad Deum accedendum & precandum, nempe I. humiliter ac reverenter, exemplo Davidis Psal. 51. Danielis c. 9. publicani Luc. 18. II. pie ac confidenter, siquidem in domum Dei hi legativeniunt III. patienter ac constanter, siquidem quando audiunt gravissimam Dei reprehensionem, non abeunt, quæ pleraq; solius verbi hebræi חלות ἔμφασις denotat. significat enim propriè ardenter precari more alicujus infirmi & ægroti, qui mortem magno cum studio deprecatur 1. Reg. 13, 6.

Ex

Ex versu 3.]

I. *An fleturus sum*] Ex quæstione hac discimus, inveteratum jam esse in Ecclesia Dei malum, quod homines potius circa quæstiones inutiles insaniant, quàm de vera pietate Deo & caritate proximo probandâ. Id enim tempore hujus nostri prophetæ, tempore Christi, & præcipuè Pauli apostoli obtinuit *1.* Timoth. *1*, 4. 5. 6. & 6, *3.* 4. *2.* Timoth. 2, *15. 21. 22. 23.* Tit. 3, 8. 9. quid igitur mirum, si hodie idem videamus plerumq; fieri ab illis, qui Theologiæ dant operam. Nos hæc legentes possideamus in patientia animum, obfirmantes nos, ne quid nobis sit novum aut insolitum, quia eadem semper agitur in mundo fabula, & hodie sæpe deminus subtilibus distinctionibus verborum ampullis & phaleris, nimis anxiè conquisitis inutilibus exornationibus, futilibus allegationibus typorum, qui ne uspiam etiam sunt aut fuerunt, nugacissimis explicationibus plus laboratur, quàm de pietate hominibus instillanda.

Quæstiones potius tractantur quàm pietas.

II. *Separando me*] In publicis malis Deo supplicandum est publicè in jejunio ac lachrymis, qua de re dictum est Joel. *1*, 13, *14*, & 2, *12. 13. 15.*

Publicæ preces.

PARS TERTIA.

Vers. 4.] Quandoquidem enim jam causa legationis & summa quæstionis est interposita, repetit nunc propheta, quod supra v. *1.* dicere cœperat, sicut fieri solet post longiorem παρένθεσιν: *Fuit* igitur ad instantiam legatorum divinitus datum responsum, & *verbum Jehovæ Domini exercituum soli mihi Zachariæ edicendo*, licet omnes sacerdotes ac prophetas legati fuissent allocuti.

Soli Zachariæ revelatur responsum.

Vers. 5.] *Alloquere* tu meo nomine *totum populum hujus*

jus terræ, cujus jussu & consensu legati isti me consultum venerunt, *& simul reliquos sacerdotes*, ut ipsi deinceps eadem inculcent suis auditoribus, *dicendo:* Vos quæritis de jejunio à vobis hactenus observato ex traditione humana, illiusq; commemoratio est velut tacita quædam exprobatio, quasi in me multum inde commodi redundaverit, sed ô insulsi & insipientes! jejunia hæc ego Deus vester non imperavi, cum jejunatis, nihil mihi decedit, videte potius, ut sive à cibo & potu abstineatis, sive eum assumatis, semper ex præscripto legis meæ, documentorumq;, quæ prisci prophetæ patribus tradiderunt, vitam instituatis, quia hoc ego delector, non verò illo vestro electitio & fictitio cultu. Sive igitur editis, sive bibitis, sive aliud quippiam facitis, omnia ad gloriam Dei facite *1.* Corinth. 10, 31. qui curat diem, Domino curet, qui non curat diem, Domino non curet, qui edit, Domino edat, & qui non edit, Domino non edat, uterq; autem Deo suo gratias agat Rom. *14*, 6. jam, quæso, dispicite ote & judicate vos ipsi. *Quum jejunatis & plangitis*, externoq; gestu vestram testatam facitis tristitiam quæ

סְפַר

est verbi hebræi סָפַר ἔμφασις vide Joel. *1*, *13*. illo *quinto*, de quo quæritis v. *3*. addam ego, *& septimo* mense, quando propter interfectum Gedoljam patrum quorundam vestrorum ducem jejunium indixistis 2. Reg. *25*, 28. & Jer. *41*. cap. quando etiam mense decimo infra c. 8, v. *19*. *quemadmodum illis septuaginta annis*, quibus in ipsa captivitate fuistis detenti, vide sup. 1, *12*. & porro ab illo tempore hucusque, *an tum ullo pacto mihi*, *mihi* inquam propter me, vel ob meum mandatum, vel in meum honorem *jejunatis?* nequaquam ô perversi Judæi, hanc enim negativam responsionem talis innuit affirmativa interrogatio, ut jam sæpè vidimus.

Jejunium hypocriticum non fit Deo.

Vers.

Vers. 6.] Quid igitur necesse est respondere de jejunio vestro, scitis ipsi, quid facto opus sit, si in vos saltem descenditis, aut legem meam consulitis. Si enim jejunare pergitis, ut hactenus, nolo vestrum jejunium, quippe hypocriticum, quod factum vobis, non mihi, nempe propterea institutum, ut aut religiosi videremini, aut ut sumptibus parceretis: si verò mihi jejunasse tis, scitis jampridem, quid ego velim observari, & quale cupiam jejunium instituí, nempe illud, in quo à peccatis, quibus estis dediti, avaritia, luxuriaq; abstineatis, quemadmodum longè antè vobis ex meo decreto proclamavit Esaias c. 58. v. 3. 4. nimirum sine pietate interna nulla mihi placent opera externa. Facilè igitur hanc conjecturâ potestis capere, qualẽ mihi in vestro jejunio exhibueritis cultum, *Nam quum comeditis, aut quum bibitis*, jejunio vestro absoluto *nonne vos comeditis & vos bibitis* vobis tãtùm & vestro cõmodo, saltem id spectatis, nõ quomodo mihi obsequamini, sed tantùm quomodo vestro morẽgeratis animo. Ita certè, ô Judæi dolosi, quia contrà affirmativã responsionẽ talis negativa interrogatio importat. Sic igitur vobiscum colligite: Esca nos non commendat Deo, neq; enim, si edamus, amplius in pietate habemus, neq; si non edamus, minus in eadem possumus 1. Corinth. 8, 8. si autem esca non commendat Deo, neq; jejunium per se commendabit, siquidem utrumq; est ἀδιάφορον, & corporalis exercitatio ad pauca utilis est 1. Tim. 4, 8. & quamvis, si rectè usurpetur, illa externa vitæ austeritas, aliquem usu habeat, tamen nullo modo cum pietate interna est conferenda, quippe quæ habet promissionem præsentis & futuræ vitæ. Frustra igitur me colitis observantes doctrinas & mandata hominum Esa. 29, 13, Matth. 15, 8. 9. & sanè

Esca non commendat Deo.

& sanè bellè aboletis mandatum Dei, ut traditionem vestram servetis Marc. 7, 9.

Mandata hominum servantes Dei violatis.

Vers. 7.] Quid, malùm, multum quæritis de talibus jejunijs, quibus vos frustra affligitis, potius de illis sitis solliciti, quæ in lege sunt severè mandata, quæq; vos securè negligitis! non est hæc nova mea querela, sed jam olim per prophetas cœpta, vos majorum traditionibus occupatos nimium legem Dei, quantum in vobis est, abolere, ac nefariè violare. *Nonne* tandem aliquando ad saniorem mentem redibitis, mihiq, auscultantes facietis *secundum verba illa, quæ proclamavit* sup. 1, 4. non in angulo clàm insusurravit, sed propalavit magnâ cum contentione & assiduitate *per manum* Hag. 1, 1. omnium *prophetarum piorum*, etiam tum temporis sæpè, quum nondum malum à Deo denunciatum evenisset vestris majoribus, ut futurum exitium caverent, longè antè amicè præmonens quàm pœnæ ingruerent, *quum erat adhuc urbs Jerosolyma* in flore ac vigore suo, *desès ac tranquilla* ab hostibus nondum valde afflicta, oppressa, occupata, imò quum adhuc *civitates* vicinæ minores *circumstantes eam*, sui juris erant, & nondum in hostium manus devenerant, *quum etiam australem locum & humilem regionem* etiam sine muris, arcibus ac munitionibus populus *inhabitabat*, nempe ante captivitatem Babylonicam, quum stabat regnum Judæ, cujus possessio in his terræ sanctæ plagis versabatur maximè ut Jos. 15. cap. legere est. Cum hoc autem loco confer ea, quæ dicta sunt Amos 6, 14. Obadj. v. 19. & quid h. l. per נֶגֶב & שְׁפֵלָה notare voluerit propheta, benè scies. Quemadmodum vero illi majores vestri non auscultarunt benè monenti ac præcipienti Jehovæ, sed ab eo, cum erant planè obstinati, gravi-

gràviter ſunt puniti, ſic etiam vos, niſi reſipueritis, mandatis Dei ex animo parueritis, ac nugas humanas reliqueritis, ſimiles pœnæ vel etiam graviores manent.

Verſ. 8.] Ne verò jam quererent Judæi, quænam ſunt illa DEî mandata, quæ non ſervamus, quænam fuit illa noſtrorum majorum pervicacia, quænam illis fuit immiſsa pœna; omnia tria diſertè ex mandato DEi ſubîjciuntur à Propheta, præcepta Dei ſervanda v. 9. & 10. obſtinatio patrum non imitanda v. 11. & 12. & pœna ſubeunda v. 13. 14. quibus omnibus, ex inſtinctu divino hæc proloqui Zachariam, præponitur, idq; authoritatis gratia, ut ſciant auditores, nil eum ex ſuo fingere cerebro, ſed òmnia ex DEi proferre arbitrio. Sic enim *fuit verbum Jehovæ ad Zachariam, ut diceret*, & populo more Prophetarum priorum proclamaret, ſuam quoq; vocem attollens ut buccina Eſ. 58, 1.

Verſ. 9.] Quid verò dixit Deus prophetæ, & quidnam is retulit ad populum? hoc ſcilicet: *Sic loquutus eſt Jehova* Dominus *Exercituum edicendo*, etjam nunc repetens, ut olim curavit divulganda ſua mandata, cùm primæ, tum ſecundæ tabulæ: ex hac autem hîc quædam diſertè ſubîjcit, quia illa ſunt notiora. Deus enim non colitur externis ceremonijs, ſed ſerio cordis motu, non corporis ſponte ſuſceptis & hypocriticè toleratis afflictionibus, ſed veris veræ fidei effectis, qualia ſunt hæc, quæ jam pro temporis ratione & re natâ inculcari voluit, nempe vos qui eſtis in politico magiſtratu conſtituti, Deiq; vicarij facti *jus veritatis* ſine ulla προσωπολημψία & δωροφαγία *dicite* Deut. 1, 16. 17. Exod. 18. 21. Pſal. 82. vide plura in hanc ſententiam ſupra aliquoties allata Amos 5, 7. & 6, 12. Mich. 3, 1. 9. 11. Saph. 3, 3. vos verò de vulgo, & qui eſtis ſubditi, imò omnes omnino qui vultis opus

Dei mandata.

ad magiſtratum.

& ſubditos.

pus Deo gratum præstare, *benignitatem*, quævis Charitatis officia in proximum conferte, & non ex hypocrisi Matth. 6, 1. sed ita ut *misericordiam exerceatis alter in alterum*, memores quod sitis fratres, συμπαθείαν christianam declarate, quibuscunq; rebus potestis, & ex intimo cordis affectu diligite, id quod nomen hebræum רַחֲמִים sup. C. 1. 16. Amos 1, 11. Habac. 3, 1. explicatum indicat. Hæc est ἕξις, & quid Deus ab illis fieri velit, ubi ex tribus charitatis non fucatæ speciebus reliqua bona opera colligenda relinquuntur: sequitur ἄρσις, quid Deus nolit.

רַחֲמִים

Vers. 10] Contrà *viduam aut pupillum, peregrinum aut pauperem*, qui maximè omnium, eò quod non sint ipsis vindices, injurijs aliorum sunt expositi, *ne* vi *opprimitote* per fraudem, injuriam aut violentiam eorum bona rapientes ac usurpantes, quæ est verbi hebræi עָשַׁק ἔμφασις, quam satis benè exprimit græcus interpres, μὴ καταδυναστεύητε. Confer Levit. 5, 21. 23. & 19, 13. Deut. 24, 14. Ezech. 18, 18. & 22, 7. 12. 29. Amos 3, 9. & 4. 1. Mich. 2, 2. *imò malum alterius ne cogitate* quidem cum *animo vestro*, ut aut vos alijs id inferatis, aut ab alijs vobis illatum ne memineritis quidem Eph. 4, 26. Si autem malum non est cogitandum, quantò minus faciendum! Atq; hæc est Dei sententia de illis, quæ cupit à pijs exerceri, quænam autem est hominum obedientia? ea scilicet, quæ majorum refractariorum, quorum exemplum nunc adducitur. Id tamen hîc notandum priùs, illas virtutes enumeratas hîc potissimum exigi, quia contra illas maximè tùm temporis in populo Judaico peccabatur Nehem. 5, 3. 4. quando hoc à propheta illi proponebatur

עָשַׁק

Malum ne cogitate.

[N. B.

Vers. 11] Sic autem nunc pergit Propheta in persona Dei; quando igitur per prophetas priores v, 7. hæc pietatis docu-

documenta v. 9. & 10. enumerata curabam majoribus vestris proclamanda, tantum abfuit, ut libenter illa auribus acciperent, in animos demitterent, vitâq; & factis (quod illos decuit) exprimerent, ut nequidem ad ea attenderint, id quod per climacen satis elegantem, cujus sunt quatuor gradus, manifestum verbi divini contemtum declarantes, depingitur. Ipsorum enim fuerat me dicente, auscultare, *sed primum renuerunt attendere* (id quod supra c. 1, 4. 5. etiam illis est exprobratum) imò secundò, quod atrocius scelus est, quando jugum legis & onus crucis illis eram impositurus Psal. 2, 3. Act 15, 10. Matth. 11, 28. 29, 30. Thren. 3, 27. 28. 29. ut velut indomitos boves cicurarem, illi excusso omni meo imperio *præbuerunt* mihi *humerum refractarium*, abeuntes terga mihi obverterunt, meamq; disciplinam suscipere noluerunt, metaphorâ ab illis bajulis ductâ, qui non libenter onus impositum suscipiunt, & proinde humerum, quo ferre illud debebant, subducunt & illud recusant atq; abijciunt, sicut & feroces tauri jugum solent excutere. Conferr Nehem. 9, 29. & Sophon. 3, 9. ubi contrarium declaratum invenies. Tertiò, quandoeos revocabam in verbo meo ab hac pervicaciâ velut aspis surda obthurabant *aures suas* Ps. 58, 5. imò eas velut pondere superimposito obstruebant, & *aggravabant, ne* ullo modo *audirent* hebr. יַכְבִּידוּ, quem modum loquendi pluribus explicatum vide Jon. 4, 3. aggravari verò propriè id dicitur, quod pondere magno superurgetur, impeditur ac tenetur; impropriè verò & per insignem metaphoram aggravari dicuntur aures, quando ad verba dicentis non patent, cor, quando non obtemperat benè monenti, quia utrobiq; per peccata gravia Gen. 18, 20. Ps. 38, 5. Es. 24, 20. velut pondera magna via præcluditur, & ipsa membra

Climax.

Præbere humerum refractarium.

Aures aggravare.

deprimuntur. De Phrasi ipsa consule hæc loca Exod. 7, 14. & 8, 11. Es. 6, 10. & 59. 1.

Vers. 11] Quartò secuta est hinc obstinata mens & inveterata corrigiq; nescia peccandi consuetudo seu induratio. Nam ipsi pro sua malitia *cor suum disposuerunt, ut lapidem perdiuturnum* qualis est adamas, qui alia omnia facile frangit, ipse non facile confringitur, unde etiam apud græcos, quod sit indomitus, ab *α* & *δαμάω* nomen habet, ab hebræis שָׁמִיר à R. שָׁמַר id est, custodivit & conservavit nomine generali & speciei certæ applicato dicitur hîc & Jer. 17, 1. & Ez. 3, 9. vide item Jun. in locum Jer. adductum, & quod ad rem ipsam confer etiam Ezech. 11, 19. & 36, 26. ita autem suum cor ipsi in modum lapidis obdurarunt, *ne audirent legem ipsam, & verba quæ mittebat Jehova* Dominus *Exercituum Spiritu suo* sancto, qui præest ministerio verbi, & per illud mundum de peccatis arguit Joh. 16, 8. dicenda per *prophetas illos priores* non gregarios & vulgares quosdam ministros, sed selectissimos, qui non nova afferebant, sed legis jam pridem latæ erant explanatores âtq; interpretes. Verùm proh dolor, sicut adamas seu lapis non facilè cedit malleo ferreo, sic nec isti malleo legis Jerr. 23, 29. & frustra illa omnia Deus illis molliendis data adhibuit remedia, siquidem impœnitentes semper permansere, donec tandem miserè perirent per Dei justitiam, qui salvari nolebant per oblatam ab ipso gratiam. siquidem ex isto maximo verbi sui contemptu factum est, ut in iram justissimam exarserit, quoniam quum contumacia populi esset ingens *inde fuit fervor* hebr. קֶצֶף sup. 1, 2. iræ *magnus* à *Jehova* Domino *Exercituum*, ut supra quoq; c. 1, 6. dictum est. De adamante quæ dixi, ferè omnes veteres Theologi ac interpretes habent: sed tamen hodie:

Adamas potest frãgi & sculpi.

hodiè aliter sentiunt Philosophi & alij docti. videndi autem sunt hac de re Conimbricenses in appendice problemat. sect. tractationis de 4. elementis sub finem explic. lib. Arist. de Cœlo pag. 548. Illud liquet, adamantem, cum alia corpora ex facili cavet, nullo tamen, quantumlibet duro, cavari aut sulcari lineis posse, neq; expoliri aut sculpi, nisi suis ramentis aut alterius affrictu &c.

Vers. 13] Hæc autem pœna nunc porrò ita describitur, ut priori accusationi in gradatione fermè respondeat, estq; duplex, spiritualis rejectionis v. 13. corporalis exilij ac rejectionis v. 14. seu si mâlis tres gradus hîc positos evolvere, primum in suis precibus à Deo non sunt exauditi. 2. velut turbine sunt disjecti ac dispersi. 3. terra ipsa ita est afflicta ut pro desiderabili, qualis erat, facta sit vasta ac mutata in horrendum desertum, quomodo hîc ἄρσιν & θέσιν deprehendimus. Audiamus verò ipsum DEum ita intonantem. *Fuit enim* quando tandem redire ad me aversi noluerunt, *quemadmodum clamantem illum* sup. v. 7. meum spiritum per prophetas *non audiverunt* Jer. 25, 4. 2. Chron. 36, 15. *ut ita* justitiæ meæ regula sic exigente *clamantes ipsos* quoq; in afflictionibus *non audirem*, sed surdum agerem, *ait Jehova* Dominus *Exercituum*, quam juris severitatem ut rectè explices inspice præter alia plura, saltem hæc loca 1. Sam. 2, 30. Ps. 18, 27. 42. & 50, 16. & 109, 7. Job. 35, 8. 12. Prov. 1, 28. & 28, 9. Es. 1, 15. & 59, 2, & 56, 12. Joh. 9, 31.

Alia opposita climax.

Peccatores Deus non exaudit.

Vers. 14] Et quos misericordiâ collegeram, *eos turbine* velut *dissieci* Ps. 1, 2. Amos 1, 14. ac sufflavi *in omnes gentes, quas non noverant*, hoc est, maximè longinquas, inspice 2. Reg. 17, 6. 9. 13. 14. 15. & 25. cap. *& sic terra hæc sancta* delecta ac dilecta *desolabatur post eos destituta transeunte ac redeun-*

Transiens ac redites.

deunte, hoc est, omni viatore ac hominum consortio Ezech. 33, 28. & 35, 7 *ita disposuerunt* hostes Assyrij & Babylonij *terram illam desiderabilem*, quæ fluebat lacte & melle Exod. 3, 17. Ps. 87, 1. 2. *in desolationem* vastissimam Ps. 79, 1. 2. 3. Dan. 9, 2. 7. ubi se refert ad minas in lege propositas Levit. 26. Deut. 28. quas vide & cum hoc eventu confer.

LOCI COMMUNES.

Ex vers. 4.]

Deus distribuit sua dona ut vult.

Edicendo mihi] Cum omnes sacerdotes ac prophetæ rogantur, solus autem Zacharias divinitus de voluntate Dei hîc instruitur, discimus, non omnia omnibus, nec semper Deum dare dona, sed distribuere illa, prout vult 1. Cor. 12, 7. 11. Rom. 12, 3. Eph. 4, 7. quando autem Deus nos hodie etiamnum per instinctum quendam sanctum huc vel illuc vocat in verbi sui meditatione, statim sequamur vocantem Dominum, & non diu communicemus rem cum carne & sanguine Gal. 1, 16. Exemplum Apostolorum Matt. 4. & 9. imitati, nec ad alios respiciamus, sed quid nobis faciendum, piè perpendamus. Quando sentit verbi divini minister, hoc vitium esse jam taxandum, ne cogitet, amittes gratiam. Sic Professor Theologiæ. Deus enim edicit, cui si non obedis, væ tibi, si non evangelizas.

Sequamur DEi instinctū.

Ex versu 5.]

Sacerdotum peccata arguenda.

I. Alloquere sacerdotes] Etiam sacerdotes & verbi divini præcones, cum peccant, arguendi sunt, ita Moses Aaronem Exod. 32, 21. Samuel Eli 1. Sam. 2, 27. Paulus Petrum Gal. 2, 14. Christus omnes sacerdotes & scribas Matt. 6. & 23. reprehendit satis graviter. Vide etiam 1. Reg. 13, 21. Jerem. 1, 18. Mal. 2, 1.

II. Quum jejunatis Ceremoniæ externæ solæ sine interna cordis devotione non placent, sicut nec ullà sacrificia, quâ de re vide quæ dicta sunt Amos 5, 22. confer Psal. 50. 8. Es. 1, 12. & 66, 3. Jer. 6. 2. Hos. 6, 6. 1. Sam. 15, 22. adde Hag. 2, 12. L. C. 1. inprimis Es. 58, 3 4. Matt. 6, 16. Jer. 14, 12. consule, quæ de hypocritico agunt jejunio quod hîc reijcitur. De talibus enim valet illud, frustra me colunt mandatis hominum Matth. 15, 8. Eadem doctrina ex vers. 6. observanda est præter ea quæ suprà in explicatione textus sunt hîc allegata.

Externa opera sine fide Deo nõplacẽt.

Ex vers. 7.]

I. Secundum verba quæ proclamavit Jehova] Deus prædicit mala ventura, ut homines ea caveant Amos 3, 6. 7. quomodo igitur vellet absolutè eorum interitum, quos tam studiosè monet, ut illum piè vivendo evitent? 2. Petr. 3, 9.

Prædicuntur mala ut caveãtur.

II. Quum populus habitaret] Ut regna firmat pietas sup. c. 1. v. 16. L. C. 2. & c. 2. v. 8. L. C. 3. sic eadem vastat impietas, ut sæpè jam antea fuit declaratum Joel 2, 3. & 3, 4. Amos 1, 3. & 2, 1. & 3. 15. & 4. 10. 11. & 5, 2. & 9, 1. Obadi. vers. 4.

Regna firmat pietas,

Ex vers. 8.]

Fuit verbum Jehovæ ut diceret] Quæcunq; Deus loquitur, per ejus ministros ad populum sunt referenda 1. Reg. 22, 14. & ipsis, si suo probè volunt fungi munere, nihil est supprimendum eorum, quæ auditoribus conducunt, quo minus ea annuncient & doceant eos publicè ac domatim. Act. 20, 27. ut sint puri à sanguine omnium ib. v. 26. Confer Ezech. 3, 2. & 33, 6.

Verba Dei referenda sunt ad populum.

Ex

Ex vers. 9.]

Dei verbũ sequendũ.

Jus veritatis dicite] Deus opera moralia in lege præscripta maximè requirit sic semper loquens, ne addite ad verbum illud, quod ego præcipio vobis, neq; detrahite de eo, ut servetis præcepta Jehovæ Dei vestri, quæ ego præcipio vobis Deut. 4, 2. & 12, 32. Contrà si fit, sic ait, væ vobis hypocritæ, qui percolatis culicem & camelum deglutitis, quæ sunt graviora legis, videlicet judicium, misericordiam & fidem omittitis Matt. 23, 23, 24. & sermonem Dei traditione vestra irritum facitis Marc. 7, 13. Ea igitur demum verè sunt bona opera, quæ ex Dei mandato in fide fiunt ad DEi honorem & proximi utilitatem. Si quis enim dicit, DiligoDEum & fratrem suum odit, mendax est 1. Johan. 4, 20. 21.

Non traditiones humanæ.

Ex vers. 10.]

Dilige proximum.

I. Viduam & pupillum ne opprimitote] Fons omnium virtutum secundæ decalogi tabulæ est, Diliges proximum tuum sicut teipsum Matth. 22, 39. Levit. 19, 18. Rom. 13, 8. Gal. 5, 14.

II. Ex hoc & præcedenti versu utilissimam juxtà ac necessariam commonefactionem, quæ ad omnes fideles verbi ministros maximè spectat, & omnium minimè à nonnullis hodiè observatur, desumamus, illam scilicet, omnia ad ædificationem Ecclesiæ dirigenda esse 1. Cor. 14, 1. & proinde pro re nata illas virtutes maximè inculcandas esse, quæ pro tempore frigent, ut h. l. v. 9. & illa vitia acerrimè sunt exagitanda, quæ plurimum vigent, ut hoc v. 10. facit Zacharias, quemapmodum etiam prophetas Christum & Apostolos fecisse legimus. Contrà verò hodiè potius audias debacchari multos frustra jn hæreses jampridem abolitas, in absentes

Pro re natâ docendus populus.

invehi

invehi aut demortuos, vivorum autem & præsentium vitam rarò emendari. Cui enim bono, si quis apud germanos, præcipuè laicos, qui nunquam sub sole alio calentes regiones viderunt, Italorum superstitiones, Gallorum luxuriam, Belgarum nimiam habendi cupiditatem, Moscovitarum crudelitatem (quæ in multis eorum regnare dicitur) exagitet, & suorum auditorum ulcera tangere non audeat? ô revera (qui tales sunt) foris lynces, domi talpæ! qui germanos docere debebant utilia, & corrigere auditorum suorum vitia.

Ex vers. 11.]

I. Sed renuerunt attendere] Sunt certi impietatis gradus, & ex uno peccato facilè in alterum quis delabitur, ut multis exemplis planè desperatorum potest probari. Nam nemo repente fuit turpissimus, ut Poeta inquit. Vide Saulem regem à Cap. 15. prioris libri Samuelis usq; ad finem. *Impietatis gradus.*

II. Omnis nequitiæ & miseriæ fons ac origo est, Dei verbo non obedire. Absq; hac face & luce enim qui ambulat, offendit; sine ullo cibo, qui est, esurit; absq; illo spirituali gladio qui est, inermis cadit; absq; illo igne qui est, frigescit; absq; illo rore & pluvia qui est, exarescit, qua de re aliàs pluribus. *Verbi Dei efficacia.*

Ex vers. 12.]

I. Posuerunt cor uti lapidem] Adamas (ex opinione aliorum loquor) solo sanguine hirci, qui est animal libidinosm, mollescit: sic impij sola sua libidine frangi & domari possunt, ad alia autem, in primis autem ad verbi divini malleum diu sunt immoti. Vide Cainum, Pharaonem, Herodem. Eadem tamen doctrina ex ijs, quæ supra veriùs sunt allata, *Impius suis vitijs perit.*

educi potest, quod suis ramentis teratur adamas, & suis peccatis pereat impius.

Nil extra id quod dixerunt Prophetæ.

II. Per prophetas priores] Quando hodiè pro concione arguuntur peccatores, nil aliud per fidos verbi divini ministros dicitur, quàm quod olim prophetæ, Christus etiam & Apostoli inculcarunt, id quod per inductionem omnium peccatorum decalogi facilè poteris probare saltem ex libellis Catecheticis & Dn. Chem. ubi agit de Lege.

Deus Zelotes.

III. Unde fervor] Deus est fortis Zelotes, visitans iniquitatem Exod. 20, 5. huc illa, quæ de DEI Justitia agunt.

Ex vers. 13.]

Pœnæ majorum.

Fuit, quemadmodum non audiverunt] Pœnæ majorum sunt posteris exemplum 1. Cor. 10, 6. 11. Ps. 78. 4. 5.

Deus impios non audit.

II. Ut non audirent, sic non audirem] Preces improborum Deus non exaudit Deut. 1, 45. & 31, 18. 1. Sam. 8, 18. Prov. 15, 29, & 21, 13. Es. 1, 15. Jer. 7, 16. & 11, 11, 14. Ezech. 8, 18. Mich. 3, 4. Hebr. 12, 17. Jacob. 4, 3.

Ex vers. 14.]

Vastitas ex impietate.

Terra desolaretur] Propter verbi divini contemptum, aliaq; peccata regnantia sequitur civitatum et regnorum vastitas Matt. 11, 21. 23. et 23, 34. 35. 38. Confer caput 2. et 3. Apocal. et eventum illorum vaticiniorum considera. Adde quæ suprà sunt dicta. v. 7. L. C. 2.

CAPUT OCTAVUM.

Argumentum.

Summa.

PRæsentem felicitatem Judæorum et futuram prosperitatem, quæ à DEo placato urbi Jerosolymorum, ejusq; incolis et jam præstatur, et postea præstabitur, exag-

exaggerãs propheta, ad vera pietatis opera ab illis viciſſim exercenda graviter hortatur etiam per antitheſin præteriti temporis infelicitate demonſtratâ. Poſtea abolens jejunium imperat gaudium ob hominum in N. T. ad Dei cultum futurum confluxum, et primo quidem ad ipſum hoc templum, quod iam ædificant, in quo ut ſtrenuè pergant, hoc quoq; modo animantur, deindè verò ad Eccleſiam N. T. cujus Judæi et Jeroſolymitani inprimis velut radix et pars quædam magna futuri erant. Sic enim habendum revera de toto hoc Capite (id quod Ribera hîc multis declarat in veſtibulo) quod quæ promittantur hîc Jeroſolymæ, quoad præcipuum et ultimum complementum, maximam partem promittantur N. T. Eccleſiæ, non tantùm, quia illa hujus fuit typus, ſed potiſsimùm, quia ejus radix et pars non ignobilis. Ex Sion enim prodijt doctrina illa Evangelij Eſa. 2. Mich. 4. et ex Judæis ſalus eſt Johan. 4, 22. Vide plura Rom. 11, v. 15. 16. 17. 18.

Quæ hîc promittuntur Jeroſolymæ pertinent ad N. T. Eccleſiam.

Partes hujus Capitis poſſunt conſtitui tres I. declarat, quid Deus Eccleſiæ ſuæ & hactenus per aliquot annos fecerit, & adhuc faciat, nempe quam urbem demoliendam curaverat, ei reſtaurationem felicem conceſsit, & porrò promittit, ſe ejus civibus ſua affuturum gratiâ uſq; ad v. 16. II. oſtendit, quid viciſsim ipſis ſit faciendum, nempe vera pietas colenda ver. 16. 17. non jejunia obſervanda v. 18. 19. III. Vaticinium de univerſali vocatione & adunatione gentium ad Eccleſiam continet v. 20. Nos caput hoc dividemus etiam in partes tres, Earum primâ enarratur, quæ ſit Dei erga populum Judaicum benevolentia, v. 1. &c. Secundâ explicatur, quæ eſſe debeat populi erga Deum obedientia v. 16. 17. Tertiâ datur ſpecialis ad ſupra propoſitam quæſtionem re-

Analyſis Partes tres.
I.
2.
3.

Alia. Partes tres.
I.
2.
3.

Dei beneficia

Primæ partis duo membra.

1.

2.

sponsio, in qua exaggeratur futura Ecclesiæ excellentia v. 18. Primæ partis membra, præter Exordium generale & usitatum v. 1. sunt duo, unum Dei in suos affectus & præsentia, declarata tum per præcedentium temporum v. 2. tùm præsentis status & felicitatis exaggerationem v. 3. alterum illius effectus & maxima commoda, tam in futurum, quàm præsens. In futurum quidem ita ut alia in eos, qui jam sunt in Judæa, redundent, quibus promittitur vitæ longævitas v. 4. & populi frequentia v. 5. idq; ne ἐκ τῶν ἀδυνάτων esse videatur, Judæorum impotentiæ opponitur Dei omnipotentia v. 6. alios eos, qui extra eam adhucdum degunt, beent, quos Deus se servaturum ac reducturum spondet v. 7. & 8. In præsens v. dum strenuè ædificantibus templum v. 9. felicem pollicetur successum, eumq; per ἀντίθεσιν triplicem præcedentis infelicitatis illustrat, penuriam ac bellum v. 10. cum omnium rerum copia ac tranquillitate v. 11. 12. maledictionem cum benedictione v. 13. mala, quibus prius eos & majores afflixerat v. 14. cum bonis, quibus ipsos rursus affecturus est v. 15. componens. Et hactenus à Deo præstita beneficia: Jam in secunda parte à populo debita officia nempe veritas v. 16. & charitas v. 17. In tertiâ parte responsio ad quæstionem sùp. c. 7. v. 3. motam, tanquam hypothesis ad superioris capitis θεσιν accommodatur etiam per ντίνθεσιν, ubi ἄρσις, non esse jejunandum, & θέσις, sed ex decreto Dei v. 18. lætandum v. 19. Hujus autem lætitiæ adjicitur quædam amplificatio à promissionibus Evangelicis de regno Christi ex Judæis ac gentibus adunando, desumpta potissimùm à numero & studio populorum se ad Ecclesiæ gremium recipientium v. 20. 21. 22. 23.

II. Populi officia.

III. Ad quæstionẽ responsio.

PARS

PARS PRIMA.

Verſ. 1.] Quia, quæ dicturus erat propheta, hominum illorum, quibus ea proloquebatur fidem excedebant, ferè ad ſingula Dei nomen & verbum inculcat, ut ita ſuæ concioni autoritas concilietur in tantâ rerum perturbatione, & tam triſti populi vaſtitate, ſiquidem non facilè homines in miſerijs conſtituti vocem Dei audiunt, ut patet exemplo Iſraelitarum à Pharaone preſſorum Exod. 6, 9. Sic verò incipit, *Deinde fuit verbum Jehovæ Domini Exercituum dicendo.*

Cur toties nomẽ Dei hîc repetatur.

Verſ. 2.] *Sic ait Jehova* Dominus *exercituum*, & jubet, ut primô omnium, quæ deinceps ſecutura ſunt ac commemorabuntur, fundamentum unicum exponam, quod eſt ſola Dei in ſuos miſericordia & Zelotypia ex gratuito fœdere aſſerens & vindicans ſuam Eccleſiam. Hæc autem eſt ſententia Dei, quam per me voluit exponi, cum eſſet Eccleſia Judæorum ob majorum ſuorum peccata, (de quibus, ſicut etiam de eorum pœnis, in Capite præcedenti) in exilium ejecta, ego Deus ipſorum, qui illam mihi deſponſavi in veritate, juſtitia ac fide, in ira tandem miſericordiæ meæ memor *zelotypus fui pro Sione* (id enim omninò notat hebræa conſtructio קִנֵּאתִי לְצִיּוֹן, quæ in bonam partem ex ſcripturæ uſu commodiore accipiendum eſſe [Pſ. 106, 16. in malam partem ſumitur] illud verbum μέσον demonſtrat, ut pluribus declaratum eſt Joel. 2, 18.) *zelotypia magnâ*, quâ populi Judaici, (is enim in ſacris literis ſæpè Sionis nomine intelligitur) miſertus, ferre amplius non potui, ut ille, qui erat meũ peculium, ab hoſtibus ulterius ita opprimeretur, ſed quemadmodum probus maritus nil quicquam poteſt ferre, quod in ſuæ conjugis cedat injuriam aut ignominiam, ita & ipſe excan-

Fundamẽtum promiſſionũ.

Dei miſericordia.

קִנָּה *cum* ל *eſt* μέσον.

Zelotypia.

excandescentiâ magnâ zelotypus fui pro ipsâ, dum omnia procurarem, quæ ad liberationem ejus ac reductionem spectarent. Ad vehementiam autem & magnitudinem hujus Zeli divini innuendam non tantùm constructio illa adhibetur, quâ nomen conjugatum emphasis causa verbo suo subjungitur Buxt. thes. lib. 2. c. 12. reg. 6. verum etiam Synonymo significantiore prius exponitur ἐξηγητικῶς.

Deus est reversus ad Sionem.

Vers. 3.] *Sic* itaq; *ait* porrò *Jehova* qui antea in exilio iratus recessisse videbar (vide Ps. 74. & 80. & 85.) nunc placatus reipsa probo, *quod reversus sim ad Sionem,* ejusq; incolas meâ complectar benevolentiâ, & quod *habitem in medio Jerosolymorum* ut omnibus veris civibus ejus æquè prosim, ac quemadmodum cor in meditullio corporis omnes ejus partes ac membra animat, sic ego quoq; adsum & benedico corporis hujus mystici seu Ecclesiæ membris, unde Ecclesia ipsa magnâ, hoc versu, & politia celebris evadit v. 4. ut mons Sion sit doctrinæ cælestis sedes ac schola, & sit ac rectè *vocetur urbs Jerosolymorum civitas veritatis, & mons Jehovæ* Domini *Exercituum* jure optimo dicatur *mons sanctitatis,* in quâ Deus veritatem verbi sui vevelat, & ut antea in minis, dum exulabat, ita nunc maximè, dum sunt reducti, in promissionibus eandem exhibet ac præstat, & porro in eadem per ministerium verbi est efficax, dum eam sanctificat Joh. 17, 17. quomodo obliquè innuit, cur illos priùs reliquerit & ab illis in irâ discesserit, nempe quod mendacijs ac omnis generis injustitiâ se polluissent, urbemq; sanctam turpiter prophanassent, ut suprà disertè ipsis majoribusq; ipsorum objecit propheta.

Cur Deus eam reliquerit.

Obj Hæc urbs brevi evertetur.

Vers. 4.] Verum enimvero objicere hîc caro poterat, quid nos multum fatigamus incassum laborando? Esto,

ædifi-

ædificemus jam urbem ac templum, quamdiu autem hæc durabunt? sine dubio, quæ est hostium in nos malevolentia & potentia subitò omnia rursus evertentur. Illi objectioni jam occurrit propheta, et urbis recens exstructæ statum diu tranquillum fore pollicetur, eumq; à signis describit, opponunturq; hæc ijs, quæ à Deo irato regioni solent immitti Esa. 3, v. 1. 2, 3. 4. 5. 25. 26. 27. & quæ in bellis solent accidere, siquidem tum civitates desolatæ habitatorum destituuntur frequentia, & juvenes immatura morte prærepti cadunt ante diem. Id tamen inprimis hîc notandum, quod ad promissionis sensum, ejusq; complemenrum spectat, licet hæc in quibusdam, tum ijs, qui tum temporis vivebant, ut Zerubbabele, Esdra, Nehemia, Jehosua & alijs, tum ijs, qui postea quoq; in Ecclesia vixerunt, temporaliter seu corporaliter sint impleta, quando in multos annos erant superstites, tamen potissimum de spirituali gratia, quæ in Christi regno obtingit, hæc intelligenda esse, secundum subjectam materiam, prout solet fieri in jis, quæ in scriptura enunciantur composirè, præcipuè verò apud prophetas, quando de felicitate N. T. vaticinantur, ubi pleraq; sub typo rerum corporaliũ adumbrant, quætamen revera sunt spiritualia, quod ad suum potissimum complementum, vide Joel. 3, 18. Amos 9, 13. 14. 15. Hobadj. v. 19. 20. Mich. 4, 1. 3. 4. ut sit sensus, quando Ecclesiæ hæc est externa facies, ut homines in quiete vivant, in utroq; sexu multi ad grandem senectam perveniunt, & magna juniorum est frequentia, cogitandum est de pace animarum cum Deo, de vitâ æternâ, de profectu in cognitione Dei, de morum castitate, quod multi sint in eâ sapientiâ spirituali senes, malitiâ autem pueri, quandoquidem sub illo typo hæc omnia anagogicè demonstran-

R. diu erit trãquilla.

Complementum sũmũ pertinet ad regnum Christi.

Anagoge.

ſtrantur. Sed his præmiſsis redeamus ad ipſum textum, quî ità habet: *Sic ait Jehova*, Dominus *Exercituum*, non eſt quod metuatis, ut bona hæc, quibus jam fruimini, ſint propria, aut ſtabilia, promitto & præſtabo, quæ dicam, *adhuc ſedebunt ſenes & anus in plateis Jeroſolymorum, habens quiſq; ſcipionem ſuum in manu ſua præ multitudine dierum.*

Verſ. 5.] *Et plateæ civitatis replebuntur pueris & puellis ludentibus in plateis ejus*, quæ omnia ſunt certiſsima τεκμήρια pacis, & tranquillitatem ac proſperitatem civitatis lociq; ſalubritatem (de quibus vos jam dubitatis, num ſint vobis eventura) indicant.

Obj. Hoſtes ſunt potentes.

Verſ. 6.] Sed novi, quæ ſint veſtræ ſuper hanc promiſſionem cogitationes, nempe iſtæ, potentiſsimi ſunt noſtri hoſtes Babylonij, & alij, qui nunquam paſſuri ſunt, ut in quiete hanc urbem poſsideamus, nos verò ſumus omnium maximè imbelles, & minus potentes, videtur itaq; ἐκ πῶν ἀδυνάτων, futurum, ut ad iſtam, quæ nobis promittitur, amplitudinem perveniamus. Hæc eſt fidei remora, quod meas omnipotentis Dei promiſsiones ad humanæ rationis veſtræ calculum revocetis, & hinc diffiditis propter exiguitatem veſtram, quam ex præſenti rerum ſtatu nimis anxiè metimini, ſed audite quæſo, *Sic ait Jehova* Dominus *Exercituum, quia hoc*, quod dixi futurum, adeò *mirabile* vobis videtur, ut id impoſsibile plane eſſe cenſeatis, & quia hoc abſurdum eſt *in oculis reliquiarum populi hujus diebus his*, ubi ex paucitate veſtra & impotentia æſtimatis rei complementum, *an etiam in oculis meis mirabile eſſet*, ut neſcirem rationem, quâ, quæ dixi, præſtarem? *dictum Jehovæ Domini Exercituum*, nequaquam, quam reſponſionem talis interrogatio apud hebræos importat.

R.

Deus novit modũ præſtandi promiſſũ.

Verſ.

Vers. 7.] Hactenus audistis, quid opponendum sit vestræ impotentiæ, nunc subjiciam, quid reponendum sit ad alterum scandalum, nempe quod pauci sitis, & præterea adhuc multi per gentes varias ex vobis dispersi, cui titubanti reliquiarum fidei gratiosè Deus vester ita prospiciam. *Sic ait Jehova* Dominus *Exercituum*: *Ecce*, cum vos aut alia creatura hîc nihil positis, *ego* creator ac Dominus rerum omnium ipse *servaturus sum populum meum* Psal. 126, 1. 2. 3. & 107, 3. ex omnibus terræ extremitatibus, quò eum depuli, cum ipsum in quatuor ventos cælorum dispersi sup. c. 2, 10. *è terra orientis, & è terra occasus solis.*

Obj. sumus pauci.

R. Deus servabit.

Vers. 8.] *Et reducturus sum eos, ut habitent Jerosolymis*, qui inter gentes erant in exilio, *eruntq; mihi deinceps populus*, & ego *ero eis Deus in veritate ac justitia*, singulari favore eos tuebor, propulsabo injurias, & ornabo ipsos beneficijs, in veritate quidem, implendo promissiones meis cultoribus factas, & minas contra hostes prolatas, justitia verò in præmijs piorum cœtui tribuendis, & pœnis impiorum cohorti inferendis.

& reducet.

Vers. 9.] *Sic* igitur *ait Jehova* Dominus *Exercituum*, Cum hæc ita sint, nihilq; vos deficiat, si modo vos ipsi vobis deesse non velitis, agite, quia ego promitto felicem successum, rem strenuè aggredimini, *confirmantor manus vestræ qui audistis diebus his verba ista mea ex ore prophetarum ipsorum* Haggæi & Zachariæ Esdr. 5, 2. quorum fides jam spectata est, atq; explorata antecedentibus prophetijs, & eventis illarum, nempe eo *die, quo fundata est domus Jehovæ* Domini *Exercituum*, quorum summa erat, *templum* hoc Jehovæ *ædificandum* fuisse, in ejus exstructione sedulò pergendum

dum fuisse, cùm tamen plerorumq; manus nihilominus erant valdè segnes.

Vers. 10] Sed quo ipsorum cum commodo, nunc videbimus, & per antithesin enumerabimus mala, quæ antea immorigeri sunt perpessi, & bona, quibus nunc fruuntur obedientes *Nam ante dies hos*, quando nondum totis viribus incumbebatis in ædificationem templi Hagg. 1, 5. 6. 8. 9. & 2, 15. ex comminatione divina Ps. 128. 2. Deut. 28, 15. *merces hominis non efficiebatur, & merces jumenti nulla erat*, omnes labores vestri erant irriti, quoniam, quemadmodum non operabamini pro Domino, ita mercedem per prophetas promissam ipse non præstabat, sed & rerum omnium penuriâ domi afficiebamini, & foris ab hoste vexabamini, *nam exeunti ac venienti, nulla erat pax ab hoste.* si quis civitate vel egredi vel eam ingredi cuperet, itinera erant undiq; latronibus infesta, ut nemini tutò proficisci liceret, exteriùs vos affligebant horrida bella, interiùs seditiones & civilia dissidia, cum extra urbem & communionem vestram eratis, bellis ac rapinis finitimarum nationum premebamini, cùm domi intra mœnia vestra desidebatis mirè animis dissidebatis, *& committebam omnes homines* vestræ urbis *unum cum altero* juxta comminationis meæ tenorem Deut. 28, 16. 19. confer 2. Chron. 15, 5. hæc erat miserabilis illius temporis ac rerum facies, nunc autem mutatio facta est.

Exeũti ac venienti nulla pax.

Vers. 11] *Nunc* verò postquam in templi ædificationem incumbitis, *non sum ego* dominus Exercituum *ut diebus illis prioribus reliquijs populi hujus, dictum Jehovæ, domini Exercituum*, ubi est antithesis temporis, & fons hujus tam insignis mutationis, nam si cui Deus ipse benedicit, quis ipsi maledicat aut faciat? Num. 23, 8. 20. ubi notanda

da est rerum ipsarum oppositio, priùs bella, nunc pax: antea terræ sterilitas, nunc ubertas; olim omnia in vanum colligebantur, nec diu salvari poterant, nunc autem possidentur, Αντιθεσις

Vers. 12] Nam ut antea in tumultibus bellicis omnia tumultuariâ peragebantur operâ, agri vel planè inculti jacebant, vel cum erant consiti, ab hostibus vastabantur & frumentum enatum perdebatur, ita nunc in pace serent ac metent, *& sementis pacis est, vitis*, quam antea hostes depopulabantur, *jam edit* copiosè *fructum suum, & terra*, quæ priùs nil proferebat, *edit proventum suum, cœliq́*, qui priùs erant velut ænei, nunc *edunt rorem suum*, & quibus antea sua bona diripiebantur, *facio ut reliquiæ populi hujus possideant omnia ista* & diu prolibitu ijs fruantur, ex promissione mea Levit. 26, 46. Deu. 28, 8. 11. 12. Confer, Ps. 65, 10. & 67, 7. Joel. 2, 22. *Sementis pacis.*

Vers. 13] Et quid multis? plurima paucis ut complectar, *futurum est, ut, quemadmodum* ex ira Dei *fuistis maledictioni in gentibus, ô domus Jehudæ, & domus Jsraëlis*, quando miserè affligebamini, ita nunc ex omnibus miserijs vos eripiam atq́ beem, *servem vos &* ob favorem hunc Dei, qui omnis generis beneficijs vos ditabit, *sitis benedictioni*, & proinde *ne timetote, confirmantor manus vestræ* sup. v. 9. & inf. v. 15. hic enim est scopus, quô promissiones hæ tendunt, (confer Hagg. 2, 19.) quem ut tantò facilius attingat, promissionem repetit.

Vers. 14] *Sic enim ait Jehova Dominus Exercituum*, ne mala, quæ hactenus estis perpessi, putetis esse perpetua, audite hæc, *quemadmodum cogitavi* & decrevi *malo afficere vos* quoq́ posteros prava majorum vestrorum ve-

stigia insistentes, quum fervefecerunt me patres vestri, בְּקַצְּפָה, (de cujus emphasi sup. c. 1, 2. & 7, 12.) & suâ nequitiâ ad iram maximam provocarunt sup. 1, 2. 4. 5. & 7, 11. *ait Jehova dominus Exercituum, neq; pœnituit me*, neq; diffinxi infectumq; reddidi, quod semel constitueram, sed pœnas & captivitatem denunciatam induxi. Pœnitere enim Deum dicitur ἀνθρωποπαθῶς, quando, cùm illi, quibus aliquid conditionaliter prædixit, mutati sunt, ipse quoq; sententiam mutasse videtur, siquidem id facit, quod homines pœnitentes, ut cùm vel promissa bona non largitur, vel pœnas denunciatas revocat, illud, quia semper justus est & severus in corrigi nescios; hoc, quia misericors & gratiosus erga pœnitentes. propriè ergò Deum non pœnitet Num. 23, 23. 1. Sam. 15. 29. sed impropriè seu metaleptice ib. v. 11. & 35. Gen. 6, 6. vide Joel. 2, 13. Amos 7, 3. 6. Jon. 4, 2. quatenus illa facit, quæ homines, quos revera pœnitet. pulchrè Augustinus lib. 17. C. D. c. 7. quando legitur, quod Deum pœniteat, mutatio rerum significatur, immutabili manente præscientiâ divinâ.

Pœnitere quomodo Deum possit.

Propriè non pœnitet.

Vers. 15] Quemadmodum autem ratum fuit, quod minatus eram, ita non potest esse irritum, quod sum pollicitus, & ut tempore iræ vos ex justitiâ afflixi, *ita* nunc, dum est tempus gratiæ Ps. 102, 14. *conversus* ad vos, à quibus faciem meam averteram, *cogito diebus his bono afficere Jerosolymam & domum Jehudæ, ne timetote*, quod sæpe repetit, quia altè inhærebat pristinæ illius Dei in eos iræ memoria, cujus vestigia etiam tum extabant.

LOCI

LOCI COMMUNES.

Ex vers. 1.]

I. Deinde fuit] Jehova in medio Ecclesiæ suæ unoquoq; manè jus suum edit in lucem, non deest, sed nescit iniquus erubescere Soph. *3*, 5. ubi plura in hanc sententiã vide. (Es. 5. quid facere ultra debui? Confer Luc. *13*, 6. Amos 4, v. 6.) *Deus arguit peccata.*

II. Verbum Jehovæ dicendo] Quia Deus satis perspicuè de sua voluntate & ratione adipiscendæ salutis æternæ homines erudit, non delectatur absolutè eorum interitu, quod est contra Calvinianos notandum, nec scriptura est obscura aut ambigua, quod est contra pontificios observandum. vide quæ dicta sunt Habac. *2*, 2. *Verbum Dei perspicuum.*

Ex vers. 2.]

Zelotypus fui Sionis] Quo amore, certè majori quàm maritali, Deus prosequatur Ecclesiam, antea sæpè ex scripturæ locis parallelis vidimus Joel. *2*, 18. Nah. 3, *4*. Mich. 4, 6. sup. c. *1*, *14*. hinc adeò fit, ut in hostes ejus irâ exardescat, quia rem à se amatam injuriâ afficiunt. *Dei amor in Ecclesiam.*

Ex vers. 3.]

I. Habito in medio Jerosolymæ] Deus cum contritis & timentibus verbum ejus habitat, hoc est, suâ gratiâ præsens est tanquam in domicilio sibi grato Levit. 26, *11. 12.* Es. 57, *15*. Joh. 14, *23*. 1. Cor. *3*, *16*. & 6. *19*. *2*. Cor. *6*, *16*. Deut. 4, 7. Ps. 46, 6. Sup. *2*, 14. Ps. *113*, 4. *5*. 6. *Deus cum contritis habitat.*

II. Vocetur urbs Jerosolymæ civitas veritatis] Finis civitatum præcipuus est, ut pura de Deo doctrina in eis propagari & conservari possit, sicut poëta canit: *Civitatis finis, de Deo doceri,*

Caput Octavum

Utq; alios alij de relligione docerent,
Contiguas pietas jussit habere domos

Psal. 122, 3. 4. Sed hodie, proh dolor, quidam in magistratu politico constituti cum Achabo oderunt prophetas veraces 1. Reg. 22, 8. & proinde ex justo Dei judicio ad ipsos venit spiritus mendacij ibid. v. 22. vide 2. Thes. 2, 10. 11. 12. quemadmodum suprà aliquoties jam est declaratum. Non enim Deus Ecclesiæ suæ præsens adest, ut sceleribus illius patrocinetur, sed potiùs, ut ab omni scelere expurgatam sibi consecret, & civitatem veritatis faciat eos, qui priùs vitijs erant polluti Eph. 5, 25. 26. 27 licet hujus rei complementum ultimum in alteram vitam differatur. Frustra igitur Ecclesiæ titulo gloriantur, qui omnis generis flagitijs se inquinant. Sunt enim Ecclesiæ veræ quædam notæ, veritas seu doctrinæ puritas, & justitia seu sanctitas 1. Tim. 3, 15. Inspice etiam ea quæ allata sunt in L. C. 2. v. 17. c. 3. Joel.

qui si non auditur, venit diabolus.

Malis & impijs Deus non adest.

Ecclesia est mons.

II. Mons Jehovæ mons sanctitatis] Ecclesia est, velut mons, alta excelsaq; & cœlo propior quàm mundus, cujus rei typus fuit templum Salomonis, quod in monte erat ædificatum. Vide Mich. 4, 1. 2.

Ex vers. 4.]

Pietatis præmium.

Adhuc sedebunt] Pietas habet hujus & futuræ vitæ promissionem 1. Tim. 4, 8. & sæpè illius quoddam præmium est longævitas Exod. 20, 12. Ps. 128, 6. Exemplo est Pinehas & alij.

Ex versu 5.]

Multitudo hominū à Deo

I. Plateæ civitatis replebuntar pueris] Hinc coargui possunt illi, qui quando vident regionem aut urbem homi-

minum frequentiâ abundare, optant statim luem aut bellum, siquidem quæ ipsorum carnalis est prudentia, hac ratione optimè posse mundo consuli existimant, nescientes, quod Deus ex parvo plus superesse facit. Et si est Dei donum (ut hæc promissio indicat) quomodo quis potest sine scelere id abominari? qui eos homines creavit, etiam noverit, quomodo eosdem possit sustentare, qui nec aviculas aut vermiculos finit esurire.

qui eos potest alere.

II. Ad Ecclesiam autem hæc & præcedentia anagogicè ita licet accommodare, quod & illa semper habeat pueros ac puellas insimplicitate 1. Cor. *14*, 20. in confidentia ac humilitate Matth. *18*, 3. in castitate 2. Cor. *11*, 2. etiam senes & anus, hoc est perfectos ac sapientes, qui scipione verbi divini se sustinent. *1.* Cor. *14*, 20. Eph. 4, 13. Ps. *23*, 4.

Ecclesia habet pueros & puellas etiam senes & anus.

Ex vers. 7.]

An etiam mirabile hoc esset in oculis Jehovæ] Non exigamus illa, quæ promisit, ad nostræ rationis cæcæ arbitrium, quia, quid possit omnipotens, non potest cogitatione assequi homo impotens. Apud eum non est impossibile ullum verbum, hoc est, res ab ipso promissa in verbo. Luc. *1*, 37. Sic mirabile erat in oculis Mosis cibare carnibus populum Israeliticum, & tamen Deo hoc fuit facile. Num. *11*, 21. *22. 23.* Sara, quî ipsa possit jam natu grandior cum debili sene filium gignere, non capiebat: id tamen Deus efficiebat Gen. *18*, *11. 12.* 13. *14.* Sic Zacharias senior eundem errorem errabat, cui Deus tamen idem præstabat Luc. 1, 18. tribunus regis, qui in maxima annonæ caritate ac penuria possit subitò fieri maxima ejus vilitas ac copia, non intelligebat, & tamen à Deo hoc

Dei potentiam non intelligimus.

Exempla 1.

2.

3.

4.

hoc factum videbat 2. Reg. 7, 2. 17. quomodo Deus Jsraelis posset ex manu regis Assyriæ servare Jsraelem, Rabsake nesciebat, id tamen ex promisso ejusdem fiebat Esa. 36, 37. Cap. vide porrò & expende, quæ habet Jerem. c. 32, v. 17. 18. 19. 20. 27.

Ex vers. 7.]

Deus servat paucos.

I. Ego servaturus sum] Deus est servator omnium hominum, maximè fidelium 1. Tim. 4, 10.

II. Populum meum] propter paucitatem ne despondeamus animum, dummodo sumus Dei populus, servabimur Luc. 12, 32. nam multi vocati, pauci electi Matth. 20. 16. unde toties in prophetis fit mentio reliquarum, qua de re suprà aliquoties. quod a. hæc nequeant propriè de reductione Judæorum corporali intelligi, indicio est, quod futurum prædicitur, ut è terra occasus solis reducantur & serventur, unde qui ex captivitate Babylonica Jerosolymam sunt reversi, non venerunt sup. c. 2, 10.

De reductione corporali hæc non sonans.

Ex vers. 8.]

I. Reducturus sum eos, ut habitent Jerosol.] Quia reductio Judæorum tunc temporis, quando hæc proferebat propheta, jampridem facta fuit, ut supra sæpius probatum est, & facilè ex initio hujus prophetiæ constat, etiam hæc de spirituali reductione ad Ecclesiam intelligenda esse, rectissimè colligimus, cujus qui sunt membra vera, revera sunt Dei populus. confer. Amos 9, 11. 12. ejusq; dicti explicationem, quæ habetur Act. 15, 16. Mich. 5, 3. Sophon. 3, 20.

Fœdus Dei reciprocum.

II Erunt mihi populus, & ego ero ipsis Deus] Deus diligentes se diligit, & qui ipsum honorant, honorat 1. Sam. 2, 30.

2, 30. neq; alicui est propitius, nisi qui ex ejus populo ac cultoribus est. fœdus enim illud est reciprocum. Si quis autem quem potest Deo suo cultum exhibet, ille sibi firmiter polliceri potest ejus favorem ac gratiam Actor. 10, 34.

[Ex vers. 9]

I. Confirmantor manus vestræ] Etiam tum, quando spiritus promptus est, caro infirma nos tardat & remoratur Matth. 26, 41. ac proinde quotidiè novis viribus opus est, ideoq; omnes fideles verbi ministri sibi dictum putent illud Esa. 35, 3. confirmate manus remissas & genua labantia fortificate v. 4. dicite inconsideratis animo, cõfirmamini, ne timeatis Heb. 12, 12. verum non tantùm alijs hoc succinant, sed & sibi in malis insusurrent ipsi, nec jure in ipsos quadret illud Jobi 4, 3. Ecce erudiebas multos, & manus remissas confirmabas v. 4. labantem confirmabant sermones tui, & fortificabas genua se incurvantia v. 5. quum autem nunc hoc evenit tibi, defetisceris? medice cura te ipsum Luc. 4, 23. *Confirmée ministri verbi alios.* *& seipsos.*

II. Qui audistis diebus his verba ista ex ore prophetarũ] Docemur, unde verum fidei robur, videlicet ex verbo Dei, per quod ut datur illa, sic quoq; augetur & confirmatur Rom. 10, 17. Psal. 119, 92. sicut hunc usum verbi divini in multis calamitatibus monstrat in h. l. Gualtherus. *ex verbo Dei.*

III. Ex quo die fundata est] Deo jubente ac favente omnia succedunt sub manus feliciter Levit. 26, 3. Deut. 28, 1. Hos. 2, 21. 22. *Felicitas.*

Ex vers. 10]

Ante dies hos merces nulla] Contrà Deo irato nil quicquam *Infelicitas unde.*

quam prosperè agitur, quemadmodum ibidem in Levit. à v. 14. in Deut. à v. 15. plurib. declaratur. quanquam verò ex rerum terrenarum abundantiâ non semper probari potest Dei gratiosa præsentia (siquidem multis improbis ad tempus in his benè est Job. 21, 7. Ps. 37. & 73. Jerem. 12. quorum portio est in hac vitâ, & quorum ventrem Deus implet thesauro suo abscondito, ita ut satientur filij & relinquant excellentiam suam infantibus suis Psal. 38, 10.) nec contrà ex inopia possit demonstrari Dei ira (siquidem hic sibi dereliquit populum pauperem & egenum Sophon. 3, 12. exemplumq; Lazari epulonisq; divitis Luc. 16, abundè comprobat) tamen sæpè etiam pijs suis Deus in istis quoq; benedicit, qui inde agnoscunt ejus bonitatem, eamq; deprædicant Ps. 36. & 65. & 144. circa finem, ut videre est in Abrahamo, Isaaco, Josepho, Davide, Salomone, & divitiæ sunt ac manent donum Dei, quod improbis concedit, ut inde ad sui amorem eos incitet Act. 14, 15. 17. & 17, 24. 26. 27. 28. 29.

Improbi quandoq; bene,

pijs malè.

Ex vers. 11]

Nunc non sum ut diebus] Quando gens aliqua convertitur à malo suo, contra quam locutus erat Jehova, pœnitet quoq; ipsum ejus mali, quod cogitaverat facere ei Jer. 18, 7. 8. unde intelligimus, non absolutè Deum quosdam amare, quosdam odisse, sed quatenus sunt in Christo, inq; eo fructum ferunt, vel non sunt, nec bonis operibus student sup. v. 8. L. C. 2. Joh. 15, 2. 6. 7. inf. v. 17. hæc sunt, quæ odi. Ipse autem dissimulat hominum peccata (ad tempus) ut resipiscant, siquidem nihil abominantur eorum, quæ fecit, nec comparavit quicquam, quod haberet odio Sap. 11, 24. 25. vita autem incorrupta facit

Deus quos amet aut oderit.

ut

ut simus propinqui Deo ibid, Cap. 6,20. Id verò hîc notandum, quod, cum Deus dicat, *non sum ut diebus illis prioribus*, hinc tamen nulla in ipso possit probari mutatio, (ipse enim non mutat nec mutatur Malach. 3, 6.) sed extra eum in hominibus, quibus, cùm antea erant improbi, iratus ex justitia sua perpetua, nunc cum sunt pij, placatus est ipsis ex sua misericordia, qui semper cum benigno benignum se exhibet, cum puro purum se præbet, at cum perverso eluctatur Ps. 18, 26. 27. estq; velut columna stabilis, quæ prout homines circumeuntes consistunt, ita ipsis est vel dextra vel sinistra, quia hi sunt instabiles ac mutantur, non ipsa in se, sed respectu horum alia.

In Deo nulla mutatio.

Simile.

Ex vers. 12]

I. Sementis pacis est] Ut bello nulla salus, ejusq; maxima sunt incommoda Sup. v. 10. ita contra pax optima rerum quas homini novisse datum est, ejusq; infinita sunt commoda, ut meritò oremus, ô Domine, in regione nostra benignitas & fides occurrant sibi, justitia & pax osculentur se, Jehova det ut terra nostra edat proventum suum Ps. 85, 11. 13. vide Micham 6, 15. & 4, 4. Joel. 2, 22.

Bellum, pax.

II. Cœlig. edunt rorem] Non est fortuitum, quando vel pluvia cohibetur, vel abundè & tempestivè datur. Inspice quæ in hanc sententiam dicta sunt in Joel. 2. 23. Amos 4, 7.

Pluvia & ros.

Ex vers. 13]

I. Erit ut sitis benedictioni, ut fuistis maledictioni] A Deo sunt benedictio & maledictio Gen. 12, 3. Deut. 28. & 30. 1, 19. 20. Thren. 3, 37. 38. & cui Jehova benedicit, nemo potest ei maledicere Num. 22, 8.

Benedictio, maledictio.

Etiã Israelitæ sunt reducti.

II. ô Domus Jehudæ & domus Jsraelis] continetur hîc quoq; refutatio eorum, qui dicunt, Israelitas non esse ex captivitate sua reductos, aut saltem paucos cum Judæis reversos esse, nempe qui jam antea in illud regnum concesserant. Verum dicuntur domus, & proinde de paucis reliquijs accipi nequit, & quomodo illorum Jsraelitarum pauciſsimorum tribus in regno Jehudæ potuerunt distingui? id quod tamen factum fuisse supra in membro quarto προλεγομένων vidimus.

Pij sint cõstantes.

III. Ne timetote, confirmantor manus vestræ] Pij ne remittant manus, quando alios in mundo detinet carnis studium, & ipsi ab illis habentur odio, siquidem Deus ipsis adest, quid faciat illis homo Ps. 56, 5. dicant singuli Jehova perficiat pro me Ps 138, 8.

Ex vers. 14]

Deus suis non parcit ubi peccant.

I. Cogitaveram malo afficere vos] Deus neq; suo populo, cum peccat nefariè, parcit, sed iniquitatem graviter visitat, quia fortis zelotes est Exod. 20, 5. & judicium à domo Dei sæpissimè incipit 1. Pet. 4, 17.

Judicia Dei certa.

II. Neq; pœnituit me] Judicia Dei peccatoribus denunciata certa sunt, neq; hæc ullo modo ab eo revocantur, dum homines non mutantur: Ipse enim dixit & facta sunt, neq; pertinacia hominum vinci aut superari potest Esa. 9, 12. 17. 21. & 10, 4. vide Cainum, homines antidiluvianos, Pharaonem, Saulem, Julianum apostatam. Ipse enim omnium supremus & fortissimus cum perverso (velut certans benignitate beneficij Rom. 2, 4. & severitate judicij Psal. 7, 12, 13. 14.) tandem eluctatur Psal. 18, 27.

Ex

Ex vers. 15]

I. Ita conversus cogito bono afficere Jeros.] Pœnitentes libenter in gratiam recipit Deus Psal. *103*, 8. 9. 10. *11. 12. 13.* quemadmodum longè optimè in tribus parabolis Luc. *15*, cap. declaratis explicatur. Ipse toto die expandit suas manus ad populum rebellem Es. 65, 2. & summa Dei sapientia quotidie edit vocem suam Prov. 1, 20. *21. 22. 23.* dicens, revertimini ad me, & ego revertar ad vos Zach. 1, 3, vide etiam Mich. 7, *18. 19.*

Pœnitētes recipiuntur in gratiam.

II. Ne timetote] ostenditur hic usus promissionum Dei amplissimus, ne timeamus eos, qui nos ab officio nostro, in quod legitimè à Deo sumus constituti, volunt avocare, sed constanter sectemur vocationem nostram, certi, quod ille nos possit tandem eripere ac præmia largissima fidelibus suis servis largiri Dan. 3, *17. 18.* 2. Tim. 4, 7. 8. Apoc. 2, *10.* Idem rogandus est, ut nobis det illum animum, qui non metuat eos, qui possunt corpus occidere Matth. *10*, *28.* ut statuamus cum apostolis, Actor. 5, *29*, oportet Deo magis obedire, quàm hominibus.

Ne metuamus.

PARS SECUNDA.

Vers. *16*] Ne verò, quando templum & urbem restaurarent (prout solet sibi caro nostra in externis blandiri) omni pietatis officio se probè perfunctos esse putarent, docet porrò, qualem Deo debeant præstare obedientiam, nempe in decalogo traditam. quod si fecerint, hæc erit via, quâ illum Dei favorem præsentem possint sentire perpetuum. *Hæ, inquit, sunt res, quas facturi estis sup. 7, 9. loquimini veritatem alter cum altero*, quisquis etiam ille sit, candorē vestrum omnibus probate, à fraudi-

Veritas.

dibus verò & dolis cavete, vos qui Judicia exercetis publica, *veritatis & pacis jus dicite*, ne patiamini vos muneribus corrumpi, quæ excæcant etiam sapientes, sine προσωπολημψία sententiam ferte, nec litem lite seratis, nec publicè bella non necessaria moveatis, & hoc facite *in portis vestris*, publicè in conspectu omnium. vide quæ diximus Amos 5, v. 10. 12.

Justitia.

Vers. 17.] Sed ad ipsam radicem horum malorum veniamus, eamq́, si fieri potest, evellamus, vel saltem circumcidamus. Illa autem est cor, unde oriuntur διαλογισμοὶ πονηροὶ Matth. 15, 19. si itaq́ vultis vitare peccata, fugite omnes, quæ ad ea tendunt, machinationes, *& alter malum alterius ne cogitetis quidem cum animo vestro*, vide sup. c. 7, 10. *& juramentum falsum ne ametis*, sed detestemini ex animo sup. c. 5, 3. L. C. 3. *nam omnia hæc sunt*, præter alia multa similia in lege prohibita, quæ non probo, sed *odi*, *dictum* est Jehovæ, qui mentiri nequit. Synecdochicè verò hîc in priori membro omnia charitatis christianæ officia proximo debitæ, & in secundâ legis tabulâ præscripta, in posteriori cultus Deo exhibendus ac in primâ decalogi tabulâ demandatus intelligitur.

LOCI COMMUNES.

Ex vers. 16.]

Lex Dei sequenda.

I. *Hæ sunt res quas facturi estis*] Ecclesia Dei ad obedientiam juxta legem Dei præstandam alligata est Deut. 12, 32. Ezech. 20, 19. quod notandum est contra Antinomos, qui legem Dei in Ecclesia non esse docendam blasphemant.

Veritas est dicenda.

II. *Loquimini veritatem*] Præceptum hoc est universale,

versale, omnibus Christianis præscriptum Ephes. 4, 25. inprimis verò verbi divini ministri sibi hoc dictum existiment, ut malo dicant pro renatâ, quis ipse sit, & quid eum maneat, & contrà pium solentur; quia illum Deus odit, hunc amat, de illo dicit, exclama gutture, annuncia peccata sua populo meo Esa. 58, 1. de hoc verò mandavit Esa. 40, 1. Consolamini, consolamini populum meum. Væ autem illis, qui prædicant victuras animas, quæ non sunt victuræ, & qui morte afficiunt animas, quæ non erant morituræ mentiendo apud populum Dei, qui auscultant mendatio Ezech. 13, 19. quique ingredientes in regnum cœlorum non permittunt ingredi Mat. 23, 13. In genere autem notandum, imò deplorandum, quod nobilissimum in homine membrum ac præcipuum donum post animam rationalem, lingua videlicet, sæpissimè fiat Diaboli organum, cum sit ad laudem Dei factū, quando plerique homines Diaboli Deum blasphemantis, proximumque calumniantis, fiunt instrumenta, ut olim serpens in Paradiso.

Ad ministrū verbi.

Linguam rege.

III. Veritatis & pacis jus dicite in portis vestris] Officium magistratus est, ut recte judicent Psal. 82, 1. 3. 4. sine ulla προσωπολημψία Deut. 1, 16. 17. Quod verò maximè & verbi ministros, & hos populi politicos magistros ad veritatem in dictis & factis sectandam excitare debet, est hoc, quod Dominus ipsorum sit verax, & mendacium maximè oderit inf. v. 17. & proinde hos malos suos ministros rejiciat, cum Diabolo, qui est pater mendacij Joh. 8, 44. quocunque etiam modo illud pallietur.

Judices rectè judicent.

Ad veritatem, quid excitet.

Ex Vers. 17.]

1. *Malum alterius*] Deus, qui est charitas 1. Jo-

Charitas.

1. Johan. 4, 16. severè dilectionem proximè flagitat Levit 19, 18.

Cogitationes malæ.

II. Ne cogitetis] Vulgò quidem obtinet in foro politico, Gedancken sein Zoll frey / sed apud Deum qui est καρδιογνώστης non item, apud quem pravæ cogitationes etiam sunt peccata grandia, pœnamq; merentur Gen. 6, 5. 6.

Perjuria.

III. Juramentum falsum ne ametis] Perjurium Deus valdè odit, siquidem in omni juramento ipse invocatur, ut sit testis, vera dici, &, nisi ita se res habeat, invocatur, ut severè puniat mentientes. qua de re in secundo Decalogi præcepto solet agi pluribus.

Deus non est peccati autor.

IV. Omnia hæc sunt, quæ odi]

Si Deus hæc odit mala crimina, criminis autor
Non erit, & vitium non, quod ita odit, amat

vide sup. Amos 6, 8. Habacuc 1, 13. Sophon. 3, 5.

PARS TERTIA.

Vers. 18.] Atq; hactenus θέσις & generalis populi instructio: sequitur nunc ἀνάθεσις & specialis ad quæstionem suprà propositam responsio. Quia enim nuncij quæsiverant, num etiam adhuc jejunandum, nec tunc illis propheta apertè responderat, sed arreptâ inde ansâ eorum jejunia reprehenderat, nunc expresè dicit, non solùm illa jejunia, quæ doloris causa susceptæ erant, relinquenda esse, & in præclaras festivitates ac convivia esse convertenda, sed etiam alia similia, de quibus non erat quæsitum, abroganda esse demonstrat, quæ omnia quod sint ex Dei decreto ad populum referenda per tran-

transitionem, quam ponit hoc versu, indicat, quando sic præfatur: *fuit igitur*, postquam vitam & mores populi instruxeram, & illi tamen sibi aliquid certi responderi postulabant, *verbum Jehovæ* Domini *Exercituum, dicendo mihi* soli, cum tamen mecum omnes sacerdotes ac prophetæ præsentes simul erant interrogati sup. c. 7, 3. 4.

Vers. 19.] *Sic* autem *ait Jehova* Dominus *Exercituum*, non amplius durabit tempus luctus, & omne jejunium, quod extraordinariè in exilio fuit indictum, est abolendum, *jejunium quarti mensis*, quando perrupta fuit civitas Jerosolymorum Jer. 52, 6. 7. *& jejunium quinti*, quo templum fuit concrematum, *& jejunium septimi* propter Gedoljam interfectum sup. c. 7, v. 3. 5. *jejuniumq; decimi*, quo cæpta est urbis obsidio Jer. 39, 1. & 52, 4. vide etiam 2. Reg. 25. hoc jejunium omne varium & multiplex, *futurum* jam est *domui Jehudæ gaudio & lætitiæ, & in solennitates bonas*, hoc est, hilares, quemadmodum sæpe hebræi jucundum, suave & lætum vocant bonum, ut videre dies bonos est ipsis suaviter vivere Psal. 34, 13. 1 Pet. 3, 10. Hoc quod vos vobis promittere non potestis, ego de me polliceor sup. v. 6. eaq; revera præstabo, vos tantùm, quæ vestri sunt muneris, & quæ estis jussi, facite, *veritatem & pacem amate* sup. c. 7, 9. & hoc cap. v. 16. diligite veritatem pacificam, & pacem veram, quæ ad normam verbi divini, quod est veritas, congruit.

Bonus i. e. lætus.

Veritatẽ & pacem amate.

Vers. 20] Ne qui vero inter Judæos promissione hâc abutantur ad luxuriam & securitatem carnalem, talia subijcit, ex quibus constet (id quod in initio hujus capitis dictum fuit) ad Jerosolymam hæc pertinere, non tam quâ civitas est in terra illa sancta, quàm quâ Ecclesiæ ve-

Jerosolyma Ecclesiæ sedes,

ræ tum temporis publica sedes & futuræ mater, quatenus meritò prior lætitia promissa amplificatur à pollicitationibus Evangelicis de regno Christi ex Judæis ac gentib. omnibus tandem adunando. *Sic enim ait Jehova dominus Exercituum, Adhuc,* licet jam Jerosolymæ misera appareat facies, *erit, quum venient populi, & habitatores civitatum multarum,* initio N. T. cùm audierunt sonum Evangelij, ex suis civitatibus adoraturi in Judæam pergent, ac Ierosolymam venient, postea verò ad Ecclesiam se recipient. Confer ea quæ habentur Psal. *102*, 16. *23*, & quæ dicta sunt Mich. 4, 2. 5. 6. 7. & 5, 7. 8. & complementum quoddam descriptum vide Actor. *2*, 5. 9. *10. 11.* & 8, *27.* & *10*, *1.*

quò veniunt gentes.

Ecclesiæ propagatio elegãter descripta.

Vers. *21*] Sed deinceps eadem Ecclesiæ propagatio insigni hypotyposi, prosopopeiâ jucundissimâ ac mimesi elegantissimâ describitur, ut penè oculis coram cerni, & non tantùm apud prophetam jam legi & olim ab eo dicta videatur: estq; in eâ amplificatio gemina, una, quod non unus post alterum singuli & seorsim, sed catervatim magno in cœtu venturi sint; altera finem exponit, cur sint tanto studio affuturi, nempe ad precandum ac quærendum Iehovam, quorum illud invocationem ac gratiarum actionem complectitur, hoc cognitionem Dei ex ipsius verbo innuit, scilicet *adibunt habitatores unius alteram* civitatem *dicendo, eamus* nos omnes simul, non tantùm hac unâ vice, verum *indesinenter ad deprecandum faciem Jehovæ*, ut prius nobis placetur, & post *ad quærendum Jehovam* Dominum *Exercituum*, ut ipsius essentiam & voluntatem cognoscamus, quod ubi

alij

alij excitati audierint, statim dicent singuli, benè est, quod eò properes, & me commonefacias *eam & ego quoque tecum.*

Vers. 22] *Ita,* mirabiliter Deo providente, *venient populi multi & gentes nnmerosæ ad quærendum Jehovam* Dominum *Exercituum Jerosolymis,* ubi peculiari modo se olim revelavit, præcipuè in templo ad arcam fœderis, & quando hæc devastata ac abolita sunt, in Ecclesia seu spirituali Jerosolymâ *& ad* ibidem *deprecandum faciem Jehovæ.*

Vers. 23] *Sic ait Jehova* Dominus *Exercituum, erit diebus illis* potissimùm sub initium *N. T. quum prehendent decem,* hoc est, multi *homines ex omnibus linguis gentium, prehendent, inquam, alam viri Judæi dicendo: ituri sumus vobiscum, quia audimus Deum verum esse vobiscum,* & apud vos se magnificè revelare, quæ ratio adjungitur, ne ipse locus videatur habere sanctitatem, atq; ita piorum ex gentibus ad Ecclesiam convolantium studium describitur, sicut Es. 2, 3. Mich. 4, 2. Cum a. prehensuri alam vestimenti dicuntur, parabolicâ locutione idem denotatur, sic enim solent pueri vel etiam alij eorum, quos retinere cupiunt, adhærere parentum pallijs aut togis, quas arripiunt, dum vel unà ire contendunt, vel eos saltem manere apud se exoptant, à quibus non facile se abstrahi patiuntur vide 1. Sam. 15, 27.

Prehendere alam vestimenti.

LOCI COMMUNES.

De vers. 18. vide supra c. 7, v. 4. nam verba omninò sunt eadem.

Ex vers. 19]

Vicissitudo tristitiæ & lætitiæ.

I. Jejunium futurum est gaudio] De vicissitudine tristitiæ & lætitiæ in mundo hic monemur, ut alibi in scriptura sæpe, sicut antea aliquoties ostensum est Amos 5, 20. obadi 15, L. C. 3. nunc vide Es. 27, 1. & 54, 7. 8. Ps. 30, 6. & 73, 24. & 126, 5. 6. Sap. 3, 5. Joh. 16, 15. Rom. 8, 18. 2. Cor. 4, 17.

Pijs ŏnia in bonum.

II. Domum Jehudæ] Pijs tandem & ex proposito Dei vocatis, hoc est, juxta ordinem ab ipso in prædestinatione præscriptum se gerentibus, omnia conferunt in bonum Rom. 8, 29. quia Deus his notam facit in Christo semitam vitæ, satietatem gaudiorum in conspectu suo amœnissimorum Ps. 16, 11.

Pax pia amanda.

III. Veritatem & pacem amate] Non quævis pax, sed quæ cum veritate religionis, & secundum scripturam Deo probatur, amplectenda & toleranda est 2. Cor. 6, 14. 15. 16. eam ob causam Christus discipulis dat suam pacem, & non, quemadmodum mundus dat Joh. 14, 27. & Paulus orat, ut pax Dei custodiat corda suorum auditorum Phil. 4, 7. quemadmodum etiam idem graviter monet Rom. 14, 19. unde jam facilè constat, cur non possimus salvâ conscientiâ fraternitatem cum Calvinianis, quam toties nobis obtulerunt, inire, ut scripta nostratium ad ipsorum ἐξηγικὰ probant.

Ex vers. 20.

Vocatio gentium.

Etiam populi] De vocatione gentium sub initium N. T. multi Prophetæ sunt vaticinati, vide in Joel. c. 2, 28. & c. 3. v. 21. L. C. 1. & ipsa in N. T. ex omnibus populis fuit collecta, sicut hinc inde in Actis Apostolorum videre est, & Paulus probat Eph. 2. Col. 1.

Ex

Ex vers. 21.]

I. Dicendo, eamus indesinenter] Christi populus est spõtaneus Ps. 51, 14. & 110, 3. Rom. 6, 18. & 12, 8. 2. Cor. 9, 7. 1. Pet. 5, 2. Phil. v. 14. — *Christiani spontanei*

II. Ad deprecandum faciem Jehovæ, & ad quærendum] Duo sunt præcipua ex fide vera propullulantia piorum officia, nempe orare, & Dei voluntatem ex scriptura investigare. quocirca, quisquis es, sit tibi crebra oratio vel lectio, nunc cum Deo loqueris, nunc Deus tecum. — *Ora & lege.*

III. Olim in V. T. peculiari præsentiæ modo eoq; gratioso ad arcam fœderis in templo collocatam se affuturum Deus promiserat, & orantibus adfuit Exod. 29, 42. 43. 44. 45. 1. Reg. 8, 29. 30. Ps. 65, 3. — *Arca fœderis.*

Ex vers. 22.]

Multi, numerosæ] In V. T. unus & item alter ex gentilitate ad Ecclesiam Judaicam accessit, in N. autem multitudo gentium introijt Rom. 11, 25. — *In V. T. pauci gẽtiles conversi.*

Ex vers. 23.]

Comprehendent alam unius] Ardor & Zelus requiritur in veris Dei cultoribus Rom. 12, 11. quia tepidos evomit Apoc. 3, 15. 16. & frigidos à salute æterna excludit Matth. 24, 12. 13. idq; ut indicaret Spiritus Sanct. in igne ad Apostolos venit Actor. 2, 3. idque olim in V. T. fuit indicatum, regeneratos à Deo id unicè curare debere, ut quam divini amoris flammam cœlitus conceperunt semel, studiosè conservent, quando præcipitur ut ignis qui semel cælo erat delapsus Levit. 9, 24. jugitur aleretur in altari, neq; exstingueretur Levit. 6, 5. 6. — *Ardor Christianorum.*

CAPUT NONUM.

Argumentum.

Summa sequentiũ.

HInc jam incipit quarta hujus prophetiæ pars, in qua de rebus futuris Dei populus eruditur, quid videlicet sit eventurum Ecclesiæ hostibus & civibus: illis, si obstinati esse pergant, gravia judicia, his, si adhærere Christo suo Redemptori non desinant, varia beneficia, quæ quidem summa sequentium sex capitum generalis est, in quibus ut omnia tantò dilucidiùs proponantur, singulorum capitum pro more nostro, & nunc quidem hujus noni argumentum & ἀνάλυσιν deinceps videbimus.

Summa Cap. 9.

Primùm, quia finem capitis octavi à v. 20. propheta fusiùs erat explicaturus, in quo amplissimas de regno Christi ex Judæis ac gentibus adunando promissiones fecerat, eaq; vix præstari posse videbantur, jam porrò eas confirmat, amplitudinemq; regni Christi prædicat, dum

1. gentibus Ecclesiam infestantibus, quamdiu tales esse non cessant, prædicit supplicia, easq; impietatis ac crudelitatis suæ daturas pœnas Christo, quem recipere noluerunt, significat, donec ei se subjiciant, Ecclesiæq; aggregent, ubi vicinarum ac Judæis semper infestarum gentium tantùm fit mentio, quia & notiores & acerbiores erant, interim tamen & reliquæ includuntur. Deinde

2. Christi ad suos adventum insignem, regni ejus administrationem, ac beneficia ab eo conferenda describit.

3. Tandem, quibus armis id regnum propagetur, subnectit.

Hinc

Hinc nonnulli caput hoc in tres partes dividunt I. est judiciorum Dei gentibus immorigeris imminentium declaratio usq; ad v. 9. II. clarissimæ prophetiæ, de Messiæ adventu, patefactione & beneficijs explicatio usque ad v. 16. III. de propagatione doctrinæ & amplificatione regni Christi vaticinatio v. 16. 17. Nos cum alijs partes ejus constituemus duas, pro diversitate objectorum, de quibus sermo fit, duplicium, siquidem sunt vel Ecclesiæ hostes molesti, vel cives honesti. de illis in parte priori, de his in posteriori agitur, Denunciat enim illis gravissimas minas ac pœnas in genere omnibus Judææ vicinis, in specie Damascenis v. 1. Chamatæis, Tyrijs, Sydonijs, quibus nec sua sapientia, nec potentia, nec opulentia poterit auxiliari v. 2. 3. 4. Philistæis secundum præcipuas suas satrapias v. 5. 6. ita tamen, ut ijs, qui se convertere ad Deum volent, non sit præclusa gratiæ janua v. 7. aut negata defensio v. 8. His verò ob oculos ponit per adventum Christi ipsis partam pacem, salutem ac gratiam, primùm prolepticè & breviùs v. 9. 10. Deinde verò explicatiùs & prolixiùs, versibus seqq. ubi ἄφεσις seu malorum ablatio, tam internorum & spiritualium, videlicet peccatorum v. 11. 12. quàm externorum & corporalium, nempe omnis potestatis adversantis Deo, ejusque filijs v. 13. 14, 15. & ἕσις seu bonorum collatio, nempe omnis boni cum Ecclesia glorioſa communicatio. 16. 17.

Analysis.
Partes tres,
I.
II.
III.
Alia.
Partes duæ
I.
II.

PARS PRIOR.

Vers. 1.] Propheta novam concionem exorsurus more suo peculiare præmittit exordium, & quia ejus initium à minis est facturus מַשָּׂא sive onus, hoc est, prophetiam

מַשָּׂא

phetiam oneroſam ſynecdochicè vocat vide Nahum 1, 1. Habac. 1, 1. & quidem *verbi Jehovæ*, ut ita indicet, reſpectu gentium hanc prophetiam gravia denunciare, cum ſignificet, fore ut earum, quæ jam prævalebant, frangatur potentia, nec eſſe hæc ex pelvi fulgura ſeu inania terriculamenta, ſed verba illa, quibus res ſubſunt, tum quia eſt דְּבַר (quæ vox & verbum & rem notat, ut alibi ſæpè jam declaratum Amos 3, 7.) tum quia eſt יְהוָה, qui cùm dixit, facta ſunt Pſ. 33, 9. & 148, 5. quiq; ut ipſe à ſe exiſtit, ita omnia, quæ vocat ſaltem, exiſtere ſtatim facit Rom. 4, 17.

דְּבַר

Præter hoc exordium, quo autoritatem ſibi dicturo divinitus propheta conciliat, & in quo, quid & à quo ſequentia proferat, aperit, duo in hoc verſu primo continentur: unum, in quos, alterum propter quid tam gravia denuncientur, nempe in gentes Judæis vicinas hæc dicuntur, *in terram circumſtantem te*, ô Judæa (quam his verbis propheta alloquitur) ut ſit חַדְרָךְ vox compoſita Syra, ex R. חַדַר, id eſt, circumdare, & affixo 2. perſonæ, quâq; voce prophetam uti voluiſſe ad Syros, admodum vero ſimile ſcribit Junius, cum hoc in alijs ſcripturæ locis non ſit inſolens Eſ. 14, 4. Jer. 10, 11. & 25. 26. & 51, 41. ut ex eorum lingua quædam prophetæ interſerant, ad quos verbum Domini dicunt. Alij volunt eſſe nomen proprium regionis, nonnulli Arabiæ, multi Syriæ, quidam Cœleſyriæ, & ex duabus vocibus hebræis חַד, id eſt, acutus, & רָךְ, i. e. mollis ſeu tener, conſtare: ſed cum nec ratio compoſitionis linguæ ſanctæ, neq; res ipſa ſatis benè ſubjectæ materiæ reſpondeat, non facilè illis adſtipulari poſſumus. In ſpecie vero quia Syriæ

חַדְרָךְ

Syra vox, cur adhibeatur.

Aliorum compoſitio rejicitur.

Syriæ caput ac metropolis est Damascus Es. 7, 8. vide Amos 1, 5. ipsa inprimis hoc onere opprimetur, siquidem *Damascus erit requies illius*, oneris puta seu afflictionis, cujus antea facta est mentio, illi civitati ac regno insidebit ac velut superincumbet onus hoc vaticinio denunciatum, ut qui in re aliqua suaviter conquieścunt, libenter in eâ manent, & proinde non erit hoc flagellum inundans ac citò transiens, verum erit hîc stabilis & perpetua sedes judicij. Quare autem tam severum in eos exercebitur judicium? ratio patet, *quia Jehovæ est oculus* spectator istorum *hominum*, qui ibi degunt, ac flagitijs suis eum jugiter ad iram provocant, *ut omnium tribuum Israelis* ipse agit curam providam, tam benè Deus extra Ecclesiam reliquos homines oculo suo perspicaciśimo perlustrat, quàm accuratè populum suum respicit Gen. 18, 25. & ut in hoc, sic quoq; in reliqua hominum multitudine animadvertit tandem in eos ex sua justitia, qui contemnunt misericordiæ viscera. Fuerit itaq; hactenus vobis, ô Judæi intolerabilis hostium vestrorum ferocia, attamen illa vos deinceps minimè terreat, quia ad illos jamjam pertinget onus decreti divini, quod me contra regem potentiśimum ex sententiâ Dei proclamare auditis, & primò quidem in specie contra Damascum urbem vobis notam, &, ut res vestræ jam se habent, præ vobis beatæ.

Damascus

Deus videt omnia.

Vers. 2.] Sed & aliæ regiones ac urbes à Deo punientur, *qui etiam Chamatham*, tractum eum, qui ad montis Libani pedem est 2. Reg. 14, 25. 2. Chron. 8. 3. 4. quæq; ab amplitudine, maxima dicitur Amos 6, 2. *terminabit illâ*, heb. חֲמָת, hoc est, requie onerosæ prophetiæ, (id quod

Chamatha.

genus fœm. ad nomen fœm. מְנוּחָה in præcedenti versu se referens innuit,) terminos illius regionis de integro disponet oculus Jehovæ, edomabit, & ad Ecclesiæ bonum metas ei præscribendo reget. Confer cum h. l. Jerem. 49, 23. 24. 25. Ezech. 47, 16. 17. Atq; hi sunt hostes vestri acerrimi ad septentrionem (unde sæpè malum vobis ortum est) ad occidentem vero & latus maritimum sunt Tyrus & Sidon, ac Philistinorum regio, videamus porrò quid illis futurum sit. Terminabit illa requie onerosæ prophetiæ Dominus *Tyrum & Sidonem*, quæ sunt duæ potentes ac opulentissimæ civitates, marisq; dominæ, unde etiam sæpè in scripturâ conjunguntur (vide Joel. 3, 4. Amos 1, 9. Esa. 23, Jerem. 47. Ezech. 27, & 28. cap. quin & in novo Test. passim earum sit mentio Matt. 11, 21. & 15, 21.) & simul ijsdem cladibus involvuntur ptimum à Persis, deinde ab Alexandro M. seu græcis captæ. כִּי *quamvis* (vide exercit bibl. p. 66. 73.) utraque (sicut & tota Phœnicia apud historicos à sapientia celebratur) *sit sapiens valdè*, & consilium domi habeat, ut hodie Venetorum vel Amsteldamensis Resp. quomodo objectioni isti tacitæ à propheta occurritur, quod sit pro sua calliditate malum aversura, dum respondet cum Salomone Prov. 21, 30. nulla sapientia & nullum consilium est ex adverso Jehovæ,

Tyrus & Sidon.

Vers. 3.] Sed nec propugnacula, nec thesauri poterunt eas urbes servare, siquidem delebitur utraq;, quamvis *& ædificaverit Tyrus munitionem* firmissimam *sibi* (in quibus verbis in textu hebræo est παρονομασία elegantissima בָּנְתָה צֹר מָצוֹר לָהּ cui similes plures vidimus Amos 5, 5. Mich. 1, 10. 14. Soph. 2, 4. *coacervaverit & argentum*

παρονομασία.

q. pul-

q. *pulverem & effossum*, scilicet aurum, q. *lutum plateārum*, quâ hyperbolicè multitudo & copia maxima denotatur, sicut & similiter 1. Reg. 10, 27. 2. Chron. 9, 27. aurum autem κατ' ἐξοχὴν hîc, ut & Prov. 3, 14. & 8, 10. 19. & 16, 16. Psal. 68, 14. חָרוּץ, hoc est, effossum dicitur, quia hoc præ reliquis metallis diligenter inquiritur ac effoditur, inq; pretio habetur. Potens igitur est urbs utraq;, Tyrus tamen inprimis, firma ac dives, veruntamen nec per ista conservabitur.

Ut lutum plateārū.

חָרוּץ

Vers. 4.] Eversio autem illius potentiæ unde? respondet Propheta ab omnipotente Domino, *Ecce*, quo asteriscō velut in rem præsentem ac jam factam, quæ postea futura erat, auditores deducit Zacharias, *Dominus expellet eam, &* per Persas ac Græcos *percutiens* deturbabit *in mare præmunitionem ejus*, valla, muros, propugnacula, arces, *& ipsa* quamvis in medio mari sita sit, *igne absumetur*,

Ecce.

Tyrus deleta

docuit post exitus ingens,
Delet Alexander flammis ultricibus urbem.

Q. Curt. l. 4 Diod. Siculus lib. 17.

Vers. 5.] Sed erant & Philistæi jurati Judæorum hostes, ad hos igitur etiam se convertit, suppliciaq; illis interminatur gravissima, nominatis quatuor præcipuis ejus satrapijs, vide quæ diximus Amos 1, 6. 7. 8. Tzeph. 2, 4. *Videns* primò Tyri excidium, quod erit tàm horrendum, ut meritò vicinis terrorem incutiat, *Askelon, timebit* (ubi iterum in textu heb. elegans παρονομασία in verbis תִּרְאֶה אַשְׁקְלוֹן וְתִירָא) & secundò *Gaza* cum audierit, & ipsa *dolebit valdè*, cùm ejus dolor sit futurus similis dolori parturientium, qui est maximus, inspice quæ in hanc

Philistæorum

4. satrapiæ,

Askelon

Gaza

(Dolor partus)

sententiam ex scriptura, in qua hæc comparatio crebrò occurrit, allata sunt Joel. 2, 6. Mich. 4, 9. 10. Nah. 2, 11. Habac. 3, 9. tertiò *etiam Hekron* dolore afficietur gravissimo, *eò quod pudefecerit* ipsam ac turpiter deceptam rubore suffundat *exspectatio sua*, heb. מִבַּטָּהּ, cùm scopum, ad quem respexit, non attigerit, est enim à R. נָבַט oculis intentis intuitus est, ac velut ad metam collineavit. Verùm hi Philistæi non tam alieno Tyri & Sidonis cruciabuntur malo, quàm suo proprio, quia certò *peribit* (id quod enallage temporum indicat, dum præteritum pro futuro ponitur) *rex è Gaza*, regnum ejus desolabitur ac deinceps sub alterius potestatem veniet, *& Askelon non sedebit*, hoc est, scripturæ stylo, permanebit talis, qualis jam est, videlicet incolarum multitudine superbiens, siquidem erit deserta, ut à nemine eorum inhabitetur, qui cives ejus prius fuerant.

Hekron.

מִבַּט

Aschdod.

Vers. 6.] Quemadmodum *etiam Aschdodi habitabit nothus* sive spurius, non suus ac legitimus hæres occupabit ædes, hortos atq; agros patrios, sed infamis extraneus, ita ut ij,

Quorum nemo queat patriam monstrare parētis,
Dicant, hæc mea sunt, veteres migrate coloni.

Denicq, ne de singulis prolixè dicere necesse sit, complectar paucissimis omnia, *deniq*, cùm mensuram suæ iniquitatis jam compleverint, *exscindam fastum Philistæorum*, sua potentia & opulentia cum pessimè abutantur, sibiq; omnia tribuant superbè, faciam ut cesset hæc gloriandi ac se jactitandi materia.

Causa cladium tantarum.

Vers. 7.] Prima igitur causa superiorum cladium est animi elatio, secunda verò est crudelitas, & tertia ido-

lola-

lolatria, de quibus duabus posterioribus sic loquitur propheta, ut simul illis, qui calamitatibus adducti se coram Deo suo humiliant, spem veniæ faciat. *Quumq;* (verba sunt Jehovæ) *amovero cædes cujusq; ab ore ipsius* remisero ipsis peccata præcedentia, & interea crudelitatem, quâ parum abfuit quin ipsis ursis, lupis, leonibus, alijsq; feris carninoris fuerint similes, confer Psal. 10, 9. & 57, 4. 5. ac ore cruorem occisorum beberint, quem animo sitiebant ac manu effundebant: quum etiam amovero *detestationes ejus è dentibus ejus*, quâ voce quidem omnia flagitia Deo displicentia possunt intelligi, verùm quoniam nil magis Deus detestatur, quàm idololatriam, ad illam potissimùm respicere prophetam à vero non est alienum. Ubi si quis quærit, quò igitur illud sit referendum, ab inter dentes, respondebo, vel proprie ad idolothyta, quæ ipsi suis Dæmonijs immolata comedebant 1. Cor. 10, 19. 20. 28. 1. Cor. 8, 14. Rom. 14, 2. 3. vel impropriè, quod nō amplius debeant ore suo mentionē idolorum suorum facere Psal. 16, 4. sic dij alieni dicuntur שִׁקּוּצִים 1. Reg. 11, 5. 7. Reg. 23, 13. 24. 2. Chron. 15, 8. Jerem. 4, 1. & 7, 30. & 16, 18. & 32, 34. Ezech. 7, 20. & apud hunc passim, & cultus eorum Jerem. 13, 27. ut non sit de scripturæ analogia hîc quicquam dubitandum. Sed in hac ira sua Deus tamen misericordiam exhibebit, quando ita eos exscindendos esse propheta innuit, ut quosdam salvatum iri significet, quippe superstites Deo consecrabuntur, nec ignobilem in populo Dei locum habebunt. Nulla enim vel locorum distantia, vel civitatum opulentia, vel populorum ferocia obstabit, quo minus Christus ex omnibus terræ partibus sibi aliquos

שִׁקּוּצִים

מִבֵּין שִׁנָּיו

Idola vocantur detestationes.

Scopus sequentium.

ad regnum suum convertat, ac inter eos quoq; habeat, qui in Ecclesia postea duces ac doctores esse queant, quomodo ad sequentem partem consolationes Evangelicas proponentem hoc & proximo versu fit transitus. Sic autem ait Jehova, quum peccata ipsorum ipsis non imputavero, & Christi justitiam per fidem ex verbo conceptam imputavero unicuiq; eorum Philistæorum, *relinquetur & ipse* conversus *Deo nostro*, ut ita compleatur, quod sup. c. 8, v. 23. prædictum est, nempe ut ex gentibus serventur quædam reliquiæ per Dei gratiam, & *ut sit tanquam dux in Jehuda*, alijsq; in pietate deinceps præire possit, ut ipse Judæorum operâ fuit ad Ecclesiam adductus, & eodem cum Judæis habeatur loco in Ecclesia N. T. quemadmodum etiam *Hekron* seu Hekrone oriundus erit *ut Jebusæus* seu Jerosolymitanus, quandoquidem Jerosolyma olim dicta est Jebus, ejusq; pristini incolæ non sunt cum reliquis gentibus prorsus exterminati, sed manserunt cum Judæis in urbe omnium maximâ & nobilissimâ, honorabilemq; inter eos obtinuerunt locum. Gen. 10, 16. Josuæ. 15, 8. 63. & 18, 28. Jud. 1, 8. & 19, 11. 2. Sam. 5, 6. ut 2. Sam. 24, 16. 18. liquidò constat de Arauna.

Jebusæi in populo Dei.

Vers. 8.] Atq; ita se Deus geret erga hostes Ecclesiæ, ex quibus corrigi nescios perdet, resipiscentes verò in gratiam recipiet. Quia vero plerumq; in tantis turbis

Tunc tua res agitur, paries cum proximus ardet,

& sæpè aliquid mali propter vicinum malum, quæ tum erit Ecclesiæ facies, quærat quispiam? huic in persona Dei respondet propheta duo, prius ponit descriptionem securitatis Ecclesiæ, posterius ejus causam subjicit. De illo

illo ita habet textus: *Et castra habebo*, ait Dominus, per angelos meos Psal. 34, 8. & 121, 3. 4. & 124, 1. 2. 8. *ad domum meam*, quæ est Ecclesia 1. Timoth. 3, 15. eam ab omnibus impressionibus ac periculis hostium protegam *propter exercitum* hostium subinde irrumpentium, ut hosce abigam (siquidem ב ita quandoq; accipitur ut Psal. 12, 6. Esa. 53, 5. 8. Habadi v. 10.) & *propter transeuntes & redeuntes*, hoc est, illos qui vivunt in Ecclesia, & vocationis suæ officia obeunt sup. c. 7, 14. & Psal. 1, 1. ut eos defendam, *ut non pervadat hos amplius exactor* ullus qui opprimat, qualis est crudelis tyrannus, qui subditos gravibus exactionibus premit (talis enim in scriptura נוגש vocatur Exod. 3, 7. & 5, 6. 14. Job. 3, 17. Es. 9, 3. & 14, 2. Dan. 11, 20. inf. c. 10, 4.) quæ omnia sunt de spirituali liberatione intelligenda, nempe à legis rigore. Causa autem hujus meæ curæ est, quod providentiam Ecclesiæ geram specialem, rei æquitate adductus hæc faciam, *quia jam vidi* his *oculis meis*, probèq; cognitum ac perspectum habeo, quomodo Ecclesia à varijs infestetur hostibus, quemadmodum homo oculis videns cognoscit, quæ geruntur, atq; ita ratione effectus ἀνθρωποπαθῶς Deo & visus & oculi tribuuntur. Confer Exod. 3, 7. Act. 7, 34. & facile etiam videbis, cur dicat, se jam vidisse, qui tamen nunquam non videt, quia jam facit, ut alij experiantur, eum vidisse, quemadmodum dicitur recordari, quando hoc alijs manifestat per opera, ut non sit propterea necesse cum Tremellio vertere, visum est mihi, id quod absoluto Dei decreto favere aliquantum poterat.

Castra Dei.

ב *notat remotionem.*

נוגש *tyrannus.*

Deus videt suis oculis.

& recordatur.

Caput Nonum

Loci Communes.

Ex vers. 1.]

Discrimen legis & Evangelij 1. 2.

I. Prophetia onerosa] Duplex legis & Evangelij discrimen hîc indicatur: unum, quod sumitur ab effectibus, illa accusat, hoc per Christum excusat; illa minatur, hoc solatur; illa deprimit, hoc erigit 2. Cor. 3, 6. Rom. 5, 20. Johan. 1, 17. alterum, quod oritur ex applicatione ad diversa objecta. illa enim tumidis, hoc timidis proponendum 1. Tim. 1, 9. Gal. 5, 17. Rom. 3, 19. 20. 22. Matth, 11, 5. contrà qui facit, lucem verbi divini ponit sublectum Marc. 4, 21. Luc. 8, 16.

Dei ira,

II. In terram circumstantem] Dei ira super omnes, qui operantur malum Psal. 34, 17. Exod. 14, 24. Exod. 32, 10. Deut. 9, 19. Num. 11, 10. qui est fortis zelotes Exod. 20, 5. Num. 25, 11.

manet super peccatores.

III. Damascus requies illius] Quamdiu homines de suis peccatis non agunt pœnitentiam, tamdiu manus Dei est extenta Esa. 9, 12. 17. 21. & c. 10, 4. vide Amos 4, v. 6. & seqq. Zach. 5, 11. nam cum perverso tandem eluctatur Psal, 18, 27. & ira ejus super incredulum manet Johan. 3, 36.

Dei providentia.

IV. Jehovæ est oculus] Duo præterea hîc docentur; prius, quod præter specialem Ecclesiæ curam, providentia Dei generalis sit circa omnes homines Psal. 11, 4. 1. Tim. 4, 10. Posterius, quod Deus non sit προσωπολήπτης, qua de re Joel 2, 28. L. C. 4.

Ex vers. 2.]

I. Qui etiam Chamatam, Tyrum & Sidonem] Nulla potentia contra Deum satis tuta est vide Amos 9, 3.

Obadi

Obadi v. 3. L. C. 2. & v. 4. & v. 9. nam poculum (quo sæpe in scriptura notantur omnis generis mala à Deo immissa, quemadmodum declaratum est Obadi v. 16.) in manu Jehovæ, & vinum turbidum est, plenum mixtione, ex quo fudit: verum feces ejus bibent omnes improbi terræ Psal. 75. 9. *Poculum Dei.*

II. Quamvis sapiens sit valdè] Duplicis præcipuè sapientiæ in sacris fit mentio, una est spiritualis & divina, cujus initium timor Domini, Ps. 111, 10. Prov. 1, 7. eaq; laudabilis & utilis Job. 28, 28. Jerem. 9, 23. 1. Cor. 1, 21. Eph. 5, 15. Jac. 1, 5. alia carnalis & humana, eaq; culpabilis & futilis in rebus divinis Prov. 3, 7. Jer. 4, 22. 1. Cor. 1, 19. 20. Jac. 3. 15. Confer etiam quæ dicta sunt Obadi v. 3. & 8. *Duplex sapientia divina, humana,*

Ex vers. 3.]

Quando h. l. in præcipuis duabus urbibus maritimis reprehenditur avaritia, & in munitionibus collocata fiducia, videmus quæ vitia in populosis ac negotiationi deditis Rebuspubl. maximè regnent, nempè inexplebilis auri sacra fames, *In urbib. maritimis plerumq; regnant avaritia*

quæ vitia in quævis mortalia pectora cogit,

1. Timoth. 6, 10. & inanis in suas munitiones confidentia, quæ idolalatria est maxima Jer. 17, 5. Sir. 18, 30. Es. 10. 13. 14. *& superbia.*

Ex vers. 4.]

Ecce Dominus expellet eam, percutiet præmunitionem, ipsa igne absumetur] Primò mutationes Rerumpublicarum non sunt fortuitæ, sed à Deo ipso Dan. 2, 21. & qui ita alios vincunt, sunt virga iræ Dei Esa. 10, 5. & quos ipse misit, hos protegit Joel. 2, 9. Secundò etiam arcium demolitiones ipso jubente fiunt Joel. 2, 3. Tertiò *Deus mutat regna, destruit arces,*

injicit ignem. ignis ab ipso urbibus & domibus immittitur Amos 1, 4. 7. 10. 12. 17. Nah. 3, 15.

Ex vers. 5.]

Timor servilis. *I. Videns Askelon timebit, & Haza dolebit*] Timor servilis affert dolorem, filialis gaudium Rom. 8, 15. 1. Johan. 4, 18. Prov. 19, 23. & 10, 27.

Deus non frangit fidem. *II. Quod pudefecerit ipsam exspectatio sua*] Solus Deus fidem & spem nostram non fallit Psal. 111, 7. 8. reliqua creata sæpissimè nos frustrantur, Psal. 62, 10. 11. proinde in Deo tantummodo conquiesce anima mea, nam ab eo est expectatio mea ibid. v. 6. Psal. 39, 8.

Ex vers. 6.]

Opum vanitas. *Et habitabit notus Aschdodi*] Multi in vanum perstrepũt, congregant, & nesciunt, qui recepturus sit ea Ps. 39, 7. & 49, 14. 17. 18.

Ex vers. 7.

Duplex imputatio. *I. Quumq; amovero*] In justificatione hominis duplex est imputatio, altera σφηλικὴ, quâ propria condonantur peccata, de qua h. l. & quæ vulgo dicitur peccatorum remissio, altera θελικὴ, quâ donatur Christi aliena justitia: qua de re suprà pluribus in v. 4. cap. 3.

II. Detestationes ejus] Idololatriam Deus maximè aversatur, qua de re jam sæpè.

Electi, reliquiæ. *III. Relinquetur & ipse*] Electi sunt piæ reliquiæ sup. Amos 9, 12. Mich. 7, 18. Sophon. 2, 7. 9. & 3, 12. Hagg. 1, 12. Sup. c. 8, 6. 11.

In N. T. nullum discrimen populorũ. *IV. Ut sit tanquam dux, & Hekron ut Jebusæus*] Apud Deum nulla est προσωπολημψία Act. 10, 34. & in N. T. neq; Judæus, neq; Græcus Gal. 3, 28. postquam Christus utraq; fecit unum, & intergerini parietis septum destruxit Ephes. 2, 14, quando neq; circumcisio, neq; præputium aliquid valet, sed observatio mandatorum Dei 1.

ti per-

Cor. 7, 19. Rom. 2, 25. Gal. 5, 6. Ex toto verò h. l. ubi multi perditum, pauci vero salvatum iri prædicantur, discendum est illud Apostolicum Rom. 11, 22. vide & considera hîc bonitatem & severitatem Dei, hanc in illis, qui planè ità ceciderunt, ut non resurrexerint, illam verò in his, qui adhuc perstant, si permanent in bonitate oblata, alioquin & ipsi exscindentur.

Ex vers. 8.]

Deus tuetur suos.

I. Castra habebo ad domum meam] Deus ipse Ecclesiam suam fortiter defendit Psal. 46. ut discat ipsa ab eo solo, & non à præsidijs humanis pendere Psal. 62. Psal. 121. & 124.

II. Propter transeuntes & egredientes]

Fac tua, quæ tua sunt, committas cetera Jovæ
Qui sibi fidentes deseruisse nequit

Ebr. 13, 5. 6.

Deus omnia cernit.

III. Quia jam vidi oculis meis]

Πάντα ἰδὼν διὸς ὀφθαλμὸς καὶ πάντα νοήσας,

canit quidem Poëta: verùm longè melius & gravius monet propheta; oculi Dei aperti spectant in omnes vias hominum, ut det cuiq; secundum vias ipsius & secundum fructum actionum ipsius Jerem. 32, 19. Quia ergò videt omnia Deus justus, pij in rebus adversis ne desperent, impij vero in malitia sua ne perseverent: illi ut Deus ad se respiciat, orent, hi ne admonitiones divinas despiciant, laborent.

PARS POSTERIOR.

Vers. 9.] De ordinaria & perpetua veræ Ecclesiæ conservatione sic satis: nunc verò transit Propheta ad extraordinarium quendam Dei ad suum populum adven-

tum, in quo est confirmatio quædam superiorum, dum invitantur Judæi ad maximum gaudium, propter ingressum Christi in urbem Jerosolymorum luculentum, qui contigit in die Palmarum, dum ad passionem, velut agnus Dei, se sistit, quemadmodum Evangelistæ complementum hujus vaticinij declarant Matth. 21, 5. Johan. 12, 15. ut nobis quidem, quibus N. T. autoritas sacrosancta est, de quo sint hæc accipienda, dubitare nullo modo fas sit. Probari tamen contra Judæos facilè potest ex ijs, quæ hoc loco regi ipsorum attribuuntur, quod de regno aliquo mundano Messiæ, quale quidem illi frustra sibi pollicentur, hæc intelligi nequeant, siquidem dicitur futurus 1. pauper, qui tamen dominetur ab uno mari ad alterum, 2. nullis externis armis præditus, & 3. gentibus amicus. 4. iste, qui antea emisit vinctos è carcere. Neq; illud in contrarium adduci potest, quod propheta filiam Sionis, & filiam Jerosolymorum alloquatur: quia, ut suprà in initio cap. 8. probatum est, sub ejus nomine omnis & tota Christi Ecclesia intelligitur, quippe quæ tum, quando hæc dicebantur, erat ejus ordinaria sedes, & deinceps futura reliquarum Ecclesiarum mater, ut Mich. 4, 2. antea declaratum est. Antequam ad explicationem dicti perveniamus, paucis erit ostendendum, quomodo hic noster propheta cum Evangelistis allegantibus ejus hunc versum possit conciliari, id quod non erit difficile, si quis teneat illas hypotheses, de quibus Amos 5, 26. actum est. Sic primùm, quando dicit Zacharias, exulta valde filia Sionis, ad sensum respiciens Johannes sic reddit, Ne metue filia Sion, quippe qui valdè exultat, nequaquam metuit, cum metus excludat.

De Christi adventu humili hîc agitur,

non de rege mundano.

Filia Sionis Ecclesia.

Conciliatur propheta cum Evangelistis.

dat omnem pectore lætitiam. Deinde cum id tantum spectent ambo Evangelistæ, ut humilem Christi adventum, dum is insidet pullo asinino, juxta vaticinium Zachariæ, compleri demonstrent, satis habent illa tantùm inde citasse, quæ huc faciunt, reliquis attributis apud prophetam positis, pro tempore omissis. Tertiò rectè in futuro יָבוֹא Zacharias, quia de futuro ipsi fit sermo; & rectè in præsenti uterq; Evangelista ἔρχεται, quia jam revera adventabat, quem venturum propheta prædixerat. Quartò עָנִי, quod est apud Zachariam, & propriè notat afflictum, pauperem, rectè vertitur ab Evangelista Matthæo, seu, ut alij volunt, citatur ex versione græca, πραΰς, id est, mansuetus, quia hoc ex illo sequitur, & proinde per metalepsin scripturæ usitatissimam unum pro altero usurpari potest, propterea enim Christus venit pauper, ne quenquam pauperum majestate suâ terreret, sed mansuetos omnes ad se alliceret, afflictusq; est, ut Deus nobis esset placatus Es. 53. Quintò neq; inter se, neq; à propheta dissident Evangelistæ, quando apud illum רֹכֵב עַל חֲמוֹר וְעַל עַיִר & Matthæum ἐπιβεβηκὼς ἐπὶ ὄνον καὶ πῶλον, apud Johannem vero καθήμενον ἐπὶ πῶλον ὄνου; siquidem ibi ו, & græcum καὶ non copulativum, sed ἐξηγητικὸν esse potest, ut aliàs sæpè in scriptura, atq; ita verba prophetæ accipiuntur propriè hoc modo, equitans super asinum, id est, super pullum seu juniorem asinum, & nondum satis domitum, quique adhuc matris ab ubere pendet, quem græca versio vocat πῶλον νέον, quæ etiam causa est, cur & simul asinam seu matrem adduxerint discipuli, ut jussi erant Matth. 21, 2. 7. non ut Dominus illi quoq; insideret, sed ut tantò facilius

2.

3. יָבוֹא

ἔρχεται

4. עָנִי

πραΰς.

5.

ו, καὶ, ἐξηγητικὸν

חֲמוֹר

i. e. pullus asini b. l.

lius cum matre, quam sequebatur, accederet pullus, & cur hic dicatur apud prophetam בֶּן־אֲתֹנוֹת, id est, filius asinarum. Quia enim erat natus ex asinâ subjugi, υἱὸς ὑποζυγίου, ut Matth. c. 21, 5. interpretatur, eaq; rarò à pari, quicum conjungitur, abjugatur, filius asinarum, hoc est, unius ex asinabus subjugibus appellatur. ubi triplex notanda venit observatio I. sæpè in scriptura ℣ in ℣. καὶ in N. T. esse tantum ἐξηγητικὸν, & per, id est, rectissimè verti, ut pluribus exemplis probatum dedimus Sophon. 1, 4. II. sæpè in scripturâ pluralis numerus tum usurpatur, quando unus vel unum ex pluribus tantùm intelligitur, quemadmodum hoc quoq; pluribus exemplis declaratum est in Psal. 1, 3. Ion. 1, 4. Amos 6, 10. & aliàs pluralis pro singulari κατ' ἐξοχὴν sæpè adhibetur Matth. 2, 20. & 9, 8. Iam si juxta illud Tertulliani, oportet secundum plura intelligi pauciora in biblijs, consulimus ac inter se hîc conferimus Evangelistas, invenimus, quod tres Evangelistæ, nempe Marcus c. 11, 2. 3. 4. 5. 7. Lucas c. 19, 30. 33. 34. 35. Iohan. 12, 14. 15. tantùm pulli aliquoties, & nunquam asinæ mentionem fecerint. Unde responsio patet ad illud ex Matth. 21, 7. ἐπέθηκαν ἐπάνω αὐτῶν, καὶ ἐπεκάθισεν ἐπάνω αὐτῶν. III. Cum nomini animalis genitivus pluralis illius speciei adjungitur, animal illud intelligitur esse tenerum, & adhuc esse apud matrem, ut hœdus caprarum, id est, lactens Gen. 38, 17. 20. Lev. 4, 23. 28. Esd. 6, 17. Dan. 8, 5. qua de causa apud Marc. c. 11. 2. additur ἐφ' ὃν οὐδεὶς ἀνθρώπων κεκάθικε, quibus verbis majoris ἐμφάσεως gratia Lucas c. 19, 30. interserit, πώποτε. His ità prælibatis ad ipsum vaticinium explicandum accedimus, in quo præcipitur lætitia, exponitur

Cur dicatur filius asinarum?

Et, id est.

Pluralis usurpatur pro uno ex pluribus.

Tres Evangelistæ tantùm pulli mentionem faciunt.

Animal tenerum quomodo describatur.

nitur ejus causa, tam fidei præsens, nempe gratiosus regis adventus v. 9. quàm futura, videlicet illius fructuosus eventus v. 10. adjicitur ejusdem rei confirmatio à liberatione jam ante præstitâ v. 11. & ad tam insigne beneficium, quod jam promittitur, percipiendum subnectitur invitatio v. 12. *Exulta*, inquit, præq; gaudio gestias, externo gestu internam testata lætitiam & exulta *valdè*, quæ nunc ferè tota luctu jaces oppressa, ô *filia Sionis*, & *clange* jubilaq; etiam edito ore, ut gaudium tuum declarasti toto corpore, quando subsultasti, *ô filia Jerosolymorum*, Ecclesia recens plantata, per crucem purificata vel reformata, quæq; es adhuc tenera, ut filia non ita pridem nata, unde Psal. 9, 15. & in Threnis passim hoc nomen obtinet Ecclesia, quâ de phrasi ibidem pluribus actum. Cur verò, ais? *Ecce* (quæ particula sæpè est index rei novæ & planè insperatæ) quæ te ab omnibus desertam putabas, *rex*, rex ille regum, rex gloriæ, rex gratiæ Psal. 24, 7. 1. Timoth. 1. 17. & 6, 15. Apoc. 17, 14. & 19, 16. rex *tuus*, cujus regnum non est de hoc mundo Ioh. 18, 36. cujus titulus etiam in triumpho crucis Ioh. 19, 19. Col. 2, 14. 15. *adveniet*, sua sponte, non accersitus, nullis tuis precibus delenitus aderit, & quidem non sibi, sed *tibi* ac tuo bono. quis vero & qualis ille rex sit, nunc dicam, est *justus*, in se essentialiter, quippe Deus, in te effectivè, quippe mediator 2. Cor. 5, 21. 1. Cor. 1, 30. Ier. 23, 6. quâ de re ex formula concordiæ ita habendum. Christi justitia duplex est, una, propria naturarum, divinæ, quæ est essentialis, & naturæ nostræ in nobis incommunicabilis: humanæ, quatenus absq; peccato conceptus & natus est ex virgine pura. Alia vero acquisita seu officij & no-

Analysis hujus dicti.

Christi justitia duplex.

& noſtra, omnimoda legis impletione parta, quæ ſola eſt communicabilis. *Eſt etiam ſalute præditus*, heb. יְשׁוּעָה, unde יְשׁוּעַ ſeu Syriace ישוע, græce Ιησοῦς, id eſt, σωτῆρ Matth. *1, 21.* Luc. *2, 11.* dictus eſt, atq; illi meritò des hujus nominis honorem, quia ipſi tanquam Jehovæ vero eſt ſalus omnimoda & benedictio ſuper populum ſuum Pſal. *3, 9.* Neq; eſt, quod hîc Iudæi obijciant, non poſſe hunc regem eſſe Meſſiam ac Deum, cum paſſivè ſalvatus dicatur, quia ſecundum humanam naturam & ipſe revera ſolutis mortis doloribus in ſe ſalvatus eſt Act. *2, 13.* & ſecundum divinam naturam eſt ſalvator ſui ipſius Eſ. *63, 5.6.* Secundum utramq; naturam Salvator corporis ſui myſtici Eph. *5, 29.30.* atq; ita poteſt optimè hoc participio notari immanens & reciproca actio, ut in pluribus alijs verbis, quæ in Niphal primùm occurrunt, prout ipſi Grãmatici ex Iudæis, imò Iudæi ipſi docent. vide Eliam orat. *1.* fol. 8. §. *2.* & 4. Tertiò, licet ipſius ſint omnia, quæ in cœlo & in terra, tamen ut ſuos ditaret *2.* Cor. *8, 9.* pauper factus eſt, perᾳ̃ οἰκονομίαν & diſpenſationem quandam Dei mirabilem, dum opus redemptionis abſolveret, formam ſervi aſſumpſit Phil. *2, 6. 7. 8.* ad id egeſtatis redactus, ut, quò reclinaret caput, non haberet Matth. *8, 20.* Et hæc eſt regis hujus dignitas, adventus autem, de quo jam agit propheta, hæc eſt forma, *equitans* eſt *ſuper aſinum*) חֲמוֹר enim terminatione maſculinum genere hoc unico utrumq; ſexum, ut alia animalium & volucrum nomina complectitur, utpote πῶλον) *id eſt, ſuper pullum, ſilium unius ex aſinabus*, ut ita non quivis etiam vetulus, ſed tantùm juvenculus intelligi poſsit aſinus, quemadmodum ſuprà declaratum eſt

Ιησοῦς

Obj. Eſt ſalvatus.

R. 1.

2.

3.

חֲמוֹר *eſt epicœnum*

cum est prolixiùs. Si quis autem hic objicit, de Messia prædici, quod summa cum majestate in nubibus cœli venturus sit Dan. 7, 13. illum monemus, ut inter adventum in carne & in gloria, illumq; ad patiendum, hunc ad judicandum distinguat cum scriptura. Quid verò, quod ne asino vehi aut asina, olim fuerit ignominiosum, sed etiam à viris magni nominis magna cum dignitate usurpatum Gen. 22, 3. Num. 22, 21. Jud. 1, 14. & 10, 4. & 12, 14. 1. Sam. 25, 20. 2. Sam. 16, 2. & 17, 23. & 19, 27. 1. Reg. 2, 40. & 13, 13. 23. Judæi autem hîc cum nobis objiciant, quod si Christus fuisset verus Messias, non usurum eum fuisse animali immundo, suam produnt inscitiam pariter ac malitiam, siquidem Exod. 13, 13. ad sacrificium asinum adhibere tantùm fuit interdictum, cum alias salvâ conscientiâ eo liceret passim uti, quemadmodum ex allegatis constat. Si quis etiam quærit, cur, cum sæpè Christus Jerosolymam ingressus sit in diebus carnis, adventus hujus sub extremum vitæ tempus qui contigit, tantùm mentionem facere hoc loco Zacharias voluerit: respondemus, quod illa maximè in scriptura prædicta sint, quæ ad ipsam passionis historiam pertinebant, cujus erat hæc θεοφιλανθρωπία, siquidem hîc maximè eluxit illa Dei charitas, qua dedit pro nobis filium, & Christus in mortem se obtulit.

Obj.

R.

Asino vehi olim erat dignitatis.

Obj. Asinus est animal immundum.

R. in sacrificio.

Q.

Vers. 10.] Subjicitur jam secunda exultationis causa, quod rex iste adveniens optimam Ecclesiæ constitutionem effecturus sit collatâ pace summâ, ubi (quemadmodum pluribus explicatum est Mich. c. 4, 1. 2. 3. 4. & 5, 4. 5.) à rebus terrenis, unde phrases ipsæ desumuntur, ad spiritualia bona, quæ istis describuntur, erigendi sunt

Spiritualia bona promissa.

sunt animi. Hanc enim promissionem de illius temporis felicitate dat Dominus, exulta filia Sionis, *nam excindam currus ex Ephraimo, & equos è Jerosolymis, excindetur etiam arcus bellicus*, faciam ut omnis curruum, equorum, aliorumq; bellicorum instrumentorum usus cesset in Ecclesia, pace constitutâ, quando gentes jam ad Ecclesiam vocatæ sunt Ephes. 2, 17. Esa. 11, 6. & 2, 3. 4. ille autem rex tuus, ô Sion, *pacem eloquetur gentibus*, hoc est, scripturæ stylo, non terrebit, ut rigidus Moses qui identidem inclamat, maledictus Deut. 27, 15. sed amicè ac mitissimè cum hominibus aget (quemadmodum phrasis illa loqui pacem, usurpatur Gen. 37, 4. Psal. 28, 3. & 35, 20. & 85, 9. & 122, 8. cui similis est, loqui ad cor, Gen. 34, 3. Es. 40, 2.) voce Evangelij læta eos ad se vocans Matth. 11, 28. blandis verbis ut pacem secum ineant, hortabitur, & pacem, quam promittit verbis suis amicis, revera afferet, pacem, hoc est, hebræorum more, omnem prosperitatem ac tranquillitatem. Poteritne etiam ista efficere? dicat quispiam. omninò, quia *dominatus ejus est à mari uno ad alterum, occidentali mediterraneo seu magno usq; ad orientale seu mortuum, & â flumine* Euphrate (qui ad septentrionem aliqua ex parte fluit) & hoc nomine κατ' ἐξοχὴν sæpè appellatur 1. Reg. 14, 15. confer complementum 2. Reg. 17. sic Esa. 7, 20. & 27, 12. Esd. c. 4, 5. 6. *usq; ad fines terræ*, puta contiguæ & tum cognitæ. confer Matth. 12, 42. & 1. Reg. 10, 1. qui erant ferè fines terræ sanctæ Gen. 15, 17. Exod. 23, 31. Deut. 11, 24. quando Salomo typus Christi regisq; hujus pacifici 2. Sam. 8. 1. Reg. 4, 21. & 9. cap. 2. Chron. 9, 26. prout pluribus declaratum est Joel. 2, 20. Amos 8, 12. Mich. 7, 12.

Loqui pacem.

Pax.

Flumen i. e. Euphrates.

Fines terræ sanctæ.

ubi

ubi tamen per terminos terræ sanctæ (quippe in quâ tum erat) tota Ecclesia circumscribitur sub umbra rerum istarum corporalium, more prophetis solenni, ut sæpè jam pluribus explicatum est, & illud in N. T. futurum hîc prædicitur, ut Christus, quando per prædicationem Evangelij, (quod operâ suorum Apostolorum in toto mundo prædicandum curabit) gentes ubiq; convertit, Luc. 24, 47. Act. 1, 8. Col. 1, 23. in toto terrarum orbe regnet, & ubivis gentium colatur ac adoretur, quemadmodum tempore nostri prophetæ Deus notus erat in tota Judæa Psal. 76, 2. 3. confer Psal. 72, 8. 9. Quia autem in toto hoc contextu est promissio quædam Evangelica, non tam de rebus corporalibus, quàm spiritualibus agit, & proinde perperam faciunt, qui hanc promissionem de pace civili seu externa intelligunt, & cum ejus complementum rarissimè appareat, veritatem ejus vocant in dubium. Ita enim Christus quando suos separat de mundo Johan. 15, 19. per accidens propter malitiam hominum non venit allatum pacem, sed gladium Matth. 10, 34. Ipsum autem regnum Christi in se spectatum est justitia & pax & gaudium in Spiritu S. Rom. 14, 17. & 5, 1. ejusq; cives, si fieri potest, quantum in ipsis est, pacem colunt cum omnibus hominibus Rom. 12, 18.

Non agitur hîc de pace corporali.

Vers. 11.] Quando vero dictum est, longè lateq; dominaturum tuum regem, ô Jerosolyma, ita velim hoc accipias, quod etiam ad te maxima hujus imperij redundet commoditas. nam *etiam tu* (quæ est apostrophe ad filiam Sionis, quam allocutus est propheta in initio versus noni, directa, cum pronomen hebræum נַם sit sine dubio fœmininum) supple ex præcedentibus,

Ecclesiam alloquitur Zacharias.

etiam partem habebis in hoc regno, imò per Christum regnabis Apoc. 1, 6. 1. Pet. 2, 9. per *sanguinem fœderis tui*, sanguinem, inquam, Christi seu Messiæ tui, quo abluta coram Deo splendidiùs nitescis, magisq; placebis, quàm olim ad montem Sina, quando V. T. sanciebatur Exod. 24, 8. Hebr. 9, 20. qui est sanguis N. T. Matth. 26, 28. longè præstantior omni sanguine animalium in V. T. eoq; typico Heb. 9, 13, 14. 15. Et his quidem verbis propheta agit revera de redemptione nostri, ejusq; λύτρῳ pretioso, videlicet filij Dei sanguine Act. 20, 28. quo sancitum est nobiscum fœdus novum, idq; inde facilè probari potest, contra Calvinianos, Pareum & alios, quia de futuro agit, ut ex præcedentibus liquet, & per hunc sanguinem beneficiorum hactenus commemoratorum tantùm reddimur participes. Sed cum hîc jam sit membrum seu comma quoddam versus absolutum, id quod accentus rebia demonstrat, non necesse est reliqua sequentia omnia de eadem redemtione nostri ex potestate Satanæ interpretari, quandoquidem longè melius omnia cohærent, si simpliciter, prout verba sonant, de liberatione ex captivitate Babylonicâ accipiamus, q. d. propheta post hanc ἀποστροφὴν καὶ ἀποσιώπησιν: dum ego dico de ijs, quæ in N. T. futura sunt abhinc annos aliquot, non est quod de complemento præcedentium promissionum quicquam dubites, respice saltem recens tibi præstitum beneficium, quo ex Babylone es educta, id quod tibi, quando promittebatur per prophetas, etiam ἐκ πᾶν ἀδυνάτων esse videbatur, & tamen jam promissa Dei apparere intelligis, quando Deus verè ita potest te alloqui: *Emisi*, quemadmodum promisi, *vinctos*

Hîc agitur de redemptione ex inferis,

non in sequentibus primariò.

tuos

tuos è cisternâ, in quâ nullæ sunt aquæ, hoc est, ex carcere Babylonico, in quo summa te premebat miseriâ, te eripui, liberamq; ad terram propriam redeundi tibi potestatem feci, quæ tamen omnia si quis typicè de inferno & liberatione ex eo per Christum, velit secundariô explicare, dicam ei nullam scribimus, Neq; verò si prius datam interpretationem sequamur, est hic nimis magnus saltus, sed ea connectendi ratio, quæ prophetis est valdè familiaris, quando à rebus corporalibus & præteritis argumenta ducunt ad res spirituales ac futuras probandas firmissima, ut homines ex ijs, quæ facta esse noverunt, de futurorum complemento certiores esse queant, dum sic colligunt: præstita est illa promissa liberatio, quod novimus, E. & hæc præstabitur, quod credimus: ubi notandum est Augustini l. 10. C. D. c. 32. dictum. Ita narrantur præterita, ut futura etiam prædicantur, quorum multa videmus impleta, ex quibus ea quæ restant, sine dubio speramus implenda & l. 22. C. D. c. 3. venient & hæc, sicut & ista venerunt, quæ incredduli non putabant esse ventura. & Cypriani de mortalitate: fiunt ecce quæ dicta sunt, & quando fiunt, quæ ante prædicta sunt, sequentur & quæcunq; promissa sunt. Deinde sanguis fœderis N. T. etiam suo modo pertinet ad liberationem ex captivitate Babylonicâ, quia nisi per Christum mediatorem intercedentem, ac sui sanguinis quondam effundendi meritum ostendentem factum esset, illa per Dei justitiam non potuisset finiri. quin etiam Christus suo sanguine omnis generis bona nobis peperit, siquidem in ipso tantùm sunt omnes promissiones certæ & Amen 2. Cor. 1, 20. Deniq; non fuit merum tem-

quæ typicè eò trahi possunt.

Ex præteritis de futurorum impletione concludimus.

porale aut corporale beneficium illud Judæis præstitum, quando ex captivitate Babylonicâ soluti redibant ad Ecclesiam, quandoquidem extra eam si mansissent, publicumq; verbi ministerium non recepissent unde ipsorum posteri salvari poterant? Rom. 10, 14. De Pontificiorum nugis circa hunc locum, quorum alij eum de limbo patrum, alij de purgatorio accipiunt, nil addimus, cum eæ sua se vanitate ipsæ refutent. Vide Chem. p. 3. ex. concil. Trid.

Cur de Pontificijs hîc nihil agatur.

Usus horũ duplex. 1. generalis,

Vers. 12.] Usus autem superiorum promissionum hîc ostenditur duplex; unus perpetuus omnium temporum per applicationem, in θέσει, ut ad Ecclesiam se omnes recipiant, in qua tuti esse poterunt: Revertimini ad munitionem vincti spei, quibus spes omnis nondum est præclusa, sed qui per vincula ac dura malaad spem in Deo ponendam excitamini, Job. 13, 15. gratuitis Dei promissionibus, malis, inquam, pressi ad munitionem, hoc est, Ecclesiam vos conferte, quam Deus ipse suo munit præsidio Psal. 46, 2. 6. & 126, 2. alter pro tempore illo, quo vivebat propheta, per veram explicationem, in ὑποθέσει, & nunc vos, quorum animi fluctuant, ac ferè à promissionibus divinis desciverunt, *revertimini ad munitionem*, quam vobis toties ostendi in Jerosolyma, vos *vincti spei*, qui acquievistis Dei promissionibus per prophetas factis, quum ad vincula raperemini, quod si factum à vobis fuerit, & verâ fide adhæseritis Ecclesiæ, quæ nunc Jerosolymis colligitur, tum *hodie* tibi *indico, duplum restituam tibi*, hoc est, satis multum. Ut enim latini omnia magna decumana, sic hebræi eadem vocant dupla vel duplicia. Es. 40, 2. & 61. 7. Jer. 16, 18. Jerosolymis igitur qui estis,

2 specialis.

Duplum i.e. multũ.

dura-

durate & vosmet rebus servate secundis.

Verum nonnulli nondum ibi sunt: de illis sic sentio. vide sup. 2, 6. 7. Si quid propter nomen meum inquit Dominus, dimiseritis, centuplicia recipietis Matt. 19, 29. quam ob causam etiam vos, qui adhuc Babylone desidetis, ad vestram redite patriam, ut nobis bene sit, siquidem Jehova defendit suum populum, & ei est circumquaq; murus igneus ib. v. 5. suamq; manum contra gentes agitat, ut sunt prædæ servis suis v. 8. 9. qui totus locus cum hoc diligenter est conferendus, siquidem scopus utriusq;, ut in Deo confidentes à vi externa non nimium metuant, cum DEus suos optime possit defendere.

Zach. 2, 5. 6. 7.

Vers. 13.] Declarat id porro h. l. propheta, quando ostendit, quando Deus populum suum, cum eundem & gravissimis bellis exercet, contra vires hostium confirmet, cum ipse sit q. arcus & pharetra Dei, quibus gentes, cùm vult, facillimè potest conficere, & felicissimum belli omniumq; malorum eventum præstare. Nam etiam tu, inquit, *quum tetendero mihi Jehudam, arcumq; implevero ex Ephraimo*, quum utriusque regni Judæ & Israelis ex captivitate reduces (cum enim utriusque regni fiat hîc mentio, iterum ex utroque quondam abductos à Deo esse reductos, qui voluerunt, hinc concludimus sup. 8. v. 14.) nova virtute induero, ac cum sint imbelles ac pauci contra hostes fortissimos ac numero plurimos mirabiliter ac divinitus armavero, ut sit Jehuda q. arcus à me adductus, quo hostes percutiam, & Ephraim quasi sagittarum pharetra, quippe ex quo milites depromam, quibus noceam adver-

Judæi & Israelitæ reducti sunt.

adversarijs, & cum ita *excitavero filios tuos, ô Sion* nuper
reædificare cæpta, & quæ sola atq; una nunc Judæos &
Javan. Israelitas contines, *contra filios tuos ô Javan*, eos nempe
qui ex Alexandri comitibus ex Græcia oriundis sunt orti,
infensissimiq; Judæorum hostes fuerunt, reges Syri atq;
Ægyptij, etiam tum, dico, *dissonam te*, ô filia Sionis, tan-
quam gladium potentis alicujus gigantis vel bellatoris
strenui, coram quo nemo potest subsistere, viresq; tibi
invictas præbeo, quæ omnia tempore Macbæorum com-
Quomodo etiam hæc possint accommodari. pleta sunt, ut ex eorum historia liquet. Quod si quis
hæc quoq; secundariò allegoricè velit accommodare ad
spiritualem regni Christi dilatationem, quæ facta est per
apostolos ex regno Judæ ac Israelis selectos, qui doctri-
nâ suâ velut infallibili arcu scopum salutis, qui est Chri-
stus cum suo merito tetigere, & quorum verbum est
quasi gladius anceps Heb. 4, 12. neq; ei repugnamus,
cum tantum de sensu verborum genuino ac literali, non
de quacunq; accommodatione, simus soliciti.

Vers. 14.] Quod autem hæc omnia virtute divinâ, &
non humanâ peragantur, ex victorijs maximè insperatis
fiet conspicuum. Nam *Jehova* ipse *contra hos* filios
Javan seu posteros ducum Græciæ, Antiochum, ejusq;
similes tyrannos, *erit conspicuus*, & qui antea non pate-
bat, ex operibus videbitur, (quemadmodum in scri-
Deus descendit. ptura Deus videri vel apparere, vel descendere dicitur,
quando præsentiæ vel potentiæ nova edit documenta)
quando prodierit velut fulgur (coruscans quàm maximè,
Velut fulgur sagitta Dei. beneq; polita, quæq; facilè perrumpit velut fulgur Nah.
2, 4. & 3, 3.) *sagitta ejus*, Dei nimirum, quippe quæ ejus
jussu à Judæis missa, ut Jud. 7, 20. gladius Jehovæ & Gi-
deonis,

deonis, *& Dominus Jehovi buccina clanget* ſuos milites animans Joel. 2, *1. 11.* velut imperator ſummus, *&*, id eſt, progredietur ſeu incedet intonans *procellis meridianis*, talem fragorem & nimbos emittet, ut quum procellas notus excitat, quæ magno impetu ruunt, ſiquidem auſter propter humorem & calorem aptiſſimus eſt gignendis turbinibus, ut meritò hunc populum alloquaris cum poeta:

Auſter turbulentus.

O nimium dilecte Deo, tibi militat æther,
Et conjurati veniunt ad prælia venti.

De plerisq; autem verbis & phraſibus quomodo Dei majeſtatem exprimant, & ad illam denotandam adhibeantur, dictum eſt pluribus Habacuc 3, *3. 4. 9. 11. 12. 13.* quem locum omninò, ſicut etiam Nah. *1, 3. 4. 5. 6.* Sir. *43, 14.* confer, & melius hunc intelliges, cum ibidem Dei ſuos defendentis, ac hoſtes eorum punientis deſcribatur potentia. Exemplum autem hujus rei habes inſigne Joſ. *10, 11.* 2. Sam. 5, *24.*

Hab. 3, 3.

Verſ. *15.*] Quorſum verò hæc tam multa? ut intelligatur ſaltem illud, *Jehova Dominus exercituum proteget eos*, proq; eis ſuis filijs pugnabit Pſal. *68, 22. 23. 24.* ut olim Exod. *14, 13. 14. ut* ipſi *comedant*, tranquillè fruantur rebus ſuis, hoſtiumq; ſpolijs, *poſtquam ſubegerunt* ſeu ſubjugarunt *lapides fundæ*, hoc eſt, hoſtes ſuos, in quibus olim erant multa funditorum agmina, quæ fundis & ceſtroſphendonis utebantur ac ſæpè tum pro optimis habebantut militibus Jud. 20, *16. & bibant*, hilaresq; ſe præbeant, *perſtrepantq; q. vino*, ac gratulantes animo ipſorum ita efferveſcente ac geſtiente ac ſi ferverent vino, exq; ebrietate ſpirituali, quæ eſt ob donorum Dei

Pij comedent

& bibent.

redundantiam lætitia & gratiarum actio Eph. 5, 18. 19. 20. quod ultimum membrum pro more V. T. sic exponit, *& impleant tum cratera, tum angulos altaris.* Solebant enim ita Deo prolixissimè agere gratias, ut sacrificiorum mactatorum sanguinem inderent crateribus, atq; ex illis ad quatuor altaris angulos profunderent Levit. 2, 2. 8. 15, & 7, 4. atque sic ipsi quoq; offerentes coram Deo suo lætarentur, unde libationes apud gentes ortæ sunt variæ. Atq; hic sensus scopo prophetæ melius quadrat, quam si illud comedere pro consumere, bibere verò pro hostium sanguine satiari cum Gualthero explicemus.

implebunt cratera & angulos altaris.

Vers. 16.] *Deniq;* quid attinet pluribus metaphoris rem istam explicare? dicam dulcidè, inquit propheta, *servabit eos* filios Sionis, & quotquot ex gentibus ad eam accesserunt sup. v. 8. & 9. *Jehova Deus ipsorum, die illa, tanquam gregem populi sui*, ut bonus pastor suas oves curat Psal. 78, 7. & 100, 3. Johan. 10. Sic ipse suos ex omnibus hostium insidijs, minis, viribus ac periculis eripiet, *quum lapides coronæ* seu coronarij, hoc est, trophæa coronario opere superiùs cincta & lemniscata, quæ posita fuerunt grato animo, ut sint liberationum præcedentium monumenta, *pro vexillis erunt*, ad quæ refugiant quoq; reliqui oppressi *in terris illius* populi sancti, qualia lapidea monumenta erecta esse legimus Gen. 28, 18. Exod. 17, 15. Joh. 4, 20.

Lapides coronæ.

Vers. 17.] Quia verò homines plerumq; Dei beneficia negligunt, propheta admirabundus exclamat, neq; numerari posse regni Christi beneficia, neq; satis pro dignitate laudari, cum tanta sit futura felicitas, ut satis nequeat

Felicitas

nequeat explicari, & tanta abundantia boni, ut ætas quoq; tenerior ad gloriam Dei prædicandam excitetur. *Nam*, Deus bone, *quantum erit bonum ejus, & quanta pulchritudo ejus? frumentum juvenes, & mustum virgines facundas faciet*, ut comedant & bibant affatim sup. v. 15. beneq; poti Deum suum laudent, in honore ejus propagando eloquentes, & ad bona opera fructuſq; pijs dignos proferendos idonei. utrumq; enim vocabulo hebræo נוב quod h. l. in textu est in Piel, optimè congruit, quia & abundè fructum proferre, & benè ac copiosè eloqui significat.

magnæ ab omnibus celebrandæ.

נוב

LOCI COMMUNES.

Ex vers. 9]

1. Filia Sionis filia Jerosolymæ] Finis politiæ Judaicæ à Deo solenniter institutæ, per reges Assyriorum & Persarum miserabiliter destitutæ, ac à rege cœlorum mirabiliter restitutæ, erat non ultimus, ut esset sedes certa, in qua Christus diu præfiguratus atq; desideratus tandem exhiberetur. Nam propterea à Juda non recessit virga, quin esset peculiaris ac à reliquis distincta tribus, (quippe ex qua oportuit prognasci salvatorem) donec venirent secundinæ ejus mulieris, quæ simul & patris & matris in his terris vicem erat sustentura Gen. 49, 10. Mich. 5, 2. Ebr. 7, 14. propterea lex ceremonialis & forensis usq; ad Johannem prophetavit Matth. 11, 13. & finis legis omnis est Christus Rom. 10, 4, qui dum novum fœdus instituit, antiquavit prius Ebr. 8, 5. 13. Hodie enim nulla est filia Sionis aut Jerosolymorum corporalis (ea enim planè devastata est Matth. 23, 38. Luc. 19, 44. 4. Esd.

Finis politiæ Judaicæ quidã.

ut ibi nascatur Christus.

Esd. 1, 30. 33.) sed superna Jerosolyma, quæ omnium nostrum mater, Gal. 4, 26. quam sequetur tandem nova descendens à Deo ex cœlo Apoc. 21, 2.

Omnibus datus Christus

cur non omnes salvet.

II. Eadem verba monstrant nobis, quibus hominibus Christi adventus prosit, nempe licet omnibus ille natus ac datus sit Es. 9, 6. Luc. 2, 10, tamen quia non omnes eum fide recipiunt, Joh. 1, 11. tantùm credentibus in nomen ejus dat hanc potestatem filios Dei fieri ib. v. 12, videlicet qui ex Deo nati sunt ib. v. 13. quod tantum fit ex verbo ac sacramentis 1. Pet. 1, 1. 23. Tit. 2, 5. Johan. 3, 5. hæc autem media quia tantùm sunt in Ecclesia, illi

non pater in cœlis cui non Ecclesia mater

& proinde filiæ Sion hic redemtor venit efficaciter Esa. 59, 20. 21. Rom. 11, 26. & huc spectant sequentia ἐμφαλικὰ pronomina rex TUUS, adveniet TIBI, quæ sunt notæ applicationis cum respectu acquisitionis Christi adventus, qui ad totum mundum pertinet Joh. 3, 16.

Christus affert gaudium verum,

III. Exulta, clange] Christus affert gaudium, demit metum, unde angelus super ipsius nativitatem, Luc. 2, 10. ne timeatis, ecce enim annuncio vobis gaudium magnum: super ipsius resurrectionem, ne timeatis vos: & ipse Christus, ne timeatis Matth. 28, 5. 10. quid turbati estis Luc. 24, 38. unde & hinc inde Ecclesia N. T. ad lætitiam excitatur Esa. 51, 11. & 60, 5. & 66, 10. Phil. 4, 4. Gal. 4, 28. ex Esa. 54, 1. Exultet jam Nabal in pecoribus suis 1. Sam. 25, 48. dives in divitijs Luc. 12, 16. 17. Haman Esth. 3. &c. Herodes Act. 12, 21. 22. in honore vano; epulo in luxu profano Luc. 16, 19. voluptatibusq; illicitis Rom. 13, 13. in formæ pulchritudine Iesabela 2. Reg. 9, 30. in vestitus decore Agrippa & Bernice Act. 25, 23. in brachiorum robore

non aliæ res mundanæ vanæ.

robore Goliathus 1. Sam. 17, 8. in sua violentia mundus antidiluvianus damnatus Gen. 6, 13. Pharao in crudelitate Exod. 1. 2. cap. alius in alia vanitate, pius in solo Deo verè exultat Luc. 1, 47. Esa. 61, 10. Psal. 118, 24. vide quæ diximus in Ps. 4, 7. 8.

IV. *Ecce*] Hominum animi torpent ad promissiones divinas, ut meritò cum Esaia dicat verbi divini minister c. 60, 1. surge, quia venit lux tua, & gloria Jehovæ super te orta est; vel cum Apostolo Eph. 5, 14. excitare, qui dormis, & illucescet tibi Christus. Exemplo est Daniel, qui cum ad angeli verba sopore obrutus jacebat in terra, ab eodem tangitur ac erigitur Dan. 8, 18. & 9. 21. *Homines excitandi sunt.*

V. *Rex*] Christus est suæ Ecclesiæ rex, cui à Deo patre est præfectus Psal. 2, 6. & plenaria gubernationis potestate præditus Apoc. 1, 18. & 3, 7. dominio ipsi in omnia concesso Psal. 110, 2. Dan. 2, 44. & 7, 24. 27. Luc, 2, 11. & 1, 32. 33. 1. Cor. 2, 2. 8. Col. 1, 13. Apoc. 19, 16. Jer. 23, 5. & 33, 15. Psal. 47, 3. 1. Cor. 15, 25. verùm regnum ejus non est de hoc mundo Joh. 18, 36. 2. Cor. 10, 4. licet illud pro ratione rudis populi in V. T. pro more imperiorum politicorum sæpè descripserint prophetæ. *Christus est rex Ecclesiæ.*

VI. *Tuus, tibi*] Fides est fiducia singularis, quæ sibi in individuo omnia Christi bona applicat, & ad se velut manu recipit Joh. 1, 12. Col. 2, 6. ut quisq; pius possit dicere cum apostolo, Christus tradidit semetipsum pro me Gal. 2, 20. & cum Thoma Joh. 20, 28. Dominus meus & Deus meus, cum Davide Psal. 23, 1. Dominus pastor meus, & Psal. 27, 1. Dominus lux mea, quem timebo? unde toties in cantico canticorum, osculetur me, trahe me, dilecte mi, amicus dilectus meus, ecce te. quemad- *Fides sibi bona applicat.*

modum etiam Christus Ecclesiæ sponsus præit Esa. 61, 10. Exultat anima mea in Deo meo, qui induit me vestibus salutis, pallio justitiæ amicivit me, & Christi mater sui filij imitatur vocem Luc. 1, 46. 47.

Gratia Dei præveniens necessaria.

VII. Adveniet] Quia hic rex ad nos adventurus dicitur, cum nos ad eum ex nostris viribus venire non poteramus, ut fatemur in explicatione articuli tertij, primò quod requiratur ad hominum conversionem & erectionem gratia perveniens, facilè intelligimus Psal. 21, 4. & 59, 11. & 79, 8. nam sine Christo nihil facere possumus Jos. 15, 5. & nemo potest venire ad Christum, nisi pater traxerit eum, putà per verbum, unde fides concipitur Jos. 6, 40. 44. 45. deinde quia sponte ac non rogatus venit, suam nobis probat misericordiam, ipse enim delet defectiones nostras propter se Es. 43, 25. & in eo commendat Deus suam charitatem, quod, quum adhuc eramus peccatores, Christus pro nobis est mortuus Rom. 5, 8. 10. cujusq; benignitas ac φιλανθρωπία apparuit non propter opera justa, quæ nos feceramus, sed secundum misericordiam suam salvavit nos Tit. 3, 5. tertiò quia Christus venit ad nos invocatus, veniamus nos ad eum vocati, & audiamus hîc, venite afflicti Matth. 11, 28. Johan. 7, 34. ut post etiam audiamus, venite benedicti, nec audire cogamur, ite maledicti Matth. 25, 34. 41. denicq; quia venit salvatum quod perierat Matth. 18, 11. ovem perditam, drachmam amissam, filium prodigum Luc. 15. veniamus ad eum, siquidem venientem ad se nequaquam extrudit Joh. 6, 37.

Dei misericordia.

Nos veniamus vocati.

Christus justus.

VIII. Justus] Cum inter homines ne unus quidem erat justus Psal. 14, 3. Rom. 3, 10, Christus venit justus,

stus, quem Deus proposuit placamentum per fidem in sanguine ejus ad demõstrationem justitiæ suæ ib. v. 24. 25. confer Rom. 4, 5. oremus igitur cum Daniele, penes te, Domine, est justitia, penes nos pudor faciei, non propter ullam justitiam nostram deprecamur te, sed propter miserationes tuas amplissimas, & propter Dominum c. 9, 7. 17. 18. & cum nullus homo justus erat in terra qui faceret bonum, & non peccaret Eccles. 7, 21. venit Iehova justitia nostra Ier. 23, 6. 1. Cor. 1, 30. Audis legem quæ in te accusat injustum, vides hic regem, qui illud in te excusat, justum.

IX. Salute præditus] Ex nobis est nostra perditio, ex Deo vero salvatore nostro est salus nostra Hos. 13, 9. penes quem est salus omnimoda, hujus & futuræ vitæ Psal. 3, 9. 1. Timoth. 4, 8. corporis & animæ 1. Thess. 5, 23. *Ex Deo salus.*

X. Pauper] Christus omnium rerum Dominus pauper factus est, ut nos ditaret 2. Cor. 8, 9. & quia nos oportet fieri conformes imaginis filij Dei Rom. 8, 29. non ægrè feramus paupertatem 1. Timoth. 6, 7. 8. cum illa à Deo separare nos nequeat ibid. v. 35. sed potius nos ad ipsum confugere compellat, ut filium prodigum Luc. 15. Lazarum Luc. 16. quum dicere talis necesse habeat, sum pauper & egenus, sed Dominus cogitat de me Psal. 40, 18. qui sibi dereliquit populum pauperem ac tenuem. Sophon 9, 12. elegitq; non multos nobiles, sed infirma mundi 1. Cor. 1, 26. 27. 28. pauperes verò in hoc mundo, sed divites in fide Iac. 2, 5. *Christus pauper.*

XI. Insidens asino, idq; pullo nato asinabus] Cum Christus pullo asinæ indomito insidere voluerit, præterquam quod ita humilitatem suam indicet Matth. 11, 29. cum non- *Christus est humilis,*

& omnipotens.

non delectetur hîc equi potentia Psal. 147,10. & omnipotentiam, cum creatorem hunc suum indomitum animal statim admiserit, seq; ei humiliter subjecerit, ut meritò dicat Christus cum propheta paululum immutatis verbis ad Iudæorum cæcitatem se convertens: Agnoscit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui, Israel autem non agnoscit, populus meus non animadvertit Es. 1, 3. & proinde meritò ut flagellum equo, & frenum asino adhibetur, ita virga tergo horum stolidorum Prov. 26, 3. de qua Luc. 19, 42. 43. 44. Etiam hæc meditari hîc piè possumus, quod asinus notet nostræ naturæ immunditiem (ad sacrificia enim quod spectat, pro immundo animali habebatur in lege) tarditatem & stoliditatem, quæ omnia quando jam erat Christus expiaturus sua passione & morte, asino advehi voluit, ut discceremus, per ipsum solum, postquam eum admisimus rectorem, nos mundari à sordibus, excitari & illuminari in cordibus. pullus vero quod idem erat indomitus, significat, gentes quæ jugum legis hactenus ignorabant sub jugum Christi esse ducendas Act. 15, 10. Matth. 11, 28. Abraham quidem ad Deum adscensurus in montem, asinum cum servis infra montem relinquebat Gen. 22, 5. hic vero Abrahami filius & semen benedictum asini pullum in montem olivarum per arduum iter adducit, & postea in monte Dei sancto, & urbe Ierosolyma sistit, ita ut ipsi vestes & frondes subjiciantur. Sic Christus hominem per baptismum & verbum regenitum viâ augustâ & arduâ cogit ire in montem olivarum, ubi oleo spiritus inungitur, dummodo pedibus conculcet & spernat hujus mundi fastum & luxum, suosque affectus exuat,

Asini immundities tarditas, stoliditas,

Cum pullo conferuntur gentes.

tan-

tandem in monte Dei sancto, novaq; Jerosolyma eum sistit &c.

XII. Ex toto vero h. l. discimus I. quemadmodum ex præsentia regis mundani oritur plerumq; lætitia, ita ob præsentiam hujus regis cœlestis, qui omnis generis bonis suos ditat, maximum oritur gaudium Psal. 4, 7. 8. & 73, 25. 26. ut canant de salute ejus, & in nomine Dei sui utantur vexillis Psal. 20, 6. II. quod oportuerit in Christo impleri, quæcunq; de eo erant prædicta Luc. 18, 31. & de hoc loco Matth. 21, 4. cum quo confer locos Evangelistarum parallelos supra citatos. III. In Christo rege nostro esse duas naturas, divinam, quæ nomine regis Psal. 2, 7. Salvatoris Es. 33, 22. & 35, 4. & quod nobis venisse legitur Es. 9, 6. indicatur: & humanam, quæ ex visibili præsentia ac ingressu, de loco in locum progressu, paupertate, & jumenti cui insidet, vilitate, probatur. unde IV. etiam status regni Messiæ nostri elucet, cujus in hoc tempore gratiæ facies externa plerumq; miserabilis 1. Cor. 15, 19. post vero improbis erit mirabilis Sap. 5, 1. 2. 3.

Ubi Christus, ibi lætitia.

Vaticinia implētur.

Christus θεάνθρωπος,

quale ejus regnum.

Ex vers. 10]

I. Pacem loquetur] Christus est pacis autor, qua de re vide Mich. 5, 5. L. C. 1. pacem paravit cum Deo supra nos, contra infernum infra nos, contra mundum circa nos, contra conscientiæ morsum intra nos, ut meritò per ejus nativitatem Luc. 2, 14. & resurrectionem pax sit annunciata Johan. 20, 19. 21, 26. quia ille est rex pacis Heb. 7, 2.

Pax Christi.

II. Exscindam currus] Christus idem non tantùm suo tempore Ecclesiæ pacem externam dedit, quemad-

modum etiam tempore Augusti, cum Janum Quirini is clausisset, natus est, sed etiam cum gentibus pace facta univit Ephes. 2, 14. 15. 17. & ipsa Ecclesia ratione sui armis externis non utitur 2. Cor. 10, 3. 4. sed πανοπλίαν τὴν θεοῦ assumit Eph. 6, 13. hoc tamen non impedit, quò minus Ecclesia injustè ab hostibus oppressa ad arma conclamet, & se defendat, quod alterius loci est declarare pluribus & contra Anabaptistas asserere. Vide quædam in hanc sententiam (neq; enim probamus omnia) satis bona apud Bell. l. 3. de laicis c. 14.

Pax Christianorũ, quandoq; ex bello.

Christi regnum.

III. Dominatus ejus à mari] Christus habet regnum amplissimum. ubicunq; enim sunt, qui nomen Domini invocant, ipse est in medio eorum Matth. 18, 20. illi autem non tantùm sunt in N. T. Jerosolymis Joh. 4, 21. sed in omni loco 1. Cor. 1, 2. Col. 1, 23. 1. Tim. 1, 8. Tit. 2, 11.

Ex vers. 11.]

Fons bonorum fœdus Dei,

I. Tu autem per sanguinem fœderis tui] Monemur hîc, quis sit fons, unde omnia ad nos promanent beneficia divina, tam corporalia, quàm spiritualia, nempe quod Deus fœdus nobiscum inijt, idq; per sanguinem sui filij, confirmavit Hebr. 9, 12. 14. quo nobis dato, quomodo non omnia cum ipso daret? Rom. 8, 32. ut meritò fateamur cum apostolo, quod per Christum omnes promissiones sint ratæ 2. Cor. 1, 20. absq; quo est Deus nobis ignis consumens Deut. 4, 24. Ebr. 12, 29. De fœdere autem N. T. nobiscum inito vide præteralia multa Hebr. 8, 6. 8. ex Jer. 31, 31. & nunc justificati per sanguinem Christi salvabimur à ventura ira Rom. 5, 9. cumq; per fidem in Christum simus filij Dei, cum ipso etiam regnabimus.

N. T.

bimus in gloria Rom. 8, 17. qui ipsum non rejecimus in gratia 2. Cor. 6, 1. 2.

II. Emisi vinctos tuos] Deus, qui ex captivitate Babylonica reduxit populum suum corporaliter, etiam suo tempore Gal. 4, 4. fecit redemptionem populo suo Luc. 1, 68. quando Christus dedit animam suam λύτρον pro multis Matth. 20, 28. imò ἀντίλυτρον pro omnibus 1. Timoth. 2, 6. ut justificemur gratis ex gratia Dei per redemptionem illam, quæ per Jesum Christum parta est Rom. 3, 24. quæ omnia per comparationem à minus ad magis facilè possunt ex scriptura amplificari. illi à regibus Ægyptijs, Assyrijs, Persis, nos omnes à Diabolo captivi detinebamur; ille ad tempus, nos ad servitutem æternam; ille tantùm corpore poterat affligi & occidi, nos corpore & anima; ille in carcere & ergastulo detinebatur, nos infernali palude. unde etiam patere arbitramur, quomodo non omninò neq; simpliciter rejiciamus eorum sententiam, qui ad liberationem ex inferno hæc accommodant: tantùm illud non probamus, quod quidam primariò & literali sensu hunc locum agere de descensu Christi ad inferos asseverant, cum tamen in hoc textu Christus loquens de eo, quod futurum erat, non introducatur. *Liberatio Judæorũ & mundi.*

Ex vers. 12.]

I. Revertimini ad munitionem] Turris robusta est nomen Jehovæ, quò accurrens justus in edito collocatur Prov. 18, 10. ut meritò de illo possit dicere David, tu fuisti receptus mihi, turris robusta adversus inimicum Psal. 61, 4. Jehova petra mea & propugnaculum meum, rupes mea, ad quam me recipiam Psal. 18, 3. proinde ô *Ad Deum confugiendum.*

qui exaudis orationem, ad te usq; omnis caro ventura est Psal. 65, 3. dicat igitur quisq; afflictus sibi, quid dejicis te anima mea, spera in Deo Psal. 42, 6. 11. redi anima mea in requiem tuam, cum Jehova beneficus sit erga te Psal. 116, 7.

Speremus dum spiramus.

II. Vincti spei] Ne abjiciamus fiduciam nostram, quæ magnam habet præmij retributionem Ebr. 10, 35, 36. & gloriemur in afflictionibus, cum afflictio pariat tolerantiam, tolerantia explorationem, exploratio spem, spes autem talis non pudefaciat Rom. 5, 3. 4. 5. ejus scilicet, qui exemplo Abraham præter spem in spem credit Rom. 4, 18. hic enim spe est salvatus Rom. 8, 24. dum spiritu ex fide spem justitiæ exspectat Gal. 5, 4.

Pietatis præmium.

III. Duplum restituam tibi] Pietas est magnus quæstus 1. Tim. 6, 5. siquidem Deus bene retribuit suis cultoribus, Matth. 19, 29.

Ex vers. 13.]

Succesſus in bellis à Deo.

Quum tetendero mihi Jehudam, excitavero filios tuos disponens te tanquam gladium potentis] A Deo est omnis fortitudo bellica & felix in bellis ac prælijs succesſus, quade re vide quæ diximus Joel. 2, 7. adde autem quod tum demum hîc sit sperandus, quum Deo autore illa suscipiuntur exemplo Israelitarum Jud. 20, 18. Davidis 1. Sam. 30, 8. nam quæ injussu Dei subeuntur, sæpè sunt infelicia, vide Num. 14, 43. 1. Reg. 22, 17. 35. Etiam hoc notæ, quod bellum in pœnam peccati immittatur Levit. 26, 24. 25. Deut. 28, 25. 49. Es. 5, 25. 26. Jer. 5, 15. Ezech. 5, 12. & 14, 17. 2. Sam. 24, 13. bellis autem pressi humiliter ad Deum clamemus ex Psal. 79, 1. Deus ingressæ sunt gentes in possessionem tuam. & porrò, ne recorderis adversus nos

Ipsa immittuntur à Deo.

Preces in eis fundendæ.

iniquitatum præcedentium temporum, festinantes præveniant nos miserationes tuæ v. 8. 9. ita quisq; ad verum Elisæum, hoc est, Deum Salvatorem accedat, flensque ante faciem ejus dicat, pater mi, pater mi, currus Israelis & equites ejus. ipse vero tum imponet manus suas manui nostræ, & efficaciter dicet, sagitta salutis Jehovæ contra hostes 2. Reg. 13, 14. homines vero per se nihil possunt etiam in hisce, nisi Deus vias corum secundaverit, Jud. 20, 21. 25. (ubi vide Luth. in marg.) 28. & direxerit hæc instrumenta bellica, arcum, sagittam, gladium, quandoquidem ut sagitta ad manum robusti, ita sunt pueri Psal. 127, 4. & milites sunt velut virga Dei Esa. 10, 5. ne itaq; dicat quispiam ex illis: Virtute manus meæ feci, & sapientia mea v. 13. respondebit enim Dominus, jam gloriabitur securis contra cædentem ipsâ? an se magnificabit serra contra agitatorem suum v. 15.

Ex vers. 14.]

Victoriæ laus Deo debetur.

I. *Jehova contra hos conspicuus erit*] Hinc etiam sequitur, quod omnis victoriæ laus Deo debeatur. vide Soph. 3, 15. infra cap. 10, 5. unde etiam sæpius pauciss imis fudit plurimos, ne homines, quod in se gloriarentur, haberent Gen. 14. Jud. 7. 1. Sam. 14. per infirmos prostravit fortissimos Jud. 4. 1. Sam. 17. Judith. 13. & adhuc in militia spirituali ipsius potentia in nostra infirmitate perficitur 2. Cor. 12, 9. ut non in nobis sed Deo gloriemur v. 19. 1. Cor. 1, 31.

Miraculosa victoria.

II. *Progredietur procellis meridianis*] Quandoq; Deus miraculosè fundit piorum hostes, immittit fulgur, quo dispergat eos, emittit sagittas suas, quibus fundit eos Psal. 144, 6. ut testantur historiæ. vide Johan. 10, 11.

2. Sam. 5, 24. & eos, qui vitam Theodosij Imperatoris scripserunt.

Ex vers. 15.]

Deus protegit suos.

I. Jehova proteget illos] Deus benedicit justo, facitque ut benevolentia, tanquam umbo, circumtegat eum Psal. 5, 13. & 10, 14. 15. quia ipse est auxilium in angustijs præsentissimum Psal. 46, 2. proinde quisq; pius illa Davidis sibi succinat ex Psal. 62, 2. 3. tantummodo in Deo conquiescit anima mea, ab eo salus mea est, tantummodo ipse rupes mea est, locus editus meus, non diu movebor motione magna, ipse enim umbra nostra est, ut servet nos ab omni malo Ps. 121, 5. 6. 7.

Pij gustãt quàm sua vis sit Dominus.

II. Ut comedant & bibant] Sive edimus, sive bibimus, sive aliud quid facimus, omnia ad gloriam Dei faciamus 1. Cor. 10, 31. hominum quidem de mundo, quorum portio est in hac vita, ventrem implet Deus thesauro suo Psal. 17, 14. at pij gustant & vident Jehovam esse bonum Psal. 34, 9. & tandem satiantur gaudijs Psal. 17, 15. & 16, 11. beati igitur (nunc spe, olim re,) qui esuriunt & sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur Matt. 5, 6. confer Esa. 65, 13. 14.

Similitudines certo respectu adhibentur.

III. Strepentes q. vino] In similitudinibus tantùm videndum, in quo instituatur comparatio, ne ulterius illa extendatur, quàm Spir. S. scopus intendit, siquidem sæpè (quod quidam inconsideratè negant) à rebus malis certo respectu ad optima quæq; illa trahitur. Sic tantùm Dei alacritas ad puniendos hostes præfractos confertur cum intrepida ebrij gigantis in adversarium irruptione Psal. 78, 65. Dei voluntas, ut sua dona fructum ferant ampliſſimum cum injusti trapezitæ indefesso

fesso studio comparatur Matth. 25, 27. ita iniqui dispensatoris laudatur prudentia, non malitia Luc. 16, 8. Matth. 20. tantum attenditur, quod inæqualiter laborantibus æquale cesserit præmium. Ubi notandum Chrysostomi dictum homil. 65. in Matth. In parabolis non oportet nimiâ in singulis verbis curâ perangi, sed, cum, quid per parabolam intendat, didicerimus, inde utilitate collecta nihil ulterius anxio est conatu investigandum. & illud August. lib. 16. contr. Faust. c. 15. Cum simile aliquid dicitur, nequaquam ex omni parte atque ex omni modo simile intelligatur. Sic neq; Luc. 11. vicini morositas, neq; Luc. 15, filij perditi prodigalitas, neq; Luc. 16, dispensatoris iniquitas laudatur aut imitanda proponitur. Sic pro diverso respectu diversæ qualitatis in eadem re ea jam in vitio, jam in laude ponitur, nunc vitupetatur, nunc commendatur, Ecce columbæ simplicitas. Matth. 10. & vecordia Hos. 7. pueri simplicitas Matth. 18, & inscitia Eph. 4. ovis innocentia Es. 53. Matth. 25. & stultitia Es. 53. equi alacritas Jer. 8. Job. 39. & libido Jer. 5. leonis generositas Apoc. 5. & furor indomitus Sir 4. 1. Petr. 5, confer L. C. 2. v. 13. c. 3. Joel. *In bonum & malum.*

IV. Implebunt cratera & angulos altaris] Quando Deus olim in lege mandavit, ut sacrificia cum gaudio offerrentur, atque ita ut convivium simul institueretur Deut. 12, 5. & 17, 7. ut constat etiam exemplis probatis 1. Sam. 1, 4. Exod. 18, 12. modo caveatur nimius luxus, quem in exemplis damnatis videmus Exod. 32, 6. Num. 25, 2. docemur, non esse à Deo prohibitam moderatam lætitiam, etiam illam, quando ultrà satietatem quandoq; *Moderata lætitia licita.*

doc̃ edimus, & ultra sitim bibimus, tantummodo ne curemus carnem nostram ad pravas concupiscentias Rom. 13, 14. & ne saturati Deo recalcitremus aut ementiamur, dicentes, quis est Jehova? Deut. 8, 10. 11. 12. 13. 14. & 32, 15. Prov. 30, 9. memores nostri dicti germanici, trinck vnd iß/ Gottes nicht vergiß.

Ex vers. 16.]

Pij sunt Christi oves.

I. Servabit eos Jehova tanquam gregem populi sui] Pij sunt velut oves, quæ audiunt vocem pastoris sui, à quo per ministros verbi ducuntur ad saluberrima animæ pascua, qua de re alibi prolixius. nunc vide Psal. 23, & 100. Ezech. 34. Johan. 10, & quando errant, à Christo reducuntur Matth. 18, 11. Luc. 15, 4. 1. Petr. 2, 25. Psal. 119, 176. ac tandem in æterna tabernacula introducuntur Matth. 25, 33.

Monumẽta beneficiorum Dei.

II. Quum lapides coronarij erunt pro vexillis] Cum Deus beneficium aliquod nobis præstitit meritò cum Davide nostram animam alloquimur Psal. 103, 1. 2. benedic anima mea Domino, & ne obliviscaris ullius beneficiorum ejus, etiam monumenta quandoq; erigamus ad exemplum Jacobi Gen. 28, 18.

Ex vers. 17.

Vitæ æternæ perfectio.

I. Quantum erit bonum ejus, & quanta pulchritudo ejus?] Si propheta jure de tempore N. T. ita exclamare potuit, nos longè rectius olim cum rem habuerimus, cujus in illo spem concepimus, exclamabimus cum regina Sabæ, ne dimidium nobis dictum esse 1. Reg. 10. Matth. 12, 42. est enim hæreditas quæ non corrumpitur, nec contaminatur, nec marcescit 1. Petr. 1, 4. ubi (ut paucis complectar plurima) juventus sine senectute, liber-

libertas sine servitute, gaudium sine tristitia, gloria sine ignominia, cognitio sine ignorantia, abundantia sine indigentia, sanitas sine languore, securitas sine timore, satietas sine fastidio, pax sine dissidio. & brevissimè, Deus unus in omnibus omne.

II. Frumentum Juvenes & mustum facundas faciet virgines] Verbum Dei est cibus & potus animæ, unde illa in Deo spiritualiter inebriatur Psal. 36, 8. 9. & 23, 5. 6. *Verbum Dei satiat.*

III. Tandem si cui arriserit quædam allegorica hujus loci accommodatio, dabimus ipsi cum Gualthero hanc ipsam. Deus ex Jsraelitis & Judæis elegit apostolos, quorum operâ, ceu arcu, gladio & sagittis usus est, pugnaruntq; illi cum adversarijs Christi cominus gladio verbi, cum eos coram docuerunt, tanquam sagittis certarunt, quando eos per epistolas instruxerunt. atq; hi velut procellæ meridianæ celerrimè ac magna cum vi totum orbem pervagati sunt, velut tonitrui filij Marci 3, atq; ita gentium exteriorem hominem mactaverunt, ut interiorem vivam Deo offerrent hostiam, qui & ipse regenitus tandem incredibili perfusus fuit gaudio, quomodo ad Petrum iturum ad gentes Actor. 10. dictum, surge, macta. hos verò Deus tanquam oves in medio luporum conservavit Matth. 10. *Allegorica hujus loci accommodatio.*

CAPUT DECIMUM.

Argumentum.

PLerisq; interpretes in ea sunt sententiâ, in toto hoc capite allegoriam esse continuam, & sub involucris rerum notissimarum proponi regni cœlorum my- *Summa.*

mysteria temporis N. T. ejusq; felicitatis haberi in hisce expressam imaginem. quibus ut non omninò contradicendum existimo, sic nec in omnibus, præcipuè de prioribus ubi quæritur, ijsdem astipulandum arbitror. Propheta enim more suo præcedentes promissiones spirituales de regno Messiæ exornaturus easdem primùm confirmat præsenti aliquo gratiæ divinæ in re corporali (quæ magis incurrit in sensus, hominesq; movet. Vide quæ diximus ad v. 1. C. 9.) edito documento, & contrà impijs immissæ deportationis jam solutæ experimento. Postea v. cum ita animos auditorum commemoratis præteritis judicijs, & præsentibus beneficijs præparasset, ad promissiones superiùs factas redit, easq; graphicè depictas probè exaggerat, & beneficia regni Christi (de quo in cap. superiori) commemorat quomodo argumentum hujus capitis à Domino Wigando satis rectè in hunc modum positum esse legimus: Est repetitio prioris consolationis, quod Deus Judæis velit corporaliter & spiritualiter, præcipuè sub tempus N. T. benefacere. Atq; hoc statuere omnium est tutissimum, tum quod horum melior ita ostendi possit connexio, tum quod res ipsa huic explicationi responderit, (ut infra demonstrabitur) tum quod à litera ità non discedatur, scopus prophetæ idem servetur, & analogicæ accommodationi tamen in prioribus quoq; suus relinquatur locus.

ex D. Wigando repetita.

Ratio hujus sententiæ.

1.

2.

Partes capitis constitui possunt tres, quarum prima de Dei benedictione in terræ fœcunditate vers. 1. secunda de maledictione ejusdem super impœnitentes declarata in populi captivitate v. 2. 3. 4. 5. tertia de Ecclesiæ in N. T. ex Judæis ac gentibus futura collectione ejusq; protectione agit v. 7. Contrahi tamen illæ melius possunt

Analysis popularis partes tres.

Alia. Partes duæ.

in

partes duas, quarum prior est præcedentium promissionum de regno Messiæ in præcedenti capite factarum confirmatio v. 1. posterior earundem exornatio v. 6. Illa tractatur per comparationem & θεπκῶς à minus ad magis institutam, si Deus dat pijs tempore suo pluviam, corporale, multò magis dabit relrqua bona spiritualia v. 1. & ἀνπθεπκῶς tum à contrario ductam, si idololatras graviter Deus punit, suos cultores, suaviter amplectetur v. 2. tum ab exemplo petitam, quemadmodum ille antea punijt populi Jsraelitici principes v. 3. per hostes à se immissos eos duriter affligens v. 4. & 5. sic etiam deinceps: & proinde Deus ille pios beneficijs ornans, impios judicijs onerans colendus & rogandus est, ut, quas fecit promissiones, gratiosè compleat. Hæc (nempe exornatio) ita bona à Deo conferenda enumerat, ut complementum summũ ad Christi regnum pertineat. Sunt autem hæc, quæ pollicetur veris Jsraelitis, in gratiam eos recipiet & clamantes exaudiet v. 6. lætitiâ verâ afficiet v. 7. numerosos efficiet, multiplicando v. 8. in longinqua loca disseminando v. 9. & ex captivitate quacunq; reducendo v. 10. hostes eorum perdet vers. 11. & ipsos Christo, firmiter inseret vers. 12.

1.

2.

PARS PRIOR.

Occasio.

Vers. 1.] Quando propheta in superiori capite plurimus fuerat in exponendo futuri regni Messiæ statu, idq; procul adhuc aberat, & proinde ab auditoribus facilè in dubium vocari poterat, ad præsentia eos deducit, quæ etiam tum, cum futura promittebantur, non credebant, nunc tamen per Dei gratiam impleta videbant. Cum enim ex captivitate Babylonica reduces, templiq; & urbis

bis structuram negligentiùs tractantes magna agrorum sterilitas annonæq; inopia affligeret, Deus per prophetas Haggæum & Zachariam ejus calamitatis causam esse inobedientiam populi, modumq; effugiendi hæc mala per seriam mandati divini in ædificandis templo & urbe executionem ostendit, seq; si hanc exstructionem aggrederentur ac continuarent, deinceps ipsis benedicturum promisit, &, ut promissa appareant, fecit. Confer Hagg. 1, 6. 11. & 2, 15. Zach. 8, 9. 10. 11. 12. Hæc omnia Judæis in memoriam revocat propheta, quando sic effatur: *petite* precibusq; efflagitate promissionibus divinis freti, *à Iehova* Deo vero, qui in ipsis cœlis est & quicquid ei placet, facit, cum terricula & idola gentium sint vanitates vanissimæ Ps 115, 3. 4, Jon. 2, 9. infr. v. 2. petite v. *pluviam* maturam & satis commodam, quippe quæ fruges maturat (quomodo ipsum nomen hebræum מָטָר optimè cum latina ista voce convenit, confer Amos 4, 7) *tempore serotinæ*, quando jam segetes spicas produxerunt, & humectatione in locis his calidioribus maximè opus habent (qua de re, sicut & de ipsâ voce מַלְקוֹשׁ vide quæ dicta sunt Joel. 2, 23. & inspice Deut. 11, 14. Jacob. 5, 7.) quomodo huic pluviæ salutaria quæq; & & maximè commoda in scripturâ solent conferri Job. 29, 23. Prov. 16, 15. Hos. 6. 3. hoc loco autem sub una specie boni corporalis utilissimi reliqua omnia synecdochicè comprehenduntur, quæ sub panis quotidiani nomine continentur. Verùm à quo petenda hæc sunt? *à Jehova efficiente nimbos*, quibus mixta coruscatio (illa enim vocabuli hebræi חֲזִיזִים est ἔμφασις ut non tantùm ex locis similibus, ubi extat, Job. 28, 26. & 38, 25. verum etiam ex-

Causa malorũ, vita impiorũ.

מָטָר

מַלְקוֹשׁ

חֲזִיזִים

ex ipso ἐτύμῳ patet, siquidem est à Rad. חָזָה id est, vidit duplicatâ ad ἄυξησιν mediâ literâ, quibus accedit R. D. K. idem asserentis autoritas, ut certè sit φαντασιά maxima, quando nonnulli cum LXX. vertunt φαντασίας, & nivibus obductum ac constrictum pectus habeat, quisquis cum vulgato latino interprete explicat per nives, quæ nec mense Majo in terra sancta, (dubito v. num unquam sine miraculo cadere potuerint, neq; frugibus essent futuræ utiles) quod si feceritis, & vobis & alijs itidem infide rogitantibus vota perficiet, *ac pluviam imbriferam* (hebraice dicitur pluvia imbris ad ἄυξησιν, de quâ Buxt. libr. 2. Gr. c. 3. in observ. 6. de usu illius constructionis, mihi pag. 332) *dabit eis* (ubi etiam hebræis frequentissima personarum Enallage) *cuiq; scilicet herbam in agro suo*, ubi vox hebræa עֵשֶׂב generatim notat, quod viret in agro exculto, sive gramen, sive herba, sive frumentum id fuerit, nil interest. modo tale sit, quod grandius jam ad maturitatem properet, & semen ferè meditetur.

Pluvia imbris.

עֵשֶׂב

Vers. 2.] Meritò autem ab hoc Jehova Deo vero, uno & solo, Ecclesia bonum illud sibi dari petit, quia idola, ad quæ confugiunt alij temerè, sunt vana, eorumq; cultores miseri. Hanc verò admonitionem non sine gravissimâ causâ propheta tum temporis adjecit, quoniam Judæi cum alias semper ad idololatriam erant valde proclives, tum inprimis & ante captivitatem Babylonicam 2. Chron. 36, 14. & post eam huic fuerunt magnam partem dediti Jer. 44. Ezech. 8. & 16. cap. & in 1. lib. Macb. passim. Sed quæ est ratio, curà Deo vero panis qnotidianus petendus & exspectandus? hæc videlicet, *quia illæ imagines*, quæ hinc inde coluntur pro Dijs, *loquun-*

Quæ causa hujus admonitionis.

Idola vana.

quuntur vanitatem per suos sacerdotes, homines miserè seducunt promittentes montes aureos, cum ne plumbeos præstent, sed spem, quam concitaverunt, turpissimè fallant, *& divini* eorum idolorum singula accuratè observantes & inde futura conjectantes *vident falsitatem*, hoc est, id quod non se ita revera habet, cum Diabolus imaginibus ipsis objectis eos variè ludificetur, *& somnia*, quæ ipsi sibi immissa fingunt, *frustrà* de futuris *prædicunt*, *& vanitate* vanissimâ eos, qui consilij auxilijve expetendi gratia huc convolarunt, *consolantur*, incertioresque, quàm acceperunt, dimittunt. Quod ad vocabulorum hebræorum, quæ in textu, ἐμφάσεις spectat, tenendum, duo posteriora קֶסֶם, id est, divinavit, & חָלַם somniavit, esse ἐκ πᾶν μέσων, & tam de ijs, quæ à vero Deo verè, & quæ à Diabolo ad idola falsò revelantur, in scriptura accipi. Ne longum faciam, de illo in bonam partem accepto vide Proverb. 16, 10. Esa. 3, 2. in malam Deut. 18, 10. Ezech. 13, 6. Mich. 3, 6. 7. de hoc suo modo usurpato Joel. 2, 28. (ubi plura super hac re diximus) hac ratione adhibito Deut. 13, 3. Jerem. 23, 25. 32. Diabolus enim cum Deus hujus mundi sit 2. Cor. 4, 4. & Dei quasi simia etiam modos revelationum divinarum se æmulari posse Num. 12, 6. Job. 33, 15. suis persuadet. De תְּרָפִים autem ita breviter habendum. fuerunt imagines plerumq; idololatricæ figuram humanam habentes 1. Sam. 19, 13. quæ vel privatim ad cultum idololatricum Gen. 31, 30. Jud. 17, 5. & 18, 14. vel publicè Ezech. 21, 26. proſtabant, & de gravissimis rebus consulebantur. vide plura de his apud Riberam in c. 3. Hos. num. 20, 21. Verum quis eventus tandem horum omnium? hic nimirū,

קֶסֶם חָלַם *accipiuntur. in bonam. & malam partem.*

תְּרָפִים

pro-

propterea profecti sunt tanquam grex, & testificati, quod *non* esset ipsis verus ac bonus *pastor*, qui ipsos doceret, regeret, protegeret, quando scilicet in sensum reprobum primùm dati hinc inde velut palatæ oves in miserijs currentes vociferabantur (confer Matth. 9, 36) & postea velut oves mactationis in captivitatem abripiebantur suo pastore seu rege privati.

Grex, cui nõ pastor.

Vers. 3.] Quoniam autem maxima hujus invalescentis idololatriæ culpa penes sacerdotes residebat, qui suâ negligentiâ unumquemq; in rebus sacris sinebant suo abundare sensu, nunc subijcit Zacharias, quod nec isti impunè tantùm suâ culpâ factum damnum tulerint. *Contra pastores istos* duces & principes in utroq;, Ecclesiastico ac politico, ordine (vide Mich. 5, 2) *accensa est ira mea, & in istos hircos* fœtore, petulantia, libidine gregi nocentes quàm maximè *animadverti, nam* tandem *visitavit* (gratioſè videlicet, quod diversitas constructionis ejusdem verbi פָּקַד innuit. hoc enim quando cum עַל occurrit, in malam, sine eo cum est, in bonam partem accipi solet) *Jehova* Dominus *Exercituum* gregem suum (ut habetur pluribus Jer. 23. Ezech. 34.) nempe *domum Jehudæ, & disposuit hos ipsos, velut equum decoris sui in bello*, fecit eum fortem velut equum bellatorem, qui in prælia ruit intrepidus Job. 39, 22. 23. eumq; velut habenis ducet ad exequendam suam voluntatem, &, ut reges superbi suos equos magni faciunt, ita eum habebit in maximo pretio doniſq; ornabit, ut illi equum phaleris egregijs condecorare solent, & hoc etiam in pœnam illorum pseudoprophetarum, qui Judæis velut viliſſimo jumento sunt turpiter abusi, atq; ita erit hîc παρόλληψις versus 6. & seqq.

Sacerdotum negligentia.

פָּקַד

Pij Dei equus.

& seqq. non vero hæc de hostibus intelligenda cum Junio, quippe quorum hîc nulla in præcedentibus facta mentio, & textus hebræus non satis illam explicationem videtur admittere. addo quod in sequentibus duobus versibus de hostibus antea populo Dei divinitus immissis agatur. taceo, quod nostram sententiam firmet quoq; primò quod ut in præcedenti membro est ἐξήγησις, sic etiam more scripturæ solenni in sequenti: deinde quod pronomina duo emphatica ita longè melius rei congruant, & tandem quod Deus decorem suum ipsius impijs non concedat, licet robur quoddam illis indere soleat.

Junius refutatur.
1.
2.
3.
4.

Vers. 4] Unde verò dicat quispiam tanta tam subita facta est mutatio, ut qui modo opprimebantur, nunc alijs imperent devictis? à Domino hoc factum est, ait propheta, tum enim quando erat suo populo iratus, hostes immittebat & armabat; nunc verò placatus eosdem reprimit. Ab ipso Deo scilicet fuit *angulus* seu turris expugnatoria, quam in urbe expugnanda adhibuit Nebucadnezar (de voce hebræa vide quæ dicta sunt Soph. 1, 16. & 3, 6.) *ab ipso etiam clavus* tentorijs militaribus impactus, *ab ipso* etiam reliqua omnis generis arma & instrumenta belli, quæ hic synecdochicè dicuntur *arcus bellicus, ab ipso processit omnis exactor pariter*, qui tyrannicè populum tractare poterat vide sup. c. 9, 8. Et propter ultimam hanc particulam malo præcedentia ita explicare, quàm cum multis metaphoricè interpretari angulum Ducem in Rep. clavum omnem qui in magistratu est constitutus, arcum bellicum eorum ministrum, atq; ita q. h. l. dicatur, quæ bona Deus suo populo contule-

A Deo est angulus

clavus

arcus, exactor.

Firmatur superior explicatio.

tulerit in eo, dum ipsi dedit magistratum prudentem & rebus gerendis idoneum. quomodo non quadrabunt illis antecedentibus hæc sequentia, ab ipso processit omnis exactor pariter, quia ut illos dat ex gratia, sic hunc immittit ex irâ, non igitur pari ratione: scio alibi eadem vocabula præcedentia vel cognata ita accipi Jud. 20, 2. 1. Sam. 14, 40. Esa. 19, 13. & 22, 23. verùm num etiam h. l. non video, cum nec sciam, quomodo & ubi vocabulum exactoris in bonam partem usurpetur. Sed etiam hæc quæ sequuntur nostram sententiam confirmant.

Vers. 5.] *Et fuerunt* illi hostes populi Dei ab ipso armati *ut potentes* (heb. כְּגִבֹּרִים ubi כ non similitudinem, sed rem ipsam notat, quemadmodum aliàs sæpè, & ὡς in N. T. inspice quæ attulimus Obadi. v. 11.) vere fortes *conculcantes* suos adversarios ceu *lutum platearum in bello quum prælïabantur*, neq; id mirum, quia *Jehova cum ipsis erat*, hanc vim ipsis indebat, adeò ut *pudefacerent* inter hostes suos, quibus isti maximè confidebant, equites qui galeati *insidebant equis*, & spem magnam victoriæ ijs præbent, à quorum partibus stant, sic non tantùm hostes Judæorum ipsorum equitatum, sed etiam Ægyptiorum fuderunt vel fugaverunt, in quibus spem ponebant maximam Es. 31, 1. 2. Reg. 24, 9. Jer. 37, 7. quoniam Deus ita pro sua omnipotentia rem totam direxit.

כ *veritatis.*

LOCI COMMUNES.

Ex vers. 1.]

I. Petite à Jehova pluviam] A Deo vero petendus est panis quotidianus, sicut Christus docuit Matth. 6, 11. imò

Panis quotidianus à

Deo pe tendus.

imò similibus & ratione prægnanti ad id hortatus est Luc. 11, 5. & Salomo suo exemplo præivit Prov. 30, 7. 8. & in eo tempestas satis, animalibus & hominibus commoda. vide quæ in hanc sententiam dicta Joel. 1, 6. 10. 11. 17. & 2, 23. L. C. 2. & 24. Amos 4, 7. 13.

Pluvia tempestiva a Deo.

II. Et pluviam imbriferam dabit eis] Dei favor quandoq; etiam ex pluvia tempestiva cognosci potest Psal. 65, 10. & 67, 7. 1. Reg. 8, 36. quemadmodum hæc obedientibus Dei mandatis promissa est Lev. 26, 4. Deut. 11, 14. & 28. 12. & contra ob peccatum subtrahitur ibid. istic v. 19. hic vero v. 23. 24. vide hac de re Job. 5, 10. & 38, 26. 28. Psal. 147, 8. Jer. 10, 13. Matth. 5, 45. Act. 14, 17. quod si verò pluvia à Deo datur, non frustra aut temere decidit, ut multi opinantur.

Ex vers. 2.]

Idolorum vanitas.

I. Imagines loquuntur vanitatem] Considerandà hîc est idolorum vanitas, de qua Psal. 115, 4. & 135, 15. Es. 41, 29. vide quæ de illâ allata sunt Jon. 2, 9. Hab. 2, 18. 19. ex scriptura canonica maximè. Eadem tamen etiam in libris apocryphis graphicè depingitur Baruch. 6. Sap. 13. & 15. Neq; est quod quisquam putet, non necessarium esse, hæc nostris hominibus inculcare, cum apud nos nulla sint idola? age verò si non sunt externa templi ἀναθήματα, sunt interna animi ἀναθήματα, utpote ambitio, avaritia, confidentia Eph. 5, 5.

Divinationes exitiales.

II. Divini vident falsum] Divinationes ut à Deo sunt severè damnatæ Lev. 19, 31. Deut. 18, 11. Jer. 5, 30. 31. ita eis, qui his aliquid tribuunt, sunt verè exitiales Psal. 97, 7. quia judicia talia Deus reddit irrita Esa. 44, 25.

Somnia

III. Somnia vana loquuntur] Quemadmodum somnia

nia olim à Deo immissa fuere probè attendenda Num. 12, 6. Joel. 2, 28. ita quæ tali testimonio destituuntur, præsertim hoc tempore ultimo, quando Deus non amplius πλυτρόπως nobiscum loquitur Heb. 1, 1. sunt securè contemnenda Deut. 13, 1. Eccles. 5, 2. 6. Jer. 23, 16. 25. & 27, 9. & 29, 8. Sirac. 34, 1. Ex his vero tribus vanissimis rebus discimus, à solo Deo in ejus verbo petendam esse veritatem, Es. 8, 20. nam quum non est visio, nudatur populus, qui autem observat legem, ô beatum illum Prov. 29, 18. sunt enim hæretici fontes aqua consolationis carentes, nebulæ, non nubes roridæ, à vento agitatæ, arbores infrugiferæ 2. Pet. 2, 17. epl. Jud. v. 12.

Pleraq; vana.

A Deo veritas.

IV. Idcircò proficiscentes] Idololatriæ pœnæ tandem sunt bella, excidia, &, nisi agatur pœnitentia, æternum exitium. vide quæ dicta sunt Mich. 6, 16. & quomodo, qui illi dediti sunt, dum ducuntur, miserè seducantur Paulus describit 1. Cor. 12, 2. 3.

Idololatria malũ.

Ex vers. 2.]

I. Contra pastores istos accensa est ira mea] Sæpè à Deo graviter in illos animadvertitur, qui alijs præfecti sunt, quando hi suo non satis ritè, aut negligenter funguntur officio. Exemplo sunt Levitæ Exod. 32, 27. 29. Deut. 33, 9. & seniores populi Num. 25, 4. Eli. 1. Sam. 2, 29. ita verò si quid per supinam negligentiam perdunt verbi divini ministri punientur juxta comminationem severissimam Ezech. 3, 2. & 33, 7. cui multum datum est, ab illo multum requiretur Luc. 12, 48.

Qui alijs sunt præfecti, ubi peccant, puniuntur gravius.

II. Visitavit Jehova gregem suum] Deus tandem suos gratioſè visitat, ut promisit, tã in corporalibus Gen. 21, 1. quàm spiritualibus rebus Luc. 1, 68. 78. nunc enim in hoc

Visitatio Dei gratiosa.

seculo quasi absumus à Domino 2. Cor. 5,6. & sumus peregrini Dei Psal. 39, 13. &. 119, 19. olim autem erimus cives, siquidem πολίτευμα ἡμῶν ἐν οὐρανοῖς ὑπάρχει Philip. 3, 20. hac de causa, quando Deus jam declarat aliquo effecto, se nobis adesse, nos visitare dicitur, quemadmodum amicus amicum, quicum non habitat, solet visitare, se propiorem ipsi ostendere, ac suæ præsentiæ fructum aliquem indulgere, postea verò iterum ad suos abire. Interea verò si cupiamus à Deo propitio visitari, oportet nos esse non inter hircos, sed oves & gregem ejus, qui ingrediantur portas ejus Psal. 100, 4. vocemque ejus audiant ac pastorem suum sequantur Joh. 10, 4.

Sumus Dei equi
1.
2.
3.

II. Disposuit velut equum decoris sui] Tria monet potissimùm hæc similitudo: 1. Deum nos habere in magno precio, ut reges suos equos egregios 2. ut illi per hos se solent ostentare, ita Deum multa ac magna per pios gerere, quibus suam potentiam declaret, 3. nostrum esse, ne quem alium ductorem vel sessorem, qui nos regat, admittamus, quam solum Deum, & ne evadamus Diaboli mundiq; jumenta Psal, 32, 9. de quorum fine Psal. 50, 13. 21. confer ea quæ dicta sunt sup. c. 9. v. 9. L. C. undecimo.

Ex vers. 14.]

Bella sunt pœna.

Ab ipso Angulus] Bella à Deo immittuntur propter peccata populi Lev. 26, 24. 25. Deut. 28, 25. 49. Jud. 2, 14. & 3, 8. 1. Reg. 8, 33. Es. 5, 25. Jer. 5, 15.

Ex vers 5.]

Laus victoriæ debetur Deo.

Fuerunt similes potentibus, quia Jehova cum ipsis] Deo soli debetur omnis laus victoriæ Exod. 14, 4. 1. Chron. 17, 8. Psal. 3, 9. & 18, 48. & 108, 13. 14. Prov. 21, 31. Et si

cui

cui Deus adest in prælio, ille murum transilire, hostesq; fundere potest, ut suo exemplo declarat David Psal. 18, v. 30. 31. & à Jonathane edita strages probat 1. Sam. 14, 6. quem enim armat Dei omnipotentia, hunc nulla prosternet, aut saltem ei resistet, humana potentia Psal. 89, 18. quia Jehova est potentissimus bellator Ps. 24, 8.

PARS POSTERIOR.

Vers. 6.] Sed hæc quondam, cum Dei excandescentia fumabat: nunc autem idem bona verba proclamanda curat suo populo sup. c. 1, 13. 14. 15. dum sic ait: *Corroborabo autem* nunc viceversa, quos antea in terrorem conjeci & planè effœminatos reddidi, *domum Jehudæ, & servabo domum Josephi* seu regnum Israeliticum, in quo fuit non minima tribus Ephraim à filio Josephi oriunda (unde etiam nominatur Apoc. 7, 8.) quæque aliquando sola per synecdochen prò decem tribubus usurpatur Ezech. 37, 16. 19. Amos 5, 6. 15. & 6, 6. quandoque verò pro omnibus omninò tribubus sumitur Psal. 78, 67. & 80, 2. & 81, 6. Obadi. v. 18, atq; ita etiam h. l. omnium, qui ab Israele seu Jacobo descenderunt fit mentio, & proinde, nisi velimus in dubium vocare hanc Dei promissionem, itidem impletam in Israelitis ac in Judæis, denuò concludimus, quò etiam facit sequentis verbi hebræi non negligenda ἔμφασις, cùm dicit propheta ὑπὸ πνεύματος ἁγίου φερόμενος והושבותים composita nimirum voce ex duabus Radicibus יָשַׁב, id est, habitavit, & שׁוּב id est, reversus est, & utraq; in tertia conjugatione, ut innuat, facturum non tantùm Deum, ut revertantur Iudæi ex captivitate, verum etiam ut reducti ac reversi tranquillè in terra diu habitent, q. d. Deus, *reductos* à me in

Αντίθεσις.

Domus Josephi, tribus Ephraim

הוֹשְׁבוֹתִי

terram suam *tranquillè* in eâ illos *collocabo*. simplex enim verbum à יָשַׁב in hac conjugatione & cum hoc præ & affixo est Hos. 11, 11. וְהוֹשַׁבְתִּים à שׁוּב verò itidem eodem omninò modo infra reperitur v. 10. וַהֲשִׁבוֹתִים. quæ verò causa & reductionis, & in sua terra plantationis? nuda Dei misericordia in Christo data, quia (inquit Deus) *misereor eorum, eruntq; tam chari ac si non abjecissem eos, quia ego* sum *Jehova Deus eorum*, per Christum ipsis placatus *exaudiam eos*. quæ omnia licet de Israele, quod ad carnem, hoc est, Judæis dicantur, tamen quia hi (ut antea jam aliquoties dictum) tum temporis erant vera Ecclesia, ad hanc promissionum illarum complementum potissimùm spectat & adhuc durat. Si enim ad Iudæos in terram sanctam reductos ex captivitate Babylonicâ respicimus, lenia saltem apparent gratiæ hîc promissæ vestigia, eò quod ipsi sæpè & subitò denuo à Deo suo defiexerint. ad Israelem Dei itaq; seu eos, qui per fidem in Christum tales sunt, hæc pertinent & quotidie implentur à Domino cœli & terræ, quatenus is cum Adamo in exilium ejectos ac ex paradiso projectos in pristinã sedem restituit, & pro ijs, ut bona hæc sint propria, apud patrem semper intercedit. atq; ita sequentia eodem modo horsum applicari debent, quando sic porrò propheta loquitur.

Quæ dicuntur Judæis pertinent ad Ecclesiam.

Vers. 7.] *Et erunt* revera, *ut potens* quidam *Ephraimita*, qui heroicam virtutem factis exprimat, siquidem Ephraimi inter reliquas populi Israelitici tribus censebatur populosissima & in bellis maximè strenua Iud. 8, 1. 2. & 12, 6. sup. 9, 10. Psal. 60, 7. & 78, 9. quod etiam innuit ipsum vocabulum hebræum גִּבּוֹר, id est validus robore, qui

Ephraimita.

גִּבּוֹר

qui multos alios vincit seu antecellit, unde de fortissimis quibusq; usurpatum legimus Nimrodo Gen. 10, 9. Goliatho 1. Sam. 17, 51. imo inter Christi nomina ponitur, Esa. 9, 5. & enallage numeri idem indicat, quod quilibet ex illis sit futurus tam fortis, ut Ephraimita aliquis insignis Buxt thes. l. 2. c. 10. p. 389. Bene vero ipsis fortiter rem gerentibus omnia succedent, magnamq; exinde voluptatem capient, quoniam *lætabitur animus eorum q. vino*, quod propterea natum & datum, ut cor hominis lætificet Jud. 9, 13. Psal. 104, 15. Sir. 40, 20. h.l. tamen effectus similis in gaudio, non causa eadem intelligenda, ut supra c. 9, 15. *& filij eorum videntes ac fruentes eodem lætabuntur exultabitq; animus eorum in Jehova*, dante illa omnia benignè & clementer benedicente, non in rebus mundanis sup. 9, 9. Ps. 4, 7. 8.

Animus lætatur quasi vino.

Vers. 8.] Ne quis vero dicat, promittitur fore ut domus Jehudæ ac Josephi servetur: at multi Iudæi & Israelitæ adhuc sunt in Assyria & Persia? quid illis futurum? Respondet Deus, etiam illos (si modo vocem meam audire voluerint) facilimè congregabo leviſſimo sibilo, ut pastor suas oves sup. 2, 6. 7. (quod ad phrasin vide Es. 7, 18.) & illos, qui jam adsunt, valdè multiplicabo. quæ iterum de Israelitis primò intelliguntur, complementum vero ultimum in omnibus fidelibus ostendi poterit. *sibilans*, inquit Dominus, *ad eos* lenissimâ voce tantum dato signo, cum sine magno labore hanc rem possim conficere, *congregabo eos, quum redimam eos, & multiplicabuntur, sicut multiplicati* antea *fuerant*, ut ita adhuc promissionis Abrahamo factæ Gen. 13, 15. 16. & 17; 2. vigor appareat, quæ interprete apostolo Gal. 3, & 4. etiam ad

Deus sibilat.

ad omnes fideles suo modo pertinet, & tum in spirituali Israele maximè impleta est, cum & Christus ipse ita voce Evangelij sibilaret, venite ad me Matth. 11, 28, si quis sitit Johan. 7, 34. & apostoli, ejus jussu, in totum terrarum orbem eandem vocem propagarent Marc. 16, 20. Col. 1, 23.

Pij disseminati.

Vers. 9.] Sic etiam illa, quæ sequuntur, explicanda, cum dicitur, *Et disseminabo eos in populos*, ut semen quod dispergitur, non ut pereat, sed fructificet, quomodo & Israelitæ cum aliàs corporaliter in sua terra valdè se multiplicaverunt, & tandem post ascensionem Christi in cœlos cum magna aliorum salute sunt hinc inde dispersi, sicut patet ex Actis c. 2, 5. & 8, 1. 4. Iac. 1, 1. 1. Petr. 1, 1.

Dei recordari, obliviſci.

disseminabo vero *ut in longinquis locis recordentur mei*, aliosq; per Evangelij prædicationem recordari faciant (qua phrasi synecdochicè totus cultus divinus denotatur, cui de impijs usurpata opponitur, obliviſci Dei vide Psal. 6, 6. & 9, 18.) *& vivent cum filijs suis, postquam sunt conversi.*

Reductio ex Ægypto.

Vers. 10.] Atq; *ita* (respicit ad v. 8.) *reducam eos è terra Ægypti*, quò Iudæi confugerunt everso templo Ier. 44, 1. & 43, 2. & antea è decem tribubus multi, veniente Assyrio Hos. 8, 13, & 9, 3. 6. & *ab Assyria*, quò decem tribus sunt abductæ 2. Reg. 17. *congregabo eos in terram Gilhadis, & Libani abducam eos:* quibus duobus terminis orientali & septentrionali tota terra sancta synecdochicè hîc circumscribitur vide Num. 32, 39. Deut. 3, 12. Iohan. 1, 4. & taman hæc tota terra *non sufficiet eis*, quæ revera abundè impleta sunt in N. T. ut prædictum ab Esaia c. 49, 20. & 54, 1. Gal. 4, 27.

Terræ sanctæ termini.

Vers.

Vers. 11.] Quod cum ita sit, ne quis vel ob viarum difficultatem, vel regnorum, ad quæ pervenient doctores Evangelij, potentiam, fieri non posse existimet, audiat etiam hæc, quæ subijciuntur, quia eò, quod tam numerosa & copiosa erit Dei benedictio in Ecclesia, amplificabit populus Dei sedes suas, & q. missis colonijs Assyrios, Ægyptios, aliasq; gentes accerset, eosq; imperio Christi subdet. quod dum prædicit propheta, alludit ad historiam eductionis Israelitarum ex Ægypto, & sic ait: *Quamobrem transibit* Deus per *mare angustiâ*, idq; ipso mandante cedet, imò aufugiet Psal. 114, 3. 5. Esa. 11, 15. *& percutiet in mari fluctus, arescentq; omnia profunda rivi,* Nili scilicet (qui sæpè ita synecdochicè in scriptura יאור vide Amos 8, 8. appellatur) ut tam commodè possint intrare Ægyptum, ac si exarefactus esset Nilus, quemadmodum olim terram sanctam Judæi sunt ingressi, per mare rubrum & Jardenem exsiccatum introducti, & sic, cum

Populus Dei aliò traducit colonias.

יאור

omnia cogantur cedere prona Deo, *dejicietur* nullo negotio *fastus Assyriæ, sceptrumq; Ægypti amovebitur*, cum & ex his regionibus multi sceptro Christi se subjicient, & contra Ecclesiam ferocire desinent.

Vers. 12.] Tandem ne quis dubitet de impletione harum promissionum, cum hominum, per quos ea fieri debeat, imbecillitatem consideret, sic Deus concludit: *Roborabo autem illos in Jehova*, Christo, Ecclesiæ capite, *ut in nomine ejus continenter ambulent*, ac in vocatione sua sedulò administrandâ pergant, *dictum Jehovæ*, qui dicit & perficiet, viresq; invictas, ut supra v. 6. suis mini-

Ministri verbi à Deo roborantur.

ministris pronitit, eò quod multis tentationibus & periculis erunt subjecti.

LOCI COMMUNES.

Ex vers. 6.]

Credentes à Deo firmantur.

I. Corroborabo domum Jehudæ] Credentes Deus ita roborat, ut nil ipsis possit nocere, aut eos à Deo suo abstrahere (si modò ipsi se non subducant Ebr. 10, 38,) Rom. 8, 28. 35. 38. 39. sed ut omnibus longè superiores evadant in Christo ibid. v. 37, qui dat ipsis victoriam 1. Cor. 15, 57. ut Paulo, in cujus infirmitate potentia Dei ita perficiebatur 2. Cor. 12, 9. ut in confortante ipsum Christo possit omnia. Philipp. 4, 13. quemadmodum & pater credentium Abrahamus non fuit in fide languidus Rom. 4, 19. 12. sicut & plures alij, de quibus c. 11, Hebr. non enim tantùm Deus suos contra Diabolum corroborat Eph. 6, 10. verum etiam sæpe ijs robur contra hostes terrenos concedit, ut ex quibusdam jam allegatis exemplis patet. adde 1. Sam. 30, 6. 1. Cor. 15, 32. 1. Sam. 17, 45.

Fons bonorum Dei misericordia.

II. Quia misereor eorum] Fons omnium beneficiorum à Deo in nos collatorum est ejus gratuita misericordia, nullâ nostra opera Psal. 44, 4. 2. Tim. 1, 9. Tit. 3. 5. imò etiam inde omnia bona in malos proficiscuntur, ut ita ad pœnitentiam adducantur, pietatemq; colere incipiant Matth. 5, 45. Rom. 2, 4. 2. Petr. 3, 9. Act. 14, 15. 17. & 17, 26. 27. vide Joel, 2, 13. Hab. 3, 2. sup. 1, 6. ut meritò omnes fateamur, summæ benignitatis Jehovæ est, quod non sumus absumti, quia non finiuntur miserationes ejus Thren. 3. 22.

III. Eruntq; ac si non abjecissem eos] Jehova non mutat

tat Mal. 3, 6. & dona ejus sunt ἀμεταμέλητα Rom. 11, 29. adeò ut fœdus cum omnibus initum in initiationis sacramento ab ejus parte semper sit ratum, & manus ejus semper extenta Esa. 65, 2. dum sic inclamat perfidos, revertere aversa Israel, dictum Jehovæ, non faciam, ut irruat facies mea irata in vos, nam benignus sum. revertimini filij aversantes, nam ego conjugio junctus sum vobis Jer. 3, 7. 9.

Dei dona ἀμεταμέλητα.

Ex vers. 7.]

Erunt similes potenti Ephraimitæ] Cum dicit, fore pios similes Ephraimitæ potenti, id innuit propheta, non esse regnum Christi de hoc mundo Joh. 18, 36. & proinde neq; arma nostra sunt carnalia, sed divinitus valida 2. Cor. 10, 4. quia non est lucta nobis cum sanguine & carne, sed adversus potestates & spirituales improbitates Eph. 6, 12. de reliquis, quæ ex hoc versu notari poterant, dictum est supra c. 9, v. 9. & 15.

Regnum Christi nō est de hoc mundo.

Ex vers. 8.]

Sibilans ad eos congregabo eos, quum redimam eos] Christus est ille electus & dilectus Dei patris servus, qui non vociferatur, nec attollit vocem suam, arundinem quassatam non frangit, & ellychnium fumigans non extinguit Esa. 42, 1. 2. 3. Matth. 12, 18. atq; hic est ille bonus pastor, cujus vocem oves audiunt Joh. 10, 27. 28. etiam tum, cum lenem Evangelij sibilum edit, venite. hic enim ex Sion prodit Esa. 2. Mich. 4. & non cum tonitru, fulgure & clangore ut lex Mosis ex Sina data est Exod. 19.

Christi vox lenis.

Ex vers. 9]

I. Disseminabo eos in populos] Verbum Dei est velut semen

Verbum Dei semē.

semen spirituale, quod per spirituales agricolas agro cordis humani concreditur, isq;, si divinæ legis aratro prosciſſus, bonus fuerit redditus & contritus (qui Deo placet Psal. 51, 19. Esa. 57, 15.) Sole justitiæ affulgente fructum fert multiplicem, quæ parabola à Christo ipso explicatur Luc. 8, 11. ipsi vero palmites ex semine verbi Dei progeniti Joh. 15, 2. 1. Pet. 1, 23. sæpè ex uno loco in alterum transferuntur, ut fructum uberiorem faciant Psal. 1, 3. Tales fuerunt à Christo & apostolis paratæ plantulæ, quæ maximam partem in totum mundum cum magno Ecclesiæ ceu horti & paradisi Christi (ut in cantico canticorum declaratur) incremento disseminantur. vide quæ dicta sunt in explicatione textus. Confer 1. Cor. 3, 6. 7. 8. 9. Joh. 15, 16. & olim congregabuntur Matth. 13, 30. 43. dispersi filij Dei, tandemq; in horrea Dei ut semen optimum ac filij Dei per Christum redemti sup. v. 8, & Joh. 11, 51. 52. reponentur.

Pij Dei recordantur.

II. Recordentur mei] Pij semper Dei recordantur, in prosperis gratias agendo, in adversis orando; de præteritis & perpetratis peccatis solliciti dum accusantur in memoriam sibi revocant Dei misericordiam, in futuris & perpetrandis, ad quæ invitantur, sibi proponunt Dei justitiam, atq; ita Christianus quando cum Christo proponit sibi Jehovam jugiter, & hic à dextera ejus est, non dimovetur Psal. 16, 8. Act. 2, 25.

Ex vers. 10]

Reducam eos è terra Ægypti] Cum Ægypto & Assyria mundus hic optimè potest comparari. Ut autem ex illis se suos Dominus congregaturum promittit, ita adhuc suos de mundo seligit Joh. 15, 19. & facit, ut in pascua verbi

verbi divini deducti (Gilead enim erat regio pascuis abundans) Psal. 23, 2. velut oves Christi habeant πλεονάζον, id est, abundent Luth. das sie volle genüge haben / Johan. 10, 9. 10. in hac terra, & postea in montem Dei Psal. 15, 1. Ebr. 12, 22. (quod membrum comparationis suppeditat mentio montis Libani confer Psal. 92, 13. 14.) per Christum traducentur, longè gloriosiùs quàm David olim suos in arcem Sionis deduxit 2. Sam. 5, 7. 1. Chron. 11, 5. ubi & quis nomen Gilead, id est, cumulus testimonij, & Libanon, id est, albus, anagogicè velit explicare, & ad biblia sacra testantia de Christo, albasq; vestes, quibus Christus nos hîc inchoativè, in altera autem vita consummate induit, fieri etiam hoc potest.

Christi oves abundant.

Gilead, Libanon.

Ex vers. 11.]

I. Transiens per mare angustiâ percutiet fluctus] Quemadmodum Deus olim percusit fluctus in mari rubro & Jordane, ut cogerentur cedere ipsius populo; ita hodiè etiamnum omnia obstacula facilimè potest removere, & hostium, (qui propter copiam & impetum cum aqua in sacris literis conferuntur, Es. 8, 7. Jer. 47, 2. Apocal. 17, 15.) franget potentiam, nos modo ducem hunc per mare hujus mundi intrepidi sequamur Psal. 60. 14.

Deus facit ut cedant aquæ

i. e. hostes.

II. Deijcietur fastus Assyriæ, sceptrumq; Ægypti amovebitur] Hæc quoq;, quando dicitur, exaritura omnia profunda rivi, fastum Assyriæ dejectum, sceptrumq; Ægypti amotum iri, possunt ita ad nostra tempora accommodari quod quicunq; velit Christum sequi percutientem fluctus in mari, oporteat ipsi arescere omnia profunda rivi, cum ad solum fontem vitæ Christum currere, &

Accommodantur hæc nobis.

inde sitim suam sedare jubeatur Johan. 4. & 7. & porrò qui magnus est fastu suorum operum q. propter ea beatus sit, & se ita extollit Luc. 18, 9. 11. 12. 14. & 16, 15. necesse est ut dejiciatur ille, & hic humilietur cum publicano ibid. v. 13. & tandem decet se subducere sceptro Ægypti, hoc est, hujus mundi imperiò & delicijs Tit. 2. 12. confer Apoc. 11, 8.

Ex vers. 12.]

Christus non vult suos ociari.

Roborabo illos in Jehova ut in nomine ejus continenter ambulent] Ex Christo capite omne robur in pios membra ejus derivatur, non ut ipsi sint ocioſi (hoc enim in parabola reprehendit Matth. 20. 6) sed ut fructum multum ferant Joh. 15, 16. & in nomine veri Dei ambulent, id est, scripturæ stylo, in cursu pietatis progrediantur (vide quæ dicta sunt in Psal. 1, 1.) nec cum uxore Lothi subsistant Luc. 17, 32. Rectissimè enim dicimus ex Bernhardo. ut Luna (cui Ecclesiam in scriptura comparari alibi, nempe Psal. 8, 4. probatum est) aut crescit aut decrescit, nunquam verò eadem facie diu apparere solet; sic pij in pietate vel proficiunt vel deficiunt, in eodem v. statu diu subsistere nesciunt.

CAPUT UNDECIMUM.

Argumentum.

Summa.

Promissionibus miscentur minæ.

QUia bonis in Ecclesia visibili semper plures mali sunt immixti, Deus in vaticinijs prophetarum, promissionibus miscet minas, ut illos istis præmuniat ac confirmet, hos verò hisce terreat & ad frugem revocet. Eodem modo etiam nunc cum resipi-

sipiscentibus Ecclesiæ restitutionem magnificè hactenus figuris aliquot declaravit, & sic eos satis erexit, porrò pœnitere nescijs ruinam prænunciat, causasq; ejus exponit, nempe oppressionem aliorum, & Christi in carne manifestati, miraculis clari, beneficijsq; quam plurimis gentem Judaicam docendo & sanando ægrotos afficientis rejectionem sceleratissimam, quando cum triginta argenteis à Juda venditum emerunt & morte crucis afficiendum curarunt. Id igitur restare concludit, ut, cùm servari nolint, suâ culpâ mali malè pereant, quando Deus gloriam toties oblatam ac superbè spretam auferat, &, cum optimo pastori obedire noluerint, veniant pastores alij stultissimi ac crudelissimi, qui tamen & ipsi tandem debito afficientur supplicio. Scopus igitur est, admonere omnes sui officij, pios, ut in cœpto cursu pergere suo bono, impij ne in suo proposito persistere suo malo, sed ad frugem quam primùm redire velint, ne malis hîc prædictis involvantur ac miserè intereant. *Scopus.*

Partes constitui possunt tres I. agit de excidio templi, & politiæ Judaicæ παιδολεθρίᾳ II. causam hujus rei præcipuam exponit, nempe indignissimum Christi contemtum, qui cùm erat à Deo patre missus pastor optimus, suoq; pastorali officio fidelissimè fungeretur, tandem pro præmio reportat mortis supplicium, ad quod triginta argenteis emitur. III. pseudopastores venturos esse indicat, & cum mensuram iniquitatis suæ compleverunt, à Deo punitum iri concludit. Sed cum alijs dividemus hoc caput in duas partes, quarum prior sub allegoria à Libano sumpta excidium urbis Jerosolymorũ orbisq; Judaici summatim proponit, ita ut toti regioni, & *Analysis 1. partes tres 1. 2. 3.*

II. Partes duæ, 1. Excidium

ni & ejus incolis tam summis v. 1. quàm infimis, tam nobilibus & potentibus, quàm obscuris & infirmis seu tenuibus v. 2. & denique tam ijs, qui alijs præsunt, quam illis, qui sub eorum imperio degunt v. 3. interitum obventurum prædicat. Posterior autem idem judicium minutatim exponit cum causis antegredientibus & adjuvantibus aliâ allegoriâ à re pastoritiâ petitâ. Causæ antegredientes sunt præcedentium & præsentium in utroq; regimine, Ecclesiastico ac politico, præfectorum crudelitas, avaritia, hypocrisis v. 5. & populi hæc tacito suo calculo approbantis stoliditas v. 6. & in Christum verum suum ac benignissimum pastorem summa ingratitudo & impietas v. 12. causæ adjuvantes sunt futurorum pastorum in officio negligentia & perversitas v. 16. Ipsius autem judij improbis formidabilis, pijs vero grati & amabilis membra sunt tria, primum, cùm reliqui minus rectè suo fungantur munere in pascendo grege commisso, & proinde digni, qui eo abdicentur, vers. 5. Christi ad officium pastorale vocatio & institutio v. 4. in quo paucos audientes ipsius vocem salvat, reliquos vero contumaces perdit: secundum, ejus administratio in populo Judaico ante universalem Evangelij promulgationem v. 7. tertium, est judicij executio v. 8. id autem est duplex, videlicet & omnis boni, quo gaudebant, ablatio, & mali immissio v. 16. 17. Bonum illud erat, primò judiciorum Dei per legitimos verbi ministros revelatio (vide Psal. 147, 19. 20.) fideles igitur ex his & orthodoxos cum Deus sustulit v. 8. non amplius per illos judaicum populum Christus pascebat v. 9. quam abdicationem typo succisionis baculi jucunditatis figurat v. 10. & salu-

2. *Ejus causæ antegredientes,*

adjuvantes.

Judicium.

1.

2.

3.

Boni ablatio.

1.

& salutarem ejus rei in electis effectum indicat v. 11. hujus vero abdicationis justissima causa plerorumq; Judæorum in suum pastorem impietas, quando eum à se abitum minari, mercedemq; postulare animadvertunt, tantum abest, ut retinere studeant, aut præmium condignum reponant, ut triginta argenteis ad mortem emant v. 12. quod factum indignissimum meritò ille exaggerat & mercedem iniquam projicit v. 13. Secundò, bonum, quod Judæi habebant præ reliquis, erat per certas tribus populi distinctio & communium sacrorum participatio v. 14. cujus sublatio typo succisionis baculi devincientium ibidem explicatur. Denicq; mali immissio figuratur priùs instrumentis pastoris stulti v. 15. postea exponitur membratim, quos illud sit tacturum, nempe omnes subditi per suos præfectos v. 16. & hi vicissim divinitus consumentur v. 17.

Mali immissio.

PARS PRIOR.

Vers. 1.] Quando Judæi audiebant, quæ hactenus c. 9. & 10. de regno Messiæ futuro magnificè dicta sunt, ne illa de corporali felicitate aut potentiâ interpretarentur, urbi & regno eorum excidium denunciat, quod paulò post eventurum ait, quando illa, quæ suprà sunt prædicta, per Christum & apostolos impleta fuêre, ut eventus etiam probavit, (qui apud Josephum historicum potest videri,) siquidem crucifigentes Christum, ejusq; doctrinam furiosè persequentes in tantas calamitates se præcipitarunt. Propheta vero nunc fecialis personam susc ipit & nomine Dei bellum Judæis indicit per prosopopeiam ad Libanum directam, per quem synecdochicè totam terram illam intelligit & alloquitur:

Cur excidium Judæis denũcietur.

Per Libanum hîc terra sancta nota.

Aperi inquit *Libane januas tuas*, tua clauſtra montium & excelſorum crepidines ac vias, fauces, pylas & anguſtas beneq; obſervatas, quibus circummuniti tui aditus per ſaltuarium Libano præfectum, (ut olim à regibus Perſarum præfectum legimus Nehem. 2, 8. cuſtodem huic ſylvæ nobili,) *ut conſumat ignis*, hoc eſt, omnis generis calamitas per bellum illata vide Amos 1, 4. *cedros tuas*, hoc eſt, proceres magnificos, qui velut cedri inter reliquas arbores altitudine & præſtantia eminent, ita ipſi inter homines dignitate antecellunt, quomodo alias ſæpè ſcriptura populum quendam ſilvæ conferre ſolet, ſicut explicatum eſt Amos 2, 9. Libani autem, quia erat terminus Judææ aquilonaris, hîc fit potiſſimùm mentio, quia ab aquilonari parte omnia primùm occuparunt invadentes Romani, ſic pedetentim verſus metropolin Jeroſolymam & interiores Judææ partes ſunt progreſſi, quemadmodum ex Joſepho liquet. Scio alios voce Libani templum hîc intelligere, quoniam ex illo præcipuè ligna ad hujus ædificationem à Salomone fuerunt advecta. 1. Reg. 5, 5. 6. & exiſtimare, hoc vaticinium tum etiam impletum, quando vel repugnante Tito templum fuit incenſum. Verum cum ſequentia non ſatis faveant huic explicationi, ſcripturæ analogia non facilè poſſit oſtendi, & illa templi conflagratio in noſtra explicatione includatur, illam præfero. vide & confer. Eſ. 2. v. 8. 12. 13. Ezech. 31, 3. Eſa. 22, 8. Jer. 21, 14. & 22, 7. Ezech. 17, 3. Dan. 4, 8. 17. 19. in quibus locis ſylva pro domo & familia magnifica, cedrus vero & arbor procera ac magna pro rege aut magnatibus accipitur. Idem dictum velim de illa expoſitione, in qua per Libanum deno-

Ignis.

Cedri politicæ.

Non intelligitur hîc templum.

Sylva politica.

Non notat

denotari dicitur Jerosolyma, eò quod multæ domus in illa erant ex cedro ædificatæ, & quia ipsa propter ædificiorum splendorem ac ornatum, cum quis procul adhuc aberat ab urbe poterat videri לְבָנוֹן, id est, mons albus, siquidem non simpliciter conjecturis standum existimo, & Judææ quoq; ipsa urbs regia includitur, hujusq; cum illius excidio conjunctum erit. Sensus igitur hujus versus est, Judæa tota, cum omnibus suis incolis, velut divinitus accenso igne absumitur, malum vero ipsum ab aquilone veniet Jer. 1, 14. 15. sic autem propheta progreditur in sua prosopopœia allegorica. *hic Libanus Jerosolymam.*

Vers. 2.] *Ejula abies*, id est, popularis (quia illa est arbor vulgaris & minimi precij) *quia corruit cedrus*, & proinde si cedrus cecidit, quæ est longè excelsior & firmior, facilè conjecturam hanc nunc capies, quod tu stare nequeas, hoc est, ut propriè explicetur more prophetis solenni, *quia magnifici* seu præstantes in populo *vastantur* ad extremam miseriam redacti, quod græci benè verterunt, ὅτι μεγάλως μεγιστᾶνες ἐπαλαιώθησαν, & vos ô *robora Baschanis*, hoc est, potentes in populo provinciarum satrapæ & terræ vestræ columina, *ejulate*, ad immanem ploratum vos comparate Obadi. v. 5. *quia concidit silva vindemiæ* (vide Joel. 3, 13.) quæ, velut vites in vindemia nudantur ac spoliantur, ita omni suo decore, honore, divitijsq; exuitur, spoliantur infirmi cum summis, ut hi de illis, & vice versa illi de his miserè lugeant, ac denicq; omnes de communi malo valde sint solliciti. Erat autem Baschan regio fertilissima trans Jordanem sita, pascuis & quercubus insignis magnitudinis abundans, ideoq; pecoribus ditissima vide Deut. 3, 13. & conjunge, si placet, *Abies.* *Robora Basan.* *Baschan.*

placet, quæ diximus v. 1. capitis 4. Amos. fortè enim melius inde nonnullos scripturæ locos intelliges. Sed ad id, unde sum digressus, cum Zacharia redeo, & dico.

Pastores. Vers. 3.] *Vox ejulatus* seu planctus longè amarissimi (vide Soph. 1, 1.) *pastorum*, qui præsunt in Ecclesia & Rep. & si nominis omen ac mensuram implere vellent (inspice quæ de hoc nomine dicta sup. 10, 2, 3. Mich. 5, 2.) pascere populum debebant, hinc inde in Judæa auditur, *eò quod vastetur magnificentia eorum*, seu tota populi multitudo, in quâ est decor principum Prov. 14, 28. in qua gloria, superbia, dignitas, divitiæ eorum consistunt, & unde isti velut leones se magnificè ostentât hactenus. verùm deinceps cum sublata fuerit hæc jactitandi materia,

Leones. ex desolatione audietur *vox rugitus Leonum* seu eorũ, qui rerum potiuntur ac tyrannicè abutuntur (confer Mich. 3, 2. 3. Psal. 22, 22. & 91, 13. 2. Timoth. 4, 17.) *eò quod vastetur fastus Jordanis*, ad quem erant optima pascua, & ubi sunt homines pecoris dites, qui lactis abundant, & circa cujus adjacentes solitudines erant immanes leones. Ita autem hoc loco tota Judæa à fluvio ceu termino quodam orientali describitur, ut sup. v. 1, quodam septentrionali. nam in reliquis terminis nullum poterant Judæi habere perfugium, cum à meridie Ægyptus, & ab occidente mare magnum cum adjacentibus plerisque regionibus jam tum, cum hoc bellum, quod hic prædicitur, in Judæa fuit gestum, Romanis, à quibus inferebatur, parebat, atq; ita παντελθεία Judæorum notatur satis perspicuè.

LOCI

LOCI COMMUNES.

Ex vers. 1.]

I. *Aperi Libane januas tuas*] Res inanimatæ cum audire possint Dei vocem, ut Es. 1, 1. 1. Reg. 13, 2. Ier. 22, 29. vide Mich. 6, 1. 2. inprimis 1, 2. multò magis nos, quibus datæ sunt aures, quibus audiamus Luc. 8, 8. oportet audire & obedire, quod si non fecerimus, meminerimus, olim fore in judicio extremo ut ab illis accusemur & ad pœnam poscamur, ut August. alicubi pulchrè explicat tr. 12. in Iohannem. *Audiamus & obediamus.*

II. *Ut consumat ignis cedros tuas*] Nulla potentia est, quæ omnipotentem Deum puniturum possit impedire, qua de re cum alibi, tum Nah. 1, 6. Ioel. 3, 2. 11. Amos 9, 3. & munitiones nihil omnino tum prosunt Obadi v. 4. sup. 9, 3. *Nulla potentia adversus Deum.*

III. Ex toto autem hoc contextu discimus, quod Deus Christo exhibito, propter quem nasciturum, docturum, passurum & moriturum in Iudæa & templum illud secundum ædificabatur, & urbs ipsa ac terra restaurabatur, decreverit propter populi istius peccata nimis magna ista omnia evertere, totamq; politiam Iudaicam tollere, ut constaret jam illos typos omnes suum finem esse sortitos. *Christo exhibito politia Judaica sublata.*

Ex vers. 2.]

I. *Ejula abies, quia corruit cedrus*] Insigne iræ Dei indicium est, quando viros magnos magno numero ex aliquo loco simul tollit, vide Obadi. v. 8. L. C. 1. *Magnorũ virorum obitus.*

II. *Quia magnifici vastantur*] Deus hostibus utitur q; virgâ, quâ castiget ad frugem redeuntes, vel plane perdat *Hostes Dei virga.*

petdat immorigeros Es. 10, 5. & 30, 31. Thren. 3, 1. & penes ipsum est victoria sup. c. 10, v. 5.

Magistratum malũ Deus punit.

III. Ex hoc versu illud notandum, etiam magistratum improbum, qui nullum in his terris agnoscit superiorem, à Deo tandem puniri, qui inter hosce Deos vicarios judicat Psal. 82, 1. eosq; observat Eccles. 5, 8. & judicium severum exercebitur in eos, qui præsunt Sap. 6, 6. exemplo est Achab Nabothum injustè occidens 1. Reg. 21. Herodes interficiens Iacobum Act. 12. Manasses 2. Reg. 24. Inculcetur igitur magistratui politico illud Iosaphati 2. Chron. 19, 6. Deut. 1, 17. Eccles. 8, 9. Psal. 75, 3. Esa. 10, 1. Thren. 3, 35. 36.

Ex vers. 3.]

Per quæ peccas puniris.

Vox ejulatus pastorum eò quod vastetur magnificentia eorum] Quia hi crudeles & avari pastores multos injustis expilationibus & malis artibus concinnarunt antea lachrymantes, ipsis quoq; lacrumas excussum iri hîc prædicitur, ut verum esse videamus illud, per quæ quis peccat, per eadem punitur, vide quæ dicta sunt Obad. v. 1. L. C. 5. & v. 7. L. C. 2. & de pœna talionis ex scripturâ dictum est Ps. 7, 15. 16. Ioel. 3, 4. 8. Amos 3, 11.

PARS POSTERIOR.

Vers. 4.] Quia verò duo erant Iudæorum genera, imminente hac clade, futura, unum pauciſſimorum piorum, alterum reliquorum omnium longè impijſſimorum, illi ut negligentiam & pravitatem pastorum priorum (de quâ versu præcedente & sequente) indicet, alterius curæ commendantur, hi autem ob impietatem planè abdicantur. Ille verò cui Deus suos ita commendat

dat hîc typo juxta nonnullos est propheta Zacharias: verum ita ut quæ prophetarum more hîc velut facta narrat, & post multos demum annos eventura noverat, ex decreto Dei ad antitypum suum Christum ipsum pastorum omnium caput, & Ecclesiæ ἀρχιποίμενα referat, & illi oves verbo pascendos committat, quod porrò inde patet, quia 1. ipse de quo hîc est sermo, pœnas infert v. 6. 8. 2. irritum facit fœdus, quod cum Iudæis pepigerat v. 10. 3. est ille, quem ait ita venditum esse Evangelista v. 12. 13. quæ omnia tantùm Christo verè & principaliter, prophetæ non nisi in quantum ejus typus est & legatus, convenire possunt. ideoque tutius est de solo Christo illa accipere. de regimine autem politico nihil addit, cum Christus illud in carne manifestatus minister circumcisionis Cæsari ac magistratui politico reliquerit Luc. 12, 13. Matth. 22, 21. ut vel hinc Iudæi agnoscant, regnum ipsius non fore de hoc mundo. Sic igitur hîc in publicum prodit fidelis ille pastor & Episcopus animarum, & hanc sibi à Deo patre datam esse instructionem narrat, *sic ait Jehova*, hypostaticè accepto vocabulo de patre primâ Trinitatis personâ, *Deus meus*, qui me misit in hunc mundum, dedit, imò tradidit in mortem, & qui me secundum humanam naturam major Psal. 22, 2. Ioh. 20, 17. quia venisti quæsitum oves perditas domus Israeliticæ Matth. 15, 24. salvatum omne quod perijt Matth. 18, 11. 12. Luc. 15, 1. 2. filiosq; Dei dispersos congregatum in unum Ioh. 11, 52. Eph. 2, 14. age muneris tui partes diligenter obito, *ac pasce* paucas meas *oves has interfectionis*, hoc est, scripturæ stylo, mactationi à suis malis pastoribus destinatas, quæq; hactenus dum violentiæ

Christo hæ oves commendantur.
ratio 1.
2.
3.

Pater alloquitur filium.

Oves interfectionis.

lentiæ suorum pastorum exedentium gregem Psal. 14, 4. Ezech. 34, 4. Ier. 23, 1. fuerunt expositæ, nil aliud exspectare poterant, quàm mactationem. vide Rom. 8, 36. ex Psal. 44, 23.

Vers. 5.] Si quis rationem sibi dari petit, cur alij jam hæ oves pascendæ committantur, dabo ipsi longè justissimam, quoniam à suis pastoribus crudelibus avaris & hypocritis miserrimè sunt tractatæ, & tantùm non planè excoriatæ, cùm apud eos muneribus corruptos regnet expilatio & iniquissima judicia, quippe *quos* oves *possessores earum*, cùm pascere, & servare debebant ab aliorum injurijs tutas, ipsi *interficiunt*, *neq; habentur rei* propter illud flagitium, sed perpetratis istis sceleribus impunes abeunt, tanta est eorum autoritas, ut injuriæ tam atroces censeantur legitima potestas in hac causà injustissimâ, qualis debetur ex mandato divino regibus politicis in causâ justâ Gen. 9, 6. *& eorum, qui* pro libitu *vendunt ipsas* turpis lucri cupidi, atq; ita cum ipsis agunt, quasi justissimum in eos obtinerent dominium, cùm saltem essent ministri publici. Neq; satis habebant ita hominibus imposuisse, verùm & Deo ipsi putabant se posse illudere, quando *quisq;* eorum *dicit*, injustè partis divitijs, & per fas nefasq; congestarum opum autorem Deum sacrilegè blasphemo ore facit,

Pastores mali in politia & Ecclesia.

cum tacitus nummos jam contemplatur in arca, *benedictus* (inquit) sit *Jehova quod ditatus sim*, siquidem agnosco ex ejus benedictione me hæc habere omnia (confer Psal. 10, 3. & quomodo hæc impleta, vide Matt. 23, 14. 15. 16. 17. ac apud Iosephum passim) *atq;* ita *pascentium eas* (κατὰ δόξαν hæc dicuntur & de jure accipienda,

cum

cum verè dicerés, expilantium ac deglubentium eas) *nemo* quisquam *clementiâ utitur erga illas*, ita omnia sunt similia, & omnes congruunt

Noveris hîc unum, facilè cognoveris omnes, ita colludunt inter se in opprimendis alijs, atq; cumulandis bonis suis. Misera igitur illorum hominum conditio, quos, qui tegere & regere debebant, maximè lædunt: detestabilis autem eorundem ingratitudo, qui quando alius se ipsis offert vindicem, eum respuunt, & à se ejiciunt, ut postea videbimus.

Vers. 6.] Sed & alia ratio est, cur Christo, alio pastore, opus sit, & cur ipsi solas oves interfectionis (qui tales se esse agnoscunt, & pastoris veri vocem libenter audiunt) commendet, reliquas verò morti adjudicet, siquidem propter scelera pastorum populus est puniendus, quippe qui illis assentitur, atq; ita dum clades ingētes imminent, pijs reliquijs prospiciendum est, ut serventur. Eò enim jam res deducta est, ut non amplius pœnas tum differre Deus decreverit, cum istam mensuram iniquitatis suæ (de quâ postea) impleverunt. Et hæc sunt verba Jehovæ: quia nemo eorum utitur clementiâ, *proinde nec ego utar clementiâ amplius erga habitatores hujus terræ*, hoc est, Judææ, quæ sæpè ita apud prophetas denotatur particula demonstrativa, & tamen notatur, totum corpus & universitatem populi Judaici esse intelligendam, exceptis illis ovibus, de quibus supra v. 4. & 5. quid igitur jam faciet Dominus, qui hactenus connivere voluit, ita dicit; *sed ecce ego faciam, ut præsto sint homines* hujus terræ *alter in manu alterius*, tradam alios alijs perdendos intestinis motibus, quemadmodum Jo-

Qui assentitur malis pastoribus, punitur.

sephus factum esse narrat, cum alias, tum etiam, quando populus in tres partes divisus se mutuis vulneribus concidit de bell. Jud. lib. 6. c. 1, & 4. & faciam, ut sint *in manu* ac potestate *regis sui*, Imperatoris Romani, quem tum solum loco regis habere se insanè clamabant Johan. 19, 15. quibus internis & externis hostibus *contundentibus* ac miserè affligentibus vastantibusq; *terram hanc, non eripiam* quemquam, præter illas oves Christo commendatas *è manu eorum*, è quibus verbis Hieronymus probat, non futuram hanc captivitatem ad tempus certum, sed ad mundi finem duraturam.

Christi pastoris officium.

Vers. 7.] Hactenus Deus pater filium ovibus suis præposuit: sequitur nunc hujus officium, quod illis exhibuit pastione & ductu, quæ res ratione pastoritia figuratur. *Itaq;*, quia & Deus pater mihi dixerat v. 4. pasce oves has interfectionis, & tantis calamitatibus, de quibus v. 6. impendentibus, pastore vero maximè opus habebant, mandato ipsius ego filius Dei incarnatus obediens *pavi oves interfectionis, propterea quod* essent *pauperes gregis*, pauperes spiritu Matth. 5, 3. & 11, 5. pauperes quidem hujus mundi bonis non admodum abundantes, sed divites fide Jac. 2, 5. ita ut particula לָכֵן notet causam quandam θεοκατευθυντικὴν seu impulsivam, qua permotus Christus libentiùs pastorale illud officium in se susceperit, quoniam viderat oves interfectionis esse pauperes, coram mundo contemtos & abjectos, Matth. 9, 36. non verò facilè verterim cum Junio vos, aut cum alijs propter vos, siquidem nec constructio verbi רָעָה id patitur, & in ultima syllaba esset segol, nimirum לָכֶם, nisi quis dicat, esse Enallagen particulæ ל pro אֵת de qua Buxtorf thes.

לָכֵן

Junius refutatur.

thes. p. 428. lib. 2. c. 12. Reg. 1. in except. quò tamen si quis confugit, mihi illam hîc quoq; locum habere posse priùs probet necesse est, quàm ut astipuler ejus sententiæ. Modus verò illius pastionis hic fuit, *& accepi mihi duos baculos, quorum unum vocavi amœnitatis, & alterum vocavi devincientium,* sacrorum scilicet & legum, puta quatenus Judæi & Israelitæ, quamvis ex his tandem paucissimi, devincti & conjuncti erant communibus sacris & legibus, communi opera servirent Domino vide v. 14. & his *pavi oves illas*, quâ repetitione studij sui magnitudinem indicat. Quid verò per hosce duos baculos sit intelligendum, valdè discrepant interpretes, quorum nonnulli ut præconceptas suas opiniones tueantur, non verentur valdè temerario ausu certitudinem punctorum in voce hebræa חֹבְלִים in dubium vocare, & asserere, malè illa esse tandem addita à Judæis, cum olim istis biblia carerent, & scribendum ac legendum h. l. sit חֲבָלִים, id est, funiculos. Ita Gualtherus, Ribera & alij. Verùm quanquam biblia privata olim puncta non haberent, tamen publica illis nunquam caruisse ab alijs probatum est (vide Buxt. thes. l. 1. cap. 5.) & probatum facile dabimus, cum opus est & quid multis? affirmanti, olim in omnibus biblijs aliter fuisse lectum, quàm jam legimus, incumbit hîc probatio. nos his missis & enumeratione variarum sententiarum supersedentes ad rem ipsam nominibus illis duobus designatam declarandam accedimus, eumq; in recensione nudâ (dicente alicubi recte Scaligero) nulla sit subtilitas, nonullis temporis & chartæ prodigis hoc relinquimus, ut alienis variorum autorum plumis, dum sententias eorum enumerant saltem, ut

Duo baculi.

quid notent

חֹבְלִים

חֲבָלִים

Biblia hebræa fuerunt cum punctis.

Cur non recenseat hîc varias sententias.

videantur lectionis plurimæ, se ornent, & lectorem à se incertiorem quàm acceperunt, dimittant, quum nec ipsi in tantis opinionum divortijs, ubi pedem figant, quoq; se convertant, sciant. Ex omnibus reliquis maximè probabilis videtur Lutheri b. m. (quam & plerique orthodoxi interpretes sequuntur) explicatio, quod per baculum jucunditatis doctrina Evangelij, per baculum devincientium lex moralis designetur & notetur, utramque doctrinam esse in Ecclesiâ Dei jugiter exemplo Christi & apostolorum docendam. Verum quod pace tantorum virorum, quos meritò veneror, dixerim, quantumvis multa possint dici, quæ huic explicationi congruant, scopus hujus loci apertè reclamat. Loquitur enim de illis baculis, quos solus Christus ἀρχιποίμην ante se reperit, & post se nulli concessit, cum utrumq; succiderit v. 10. & 14. ita ut non superesset amplius, quæ est verbi hebræi גָּדַע emphasis. Confer Deut. 7, 5. & 12, 3. Jud. 21, 6. Psal. 75, 12. & 107, 16. Amos 3, 17. Deinde uterque baculus succisus irritum fecit aliquid, ut postea videbimus, quod legi quoquomodo ut quadret, Evangelio planè non competit, quippe quod & legem in N. T. stabilit Rom. 3, 31. tertiò annon per Evangelium fœdus Dei maximè ratum efficitur? vide Jer. 31. Heb. 8, 9. omninò, & tamen per baculum amœnitatis succisum id fœdus dicitur hoc loco factum esse irritum. quartò si baculo jucunditatis succiso demum agnoverunt verbum Dei pauperes seu fideles pauci, sine evangelio salvati sunt, quod est contra decretum in Synodo Jerosolymitanâ à Petro propositum Actor. 15, 9. quintò id inde sequeretur, quod & cum unoquoq; Christus primùm ex Evangelio, deinde ex

Plerorũq; est, notari Evangeliũ & legem, de quâ dubitatur.

Ratio 1.

גָּדַע

2.

3.

4.

5.

ex lege ageret, & quod Evangelium in V. T. magis & prius quàm lex viguisset, quod utrumq; probari non potest. Deniq́ loca, quæ alij citant tanquam παράλληλα, quæsitum non probant, cum sint alia apud hebræos vocabula, ut patet si quis inspiciat textum authenticum Psal. 23, 4. & 45, 7. & 110, 2. & cum hoc loco diligentius conferat. quibus omnibus, quemadmodum & pluribus alijs ex textu obortis dubijs rectè consideratis, sequitur tale quid hic per baculum amœnitatis esse intelligendum, quod ante Christi adventum Judæis adfuerit, eoq́ exhibito ablatum sit: hoc verò tantùm abest ut competat Evangelio, ut hoc tum demum in totum terrarum orbem & manifestius sit divulgatum ac prædicatum. vide Marc. 1, 1. Rom. 1, 2. & 16, 25. Eph. 3, 5. 9. Col. 1, 23. 26. 2. Tim. 1, 2. 1. Pet. 1, 10. Porrò si aliquanto studiosiùs inquirimus, quæ fuerit amœnitas in Judæis solis, inveniemus, quod juxta scripturæ analogiam intelligenda sit illa prærogativa Judæorum, quam habebant, in prophetarum dignitate, templi, ejusq́ sacrorum celebritate, terræ fertilitate, Deiq́ peculiari præsentia, per miracula sæpè demonstrata confer 2. Sam. 23, 1. Psal. 27, 4, Gen. 49, 15. Psalm 90, 17. quæ omnia Christo crucifixo & in cœlum sublato, Evangelioq́ ejus spreto planè inter Judæos esse desierunt. Etiam in genere de præstantia & amœnitate hujus populi, quâ antecellebat reliquis, vide Deut. 4, v. 6. 7. 8. Psal. 149, 19. 20. quibus omnibus si quis jam cum Junio velit adjicere, intelligi quoq́ gratiam & beneplacitum Dei conquiescens in populo ipsius (dum talis erat) per Christum prædicatione verbi declaratum, & hoc baculo amœnitatis figuratum, non repugno, & id quoque ex

6.

NB.

Judæorũ prærogativa.

Alia quædam excellentia.

ex Cant. 1, 16. & 7, 7. Act. 13, 46. confirmari posse adjicio. Sed de his satis: videamus quomodo sequentia nostræ faveant interpretationi.

Vers. 8.] In illis proponit judicium Dei, quo illam amœnitatem & benedictionem sustulit, quando ait in persona Dei propheta: *Et excidi tres pastores mense uno*, id est, eodem fere seu brevi scilicet tempore. Quinam & quando sint ita excisi juxta hoc vaticinium, inter se variant interpretes quàm maximè. Quidam (neq; enim placet enumerare eorum sententias, quæ non videntur probabiles satis) volunt denotari tria judicia summa, quæ apud Judæos vigebant, nempe triumvirûm, & duo synedria: sed malè, quia licet in his essent pastores, tamen maximam partem saltem politico regimini inserviebant, cum hic agatur potissimùm de ecclesiastico, ut patet ex antithesi pastionis Christi, & nomine baculi, & ipsa judicia pastores dici nequeunt. Neq; etiam cum Tremellio & Iunio facimus, qui existimant intelligi tria summa Doctorum apud Iudæos usitata genera, Pharisæorum, Sadducæorum & Essenorum (præter hos enim etiam alij quatuor ordines seu sectæ erant ibidem, scribarum, Hemerobaptistarum, Nasiræorum, Herodianorum, si modo vera sunt, quæ ex Epiphanio lib. 1, de hæres. c. 20. solent referri: Iosephus certè tantùm quatuor mentionem facit lib. 18. antiqui. Iud. c. 2.) Verum hi pastores non erant, nec, quod eorum remotio esset pœnæ loco futura, potuit prædici. Cum Luthero b. m. hîc potiùs standum, qui tres ordines gubernatorum in populo Iudaico intelligit, per quos amœnitas (de qua in versu præcedenti) & conservabatur hactenus & quorum

Tres pastores excisi, quinam & quando.

1.

2.

Secta apud Judæos.

3. *Lutheri.*

rum succisio à Deo iraso proficiscebatur, ut verba sequentia declarant, quæ de populo Iudaico accipienda, & cum versu sexto conferenda sunt. Sunt autem isti prophetæ, qui revelationibus & oraculis divinis; sacerdotes, qui legis explicatione & inculcatione; ac sapientes, qui consilio populum regebant Ierem. 18, 18. qui cùm Christo adventante omnes desinebant, hoc vaticinium impletum esse videmus. confer Matth. 11, 13. & 23, 13. 34. 38. Ratio autem hujus fidelium Doctorum populi subtractionis ac abalienati animi Dei à Iudæis subjicitur, quando Deus dicit, *imminuto animo meo*, hoc est, cùm alienato, exacerbato ac flagitijs ad iram provocato animo à plebe Iudaica abhorrerem (quam figuram vocamus μείωσιν, hebræis quoq; non infrequentem Iob. 1, 11. & 14, 17. & 33, 27. Psal. 34, 6. ut alibi pluribus exemplis probatum est) *propter illos ipsos*, non quidem simpliciter, aut quod ipse prius rescinderem initum fœdus, verum *quod etiam animus eorum fastidiret me*, mihiq; se opponeret, etiam contra me inito consilio, quomodo me occiderent ac Barrabæ latroni præferrent Matth. 27, 21. hebraicum verbum בָּחַל, (de cujus emphasi vide Buxtorf. in epit. Rad. in hac ipsa Rad. ne describendo aliorum scripta, aut compilando omnium scrinia magnos conficiamus Commentarios) satis benè expressere græci, quando verterunt, καὶ γὰρ αἱ ψυχαὶ αὐτῶν ἐπορεύοντο ἐπ' ἐμὲ, quibus verbis etiam sententia Tremellij, vertentis, quod animus eorum coqueret consilia in vel contra me, & Abenesræ, de qua Buxtorf. in loco citato, non repugnat, siquidem habet hoc verbum cognationem maximam cum בָּשַׁל, id est, coxit ad maturitatem confer. quæ diximus Ioel. 3, 13.

Μείωσις

בָּחַל

בָּשַׁל

Vers.

Pœnæ contemtorum Christi.

Vers. 9.] Exponit ulteriùs Christus, quæ pœnæ secuturæ sint illam abalienationem, nempe abjectio, gratiæ denegatio & mutuum hominum abjectorum odium atq; exitium, in quibus duabus posterioribus sunt tres illæ calamitates publicæ, pestis, gladius seu bellum, & fames prædictæ, eaq; omnia in obsidione urbis abundè, sicut etiam ante, esse completa narrat Josephus. *Et dixi, non sum pasturus vos* amplius per idoneos pastores, quales jam sustuli v. 8. neq; ipse immediatè vestri curam geram, sed sublatâ meâ virgâ ac curatione (ut sequenti versu typo indicatur) estote deinceps malis expositi, exteris & domesticis, usq; ad internecionem, & ut pergam in similitudine pastoris, abjicientis ac relinquentis pecora, ægrota (vide inf. v. 15.) *quæ moritura est, moriatur* (ubi

Benoni.

הַמֵּתָה Benoni pro paulò post futuro, ut aliàs sæpissimè ponitur, confer saltem Ezech. 18, 32. conjungè, si placet, quæ dicta sunt in Jon. 1, 3.) *quæ* suo vitio ac culpa vel negligentia *exscindenda est, exscindatur*, ita ut subitò è medio removeatur, nec videatur ab alijs, sed abscondatur, quæ est verbi hebræi ἔμφασις, & oves immorigeræ *reliquæ*, quæ his malis sunt superstites, *comedant altera carnem alterius*, sup. v. 6. quæ omnia sunt justissima Dei judicia, punientis Judæorum ingratitudinem, & ad voluntatis (sicut vulgo appellamus) consequentis alterum decretum, circa reprobatos quod versatur, spectant, sicut & similia loca Jer. 15, 2. 3. Apoc. 22, 11.

Visibile symbolum, ejusq; explicatio.

Vers. 10.] Subnectitur autem porrò superiorum minarum confirmatio à visibili symbolo, cujus explicatio est adjecta, quorum illud est adhibitum, quia magis incurrebat in sensus (quatenus propheta noster Christi per-

personam id temporis in typo gessit, sicut & infra v. 14. & 15. & externo aliquo facto, quæ longè post futura erant, adumbravit) & melius permovere poterat obstinatos; hæc verò adjicitur, ne quam ignorantiæ excusationem prætendant, q. nescierint, quid sibi illud prophetæ factum vellet, quod ut intelligi rectè queat, oportet recurrere ad v. 7. & inde petere, quis sit ille baculus amœnitatis, ut hîc sciamus, quid per ejus succisionem notetur. Cum igitur ibi sit probatum, simpliciter per eum Evangelium non posse intelligi, neq; hîc illud notabitur, quod plerique aliàs optimi Interpretes denotari existimant, Evangelium à Judæis ablatum, & gentibus datum iri, ut declaratur Matth. 21, 41. Luc. 7, 30. Act. 13, 46. Joh. 10. 16, ad Ephes. toto capite secundo. Sed illas prærogativas ablatas esse, quibus alijs gentibus præcellebant, de quibus supra, quibùs tamen ablatis etiam Evangelij prædicatio publica & solennis inter Judæos desinebat, ita tamen ut non omnes absolutè, neq; in æternum reijcerentur, ut explicat apostolus Rom. 9, 10. 11. capp. *Itaq;* (verba sunt Christi) cum imminutus erat animus meus propter illos, qui me adeò perversè aspernabantur sup. v. 8. *accipiens baculum meum*, baculum *jucunditatis*, & *succidi ipsum* atq; hoc modo *irritum feci fœdus meum, quod pepigeram cum omnibus populis istis*, hoc est, Israelitarum tribubus, qui tot videri poterant populi, quod erant tribus, quemadmodum vox populi usurpatur Jud. 5, 14. fœdus autem meum erat conditionale, si ambularent in vijs meis Exod. 19, 5. 6. Levit. 26, 3. Deut. 4. 6. 7. 8. 9. & 28, 1. & 29, 1, has verò jam reliquerunt, & propterea fœdus ab ipsis ruptum coram me fuit irritum, quod ex mea par-

Evangelium hîc simpliciter non intelligitur.

Fœdus Dei quomodo fiat irritum.

parte erat futurum perpetuum, & dona mea ἀμεταμέλητα Rom. 11, 29. quod etiam inde apparet quando ipsi, qui à me desciverunt, redeunt ad me per pœnitentiam, gratiæ janua non est apud me ulli præclusa, & fœderis mei ratio constat. vide Levit. 26, 44. 45.

Vers. 11.] Verum enimvero ita *irrito facto* per malos fœdere meo, quando præstare incipiebam, quæ antea minatus eram, & auferre illa, quæ jucunditatis nomine veniebant apud Judæos, *agnoverunt rectè pauperes illius gregis* sup. v. 7. reliquiæ piæ & parvæ ex toto populo Judaico *illi* scilicet, qui *observabant me*, meaq; verba bibulis hauriebant auribus, & non ad pseudodoctorum somnia attendebant, non fortuitò illa geri, sed à Deo ita gubernari, ut jam à Zacharia & tum à Christo fuere prædicta, *& hoc verbum Jehovæ esse*, quod fallere nequit, cumq; exitium toti Judææ & Jerosolymæ instare hinc certissimè colligerent, inde concedentes Pellam migrarunt, ut narrat Eusebius lib. 3. c. 5.

Vers. 12.] Præterquam verò quod me repudiabant mei Judæi Joh. 1. 11. aliud scelus longè atrociissimum admiserunt, quo meritò ad iram provocatus curam pascendi eos abjeci, & jucunditate sua privavi. Cùm enim jam in carne manifestatus inter eos versabar hinc inde homines viam Dei docens, & quocunq; transibam, benefaciens ac sanans omnes qui in diaboli erant potestate Matth. 22, 16. Act. 10, 38. pro his insignibus beneficijs id tandem mihi ab illis appositum est gratiæ, ut vilissimo precio emptum in crucem egerint & sustulerint ibid. v. 39. quomodo hîc diserte prædicuntur, quæ per Judam & Judæos postea sunt gesta, ut ex eventu & Evangelistæ testi-

Pro beneficijs quæ Christo relata gratia.

teſtimonio conſtat Matth. 26, 15. & 27, 3. 9. ubi cum Ieremiæ nomen reperimus, non eſt quod quis vel Evangeliſtæ μνημονικὸν vel omnibus amanuenſibus γραφικὸν ἁμάρτημα tribuat, vel ex margine in textum irrepſiſſe dicat, ſiquidem illa omnia ſcripturæ autoritatem authenticam convellunt, & in Spiritum S. ipſum hic lapſus recidit, nec rectè quis nodum, quem ſolvere nequit, ita ſecabit, 1. prophetias Ieremiæ & Zachariæ eſſe conjunctas, 2. aut ex libris Ieremiæ apocryphis etiam deperditis hoc allegari, 3. aut Zachariam fuiſſe in ſchola Ieremiæ, 4. vel hunc ipſi hoc vaticinium dictitaſſe, quandoquidem primò repugnat, quod apud Ieremiam quidem, figuli ſed longè alio modo quàm hic fiat mentio, nullo verò modo precium, de quo hic ſermo, indicetur. ſecundo obſtat nomen prophetæ adjectum, ſicut & tertio ac quarto. quanquam enim omnes prophetæ eodem Spiritu S. incitati ſunt locuti 2. Petr. 1, 21. tamen unus alteri (ita enim contradictio in adjecto) non præſcripſit aut dictitavit oracula, & qui talia ſcripſiſſet, à noſtris Concionatoribus non differret, & in ſchola prophetæ non diſcebant prophetarum filij oracula futura, quæ deinceps revelarent, ſed jam revelata audiebant explicari & ordinariè in timore Domini educabantur, non verò extraordinariè revelanda ibidem ab hominibus percipiebant oracula. Tutiſsimum verò eſt ut dicamus, ſiquidem hoc in ſcriptura ſæpè licet obſervare, quod fuerit binominis, præcipuè autem talia ſolebant ſæpè inter ſe permutari de uno nomina, quæ erant ſenſu ferè conjuncta, qualia etiam hæc duo, cum יְרִמְיָה exaltatorem Iehovæ, & זְכַרְיָה recordatorem Iehovæ denotat. Exempla cum alibi paſſim,

Matth 27. 9 quomodo Zachariæ fiat mentio.

1.
2.
3.
4.
5.
6.
7.

8.

fim, tum in prioribus aliquot capitibus prioris libri
9. Chronicorum occurrunt plurima. Et hæc hactenus juxta vulgò receptos conciliandi modos, à quibus diversum ostendit Sanctius in comm. Zachariæ (quem mihi in hoc littore Balthico videre nondum licuit, sed quicquid hujus est, desumpsi ex Philologia sacra L. Glassij pag. 198. 199. 200.) qui putat ipsum Ieremiam verè citari, quum locus ille Matthæi c. 27. ex duobus V. T. coaluerit ex Ierem. 32. & Zachar. 11. quomodo omnium rectissimè hic nodus solvi posse videtur, de quo aliàs, si volet Dominus. Verum his missis, quæ aliò spectant, ad oraculum nostri prophetæ revertimur, in quo Christus cur planè omnem patris de Iudæis plerisq; abjecerit animum, edisserit, nimirum quia tantum sceleris in se admiserunt miseri, ut cui promeritis condigna gratia referri nequibat, eum pessimè extinctum vellent & perderent, cum ita infit: *Dixeram enim illis*, indignans hominum ingratitudinem, & pertæsus laboris mei frustrà exantlati, *à vobis jam stat abire, pessimi, agite, quod ipsa æquitas flagitat, & quod nec homines improbissimi ijs denegant, qui ipsis fideliter inserviere, agite, si placet, & si bonum videtur in oculis vestris, date jam tandem mihi mercedem meam*, & cum servij liberaliter, quod visum fuerit præmij mihi persolvite: quod si tamen præter omne jus etiam mercedem debitam mihi denegatis, *& si minus* placuerit illam numerare, *desistite* saltem, non urgebo meum jus, nec instabo ulterius, sed Deo committam, cum scelus tam immane clamet in cœlum Deut. 24. 15. Jac. 5, 4. Illi verò (proh indignum facinus!) *appenderunt* mihi, pro more veterum, ubi signata pecunia

Christus petit sibi dari mercedem.

non

non ita erit in usu, *mercedem meam*, uti ipsi putabant & satis inique meam operam æstimabant, *triginta argenteos*. ubi non pugnant, cum hîc toti populo propheta tribuit, quod solos Sacerdotes & scribas effecisse narrant Evangelistæ, quippe qui soli cum Iuda hoc proditionis precio paciscebantur, siquidem una erat omnium ingratitudo & idem omnium in Christum odium, & totus populus postea sacerdotum illud scelus suo suffragio comprobavit Matth. 27, 20. 25. *Conciliatio.*

Vers. 13.] Tum *verò* rei indignitate *Jehova* Deus pater *mihi edixit*, ne accipias, sed *projce eos* conferendos *in figulum* אֶל־הַיּוֹצֵר, græci malè, εἰς τὸ χωνευτήριον, in conflatorium, quod quia differt sensu à textu hebræo authentico, Spiritus S. in allegatione dicti verba illa græca non retinet, id quod est contra eos notandum, qui existimant, totam illam versionem græcam à Spiritu S. esse approbatam, qua de re aliàs pluribus. *LXX. errant.*

Illud non est silentio hîc involvendum, cur h. l. Christo tribuatur, quod Evangelista narrat à Iuda referente triginta argenteos & ante pedes sacerdotum abijciente, ac his agrum figlinum ementibus factum esse. Non enim hîc cum Calvino lib. 3. Instit. c. 25, §. 6. sentimus, aut cum Beza in Notis ad illum Locum N. T. Matth. 27, 9. alijsq; horum complicibus statuimus, propterea hoc factum esse ut indicaretur, Deum illorum hominum voluntatem malam horsum flexisse, ut iste proderet Christum, hi autem emerent (tale enim quicquam in hoc versu non narratur) sed tantùm indicari, Christi providentiâ hæc omnia, licet mala, fuisse directa ad hunc finem bonum, cum Iudas cuperet argentum in suum usum convertere, *Cur Christo tribuatur, quod Judas fecit. Calvinus Beza errant.* *R.*

& sacerdotes mallent ad se recipere, tamen Christum, quanquam in summâ exinanitione coram Pilato consistentem, adegisse Iudam suâ omnipotentiâ, ut mercedem iniquitatis redderet, & sacerdotum animos permovisse, ne thesauro templi adponerent, verùm agrum figuli emerent. Cum autem audivisset Christus patris sui judicium de mercede illa vilissimâ, quæ nec digna, quam acciperet, ipse sic ironicè de eadem ait: egregium verò precium, dona ampla reporto! *magnificentia* scilicet *precij* hæc est, ô magnificum precium, *quo preciosè* satis *ab illis æstimatus sum. ita accipiens illos triginta argenteos projeci eos in domum Jehovæ*, conferendos *in figulum*, qui vilissimo precio solet operari, suaq; opera quam minimo vendere, ut ita hoc precium vilissimum contemtissimo daretur opifici.

Vers. 14.] Ne quis verò sibi persuadeat, posse fieri, ut, quemadmodum ante Christi adventum cum sæpè res Iudæorum erãnt afflictæ & accisæ, semper tamen ad aliquem statum Reip. se denuò emerserunt, ita etiam deinceps cum hæc abjectio, de qua v. 6. 8. 9. jam esset completa, vires tandem recolligerent, & ad eadem sacra convenirent, tribubus adhuc distinctis, & unaquaq; suis chiliarchis instructa Mich. 5, 2. postquam à Romanis sunt superati, hanc potestatem eis postea ademptum iri, nunc porrò significat, dum sic verba facit: *Postea* quam Iudæos suis prærogativis spoliaveram, *succidi baculum meum secundum*, nempe baculum *devincientium*, cujus operâ hactenus sustentati conjunctis operis suam politiam retinebant, qui erat certa tribuum distinctio, sacrorum in sacrificijs offerendis, alijsq; rebus sacris præstandis certa

Baculus devincientium.

ratio

certa ratio à Deo ipso præscripta, & legum forensium ordinatio viridisq; observantia (quæ omnia tria exhibito Christo, propter quem venturum politia Judaica tam diu hactenus mirabiliter erat conservata, paulatim inceperunt evanescere, & paulò post eversionem Ierosolymæ Iudæis in totum terrarum orbem dispersis planè disparuerunt) quomodo verè dixit hîc Christus se succîdisse illum suum baculum, *ut irritam faceret fraternitatem inter Judam & Israelem*, ita ut deinceps nemo possit dicere se esse ex hoc vel illo regno, tantum aberit, ut possit edisserere, ex qua tribu sit oriundus. Testatum itaq; facit hoc typo, judæos non amplius inter se adunatum iri, aut sui juris futuros, sed dissipatos cujuscunq; regionis, in qua vivunt, legibus obtemperaturos, & porrò usq; ad extremum diem judicio Dei dissipatos manere, cum non sint postea habituri pastorem, qui eos colligat & defendat, ut sequens typus demonstrat.

Vers. 15.] Quod enim è terra viventium, & porrò in cœlum sublato Christo omnis administratio politica in populo Israelitico sit futura stultâ, populoq; exitialis, facto aliquo seu typo prophetare jubetur Zacharias, quemadmodum & alios feciſſe legimus Esa. 8, 1. & 20, 2. Jer. 13, 1. & 18, 2. & 19, 1. & 27, 2. Ezech. 4, 1. & 5, 1. & 7, 23. & 12, 3. & 24, 3. Hos. 1, 2. Nam *tandem edixit Jehovà mihi* suo prophetæ, *amplius*, postquam præcedentia satis fideliter ad populum retulisti, *sume tibi instrumentum pastoris stulti*, sumens, inquit, demonstra typo & verbo pronuncia, quæ nunc adijcientur.

Factis seu typis prophetare.

Instrumẽtum pastoris stulti.

Vers. 16.] Quod nimirum post Christum pastorem illum bonum Joh. 10. cui suprà vers. 4. meas oves commen-

Lupi Ecclesiastici.

mendavi, & qui eas diligenter pavit v. 7. venturi sint lupi rapaces Matth. 7, 15. Act. 20, 29. qui gregem sibi commissum deglubant & devorent, vel, si ab hac tyrannide sibi temperent, quibus oves curæ non sunt, mercenarij fures & latrones Joh. 10, 8. 12. sub quibus homines erunt dissipati & disjecti, velut oves non habentes pastorem Matth. 9, 36. Confer Num. 27, 17. *Nam ecce ego* Deus ipse nequitiâ Judæorum incurabili justè ad iram provocatus *suscitaturus sum pastorem in hac terra*, qui suâ culpâ sit judicium meum justum sup. v. 9. denunciatum, effecturus, & cum fidus pastor esse debebat ac videri velit, sit eximiè talis, quales supra descripsi v. 5. socors, negligens, avarus, crudelis (qui hoc loco δοξαστικῶς dicitur pastor, ut alia multa in sacris literis, idola dij, 1. Cor. 8, hypocrisis & pietatis externa professio, fides Jac. 2.) qui nullam sui officij partem rectè sit administraturus, *erraticas non visitabit*, nec in viam reducet, ut meus pastor Luc. 15. ætate teneram ac præ imbecillitate cùm progredi non possit, in agro aut saltu derelictam *non requiret, & fractam*, attritam & miserè affectam *non curabit*, quantumvis languidam, urgebit ac progredi coget, ipse autem *restitantem*, ex infirmitate, *non portabit*, in humeros sublatam, tantum suis commodis inhiat, ac reditus ampliss imos spectat, lucri & quietis suæ causâ multum subterfugit annunciare eorum, quæ conducunt auditoribus, nec docet eos publicè & DOMATIM Actor. 20, 20. cessat nocte & die cum lacrimis admonere ἕνα ἕκαστον UNUMQUEMQUE ibid. v. 31. non agit pro grege excubias, *sed carnem pinguioris comedet, & ungulas earum* properando nimis per ardua saxa & scopulos *perrumpet*,

Pastor malus,

(Δοξαστικῶς *quædam dicuntur.*) *qualis sit*

rumpet, & in necem duriſſimam ruere compellet, quales mali paſtores deſcribuntur Jer. 23, 2. Ezech. 34, 2. 3. 4. Quæ omnia ut hodie etiam caveantur à noſtris, inde probari etiam poteſt, quod quum ordinantur, ipſis quædam, ex Ezech. 3. & 33. Actor. 28. prælegantur, ut ſanè vaniſſimum ſit effugium, velle hîc inter Eccleſiam conſtituendam & conſtitutam diſtinguere, quo ſe tuentur quidam fruſtra.

Verſ. 17.] Verùm non omninò impunè hoc feret perſonatus & malè feriatus paſtor, eſt, ubi illum ulciſcar probè, quando tandem eum, uti dignus eſt, planè evertam & delebo, quod ſynecdochicè indicatur duorum præcipuorum corporis membrorum, brachij & oculorum mẽtione, quorum hi ſapientiam, illud potẽtiam ablatum iri denotat: *Væ* igitur *paſtori meo*, non qui meam voluntatem facit, ſed, qui me juſtis modis hominum improbitatem ulciſcente à me immiſſus ac populo iſti, cum meliorem repudiarent, præfectus eſt, cum omnis poteſtas ſit à me Deo vero Rom. 13, 1. ipſe verò ſuâ culpa eſt *nihili derelinquens gregẽ*, juxta quem excubias agere eũ oportebat, verum inultũ id non auferet, *gladius imminet brachio ejus, & oculo ejus dextero, brachium ejus*, quo nefariè abutitur ad oves deglubendas ac tyrannicè tractandas, *areſcendo* paulatim, atq; ita tandem prorſus *areſcet*, *& oculus dexter ejus*, quo debebat gregi proſpicere de ſalubri paſcuo, cum eo abutatur *caligando*, & omninò *caligabit*, ut ſimul pereat ab ipſo omnis fortitudo, omne auxilium, omne conſilium, & malus demum malè intereat. Si autem in multis in hac vita id compleri non videmus, ſciamus differri, ut omnes graviores pœnas, in alteram,

Paſtor nihili.

Ejus brachium areſcit,

& oculus caligat.

cùm Deus mentiri neſciat. vide quædam huc facientia in vita Jacobi Arminij à Bertio editâ & diſput. ejus præfixâ.

LOCI COMMUNES.

Ex verſ. 4.]

Chriſtus Deus ut homo habet Deum.

I. Sic ait Jehova, Deus meus] Chriſtus ſecundum divinam naturam eſt Deus æternus ab æterno à patre genitus, eiq; ὁμοούσιος: ſecundum humanam naturam vero Deus pater etiam ipſius Deus eſt, quatenus eum in hunc mundum ablegavit. vide alibi hac de re plura, videlicet in L. de perſona Chriſti. Dn. Chemnit. p. 1. L. C. de filio Dei, in object. Arrianorum quartâ.

Malis ſubſtituuntur boni.

II. Paſce oves has interfectionis] Abdicatis malis ſubſtituuntur à Deo alij gubernatores, ne Eccleſia & populus Dei planè diſſipetur Matth. 21, 41. 45. Pſal. 109, 8. Act. 1, 20. Sic Sauli ſucceſſit David Actor. 13, 22. Heli Samuel 1. Sam. 3, 20.

Chriſtus eſt paſtor.

III. Paſce] Ad Chriſti officium regium, quo ſibi verbi miniſterio Eccleſiam ex toto humano genere colligit, eamq; contra hoſtes defendit, pertinet etiam ejus paſtoris munus & nomen. Sicut enim olim reges dicebantur paſtores, (ut alibi ex ſcripturâ probatum eſt Mich. 5, 2.) ita etiam Chriſtus rex noſter ſup. c. 9, 9. dicitur & eſt paſtor noſter. confer Pſal. 23, 1. Eſa. 40, 11. Ezech. 34, 23. Zach. 13, 7. Matth. 26, 31. Johan. 10, 11. 14. Heb. 13, 20. 1. Pet. 2, 25. & 5, 4.

Ex verſ. 5.]

Notæ malorum paſtorum.

I. Poſſeſſores earum interficiunt & vendunt, neq; habentur rei] Hic quædam notæ malorum paſtorum ſeu hæreticorum ponuntur. Ipſi enim primò ſibi commiſſos

inter-

interficiunt suis pestilentibus dogmatibus. secundò vendunt eos, dum turpi lucro suo saltem plerumq; inhiant, &, quod pejus, cum sint Dei oves, vendunt Diabolo: Tertiò nolunt malè feciſſe videri, sed fictam pietatem egregiè simulant. quæ omnia ex scriptura facilè possunt probari & rectissimè Doctoribus etiam pontificijs applicari. Quando enim & ubi licet dicere? Papa, cur facis SIC? 2. 3.

II. *Quisq; dicit, benedictus Jehova, quod ditatus sum*] Tanta est multorum hominum nequitia, ut etiam suis pravis factis Dei nomen prætexere non vereantur Deut. 29, 19. contra illud Jacobi c. 1, 13. 14. 15. Confer Matt. 23, 3. 14. Act. 19, 14. *Dei nomẽ malis prætexitur.*

Ex vers. 6.]

I. *Non utar clementiâ amplius*] Crescentibus delictis, crescunt pœnæ, quæ tandem ex justitia Dei inferuntur Rom. 2, 4. 5. vide Ps. 7, 12. 13. 14. & 9, 8. 9. 13. 17. *Pœnæ crescunt.*

II. *Ego faciam ut præsto sint homines alter in manu alterius*] Omne malum pœnæ est à Deo vide Amos 3, 6. Mich. 1, 12. & 2, 3. *Malum pœnæ est à Deo.*

Ex vers. 7.]

I. *Itaq; pavi oves*] Christus est pastor noster sup. v. 4. L. C. 3. & c. 10, 10. L. C. qui suas oves γινώσκει καὶ βόσκει, agnoscit & pascit Joh. 10, 15. & 21, 15. 17. ducit & docet Joh. 10. 4. 16. Matth. 7, 29. & 9, 36. diligit & seligit Joh. 13, 1. & 10, 11. Joh. 15, 19. & Matth. 25, 32. Agnoscit prædestinando, conservando, salvando. Pascit in verbo & sacramentis sacro suo ῥήμασι, βρώμασι, πόμασι, σώμασι, αἵμασι vide Joh. 4. & 6. cap. Matth. 26, 26. 27. 28, *Christi pastoris officia & beneficia.*

II. *Propter pauperes gregis*] Deus etiam in medijs *Paucos*

servat Deus sibi.

mundi furoribus, quantumvis exilem & parvum, gregem & populum sibi conservat Rom.11,4. vide Soph.3,12. & loca suprà explicata, ubi reliquiarum piarum fit mentio Amos 5, 15. & 9, 12. Mich.4,7.& 5,6.&8,7.&7,18. Soph. 2, 7. 9. & 3, 13. Hag. 1, 12. 14. & 2, 2. sup. c. 8, 6. 11. & 9, 7. eumq; mundo pereunte conservat, ut Noachum in diluvio, Lothum in Sodoma. vide Luc. 12, 32.

Ex vers. 8.]

Boni pastores à Deo irato eripiuntur.

I. Excidi tres pastores uno mense] Pœna maxima est cùm fideles verbi divini ministri abripiuntur per mortem immaturam. confer sup. c. 2. L. C. 1, Es. 3, 1. sunt enim velut sepes oppositæ muro ruinoso Ezech. 22, 20. quibus sublatis hic corruit. sunt velut columnæ, quibus subtractis ædificium nutat & subsidit Prov. 9, 1. Jer. 1, 18. Gal. 2, 9. Apoc. 3, 12.

Eventus prædictis respondet.

II. Mense uno] Eventus tandem prædictis à Deo respondet. vide finem versus undecimi. quærite ex libro Jehovæ & legite, unum ex his non defuturum est Es. 34, 16. & consilia Dei à longinquo tempore prædicta fides sunt & veritas Es. 35, 1.

Homines mala sibi attrahunt.

III. Imminuto animo meo propter illos] Deus nihil eorum, quæ fecit, absolutè odit Sap. 11, 24. sed homines, ut poeta canit

σφῆσιν ἀταθαλίῃσιν ὑπὲρ μοῖραν ἄλγε' ἔχουσι,

cum ille non condemnet eum, qui pœna non debet affici Sap. 12, 15. 16.

Ex vers. 9.]

Christus ejectus non redit.

I. Non sum pasturus vos] Christus cum suis bonis adveniens vel non admissus, vel rursum ejectus sæpè ita abit, ut nunquam redeat Matth. 23, 37. 38. ille est lux mundi

mundi Joh. 1, 9. ambulemus in luce, dum habemus Joh. 12, 35. 36. quia venit nox, quando nemo potest operari Johan. 9, 4.

II. Quæ moritura est, moriatur] Deus, cum nolunt homines salvari per ejus oblatam misericordiam, eosdem perdit per suam justitiam, ut multæ parabolæ declarant Luc. 14. Matth. 22. nam qui non credit, jam judicatus est Joh. 3, 18. & 36. & Deus in illorum interitu, qui ipsum invitantem noluerunt audire, invocantes non exaudit Prov. 1, 24. Certum enim est hoc Dei decretum: Qui non crediderit, condemnabitur Marc. 16, 16. proinde semper simus memores & nostræ aures personent isto Iothami seu Iehovæ perfecti ministri dicto: audite me, ita audiat vos Deus Iud. 9, 7. Hinc scies, qui fiat, quod multorum clamor vagus à Deo nil impetret, non audiunt DEUM.

Qui non vult salvari, pereat.

NB.

Ex vers. 10]

Succidi baculum jucunditatis, irritum faciendo fœdus] Deus quidem non mutat aut mutatur Mal. 3, 6. sed hominibus quibus cum conditione aliquid promisit, conditionem illam non implentibus & mutatis res promissa non impletur, & fœdus Dei ex parte hominum rumpitur. quod cùm ita sit, ut fœdus Dei non est absolutum, sic nec voluntas seu decretum salvandi aut perdendi, sed hominum vel obedientiam, vel inobedientiam includit.

Dei fœdus quomodo rumpatur.

Ex vers. 11.]

I. Agnoverunt rectè pauperes illius gregis] Cum plerique homines verbum Dei contemnant, tamen quia verbum Dei nunquam redit vacuum Es. 55, 11. à paucis saltem suis filijs justificatur Dei sapientia Matth. 11, 19. hoc

Quidam convertuntur.

est, justa agnoscitur; reliqui verò contemtores videndo non vident, & audiendo non audiunt nec intelligunt Luc. 8, 10. Ioh. 12, 40. Act. 13, 41. & 28, 16. Rom. 11, 8.

II. Qui observabant me, verbum Jehovæ esse] Impiorum pœnæ confirmant piorum fidem Ps. 11, 7. & 52, 8. 9. & 58, 11. 12. Mich. 7, 9.

Ex vers. 12.]

Salarium.

I. Si bonum videtur, date mihi mercedem] Licet verbi divini ministris petere salarium, qua de re copiosè satis dictum est in Quæstione cap. 3. Mich. subjunctâ.

Exitium imminet, ubi Deus non monet.

II. Sin minus, desistite] Nunquam propior est calamitas & pernicies, quàm quando Deus nos non amplius vult reprehendere, siquidem tum ut planè desperatos relinquit. Exemplo est Saul. 1. Sam. 28, 15. & 31, 4. quomodo Paulus jubet hæreticum post unam & alteram institutionem devitari, cum mentem habeat perversam Tit. 3, 10.

V. T. fons N. N. T. & V.

III. Appenderunt mercedem meam triginta argenteos] Quæ in V. T. de Christo prædicta, in N. sunt impleta, unde toties legimus, ut impleretur quod dictum vel scriptum est, quomodo impleretur scriptura? unde de utriusq; optima ἁρμονία constare potest, siquidem duo isti Cherubim ad ἱλαστήριον hoc respiciunt.

Ex vers. 13.]

Injuriæ Deo illatæ.

I. Edixit Jehova, projice eos] Quod Christo ejusque Apostolis & legatis injuriarum infertur, Deus pater sibi illatum reputat Luc. 10, 16. Ioh. 16, 2.

Christus cum suis non magnifit.

II. Magnificum precium] Hinc discendum, quæ merces Christo, ejusq; fidelibus (nam infideles & mali amantur) ministris à mundo detur, nempe de qua ipse dicit

dicit Iohan. 15, 20. 21. siquidem mundo nihil quicquam vilius, quam Christus ejus à Evangelium. Exemplo sunt Iudæi, quibus Barrabas latro charior, quàm Christus Matth. 27, 20. 21. Gergeseni porcos eidem antepronunt Matt. 8, 34. Philippensibus gratius est lucrum, quàm Evangelium Act. 16, 19. 20. Notent id, qui tantum hoc agunt, ut à multis amentur, laudentur, ditentur. Galat. 1, 10.

III. Quo æstimatus sum] Christus propter nos est venditus, ut nos sub peccatum venditos redimeret 1. Tim. 2, 6. 1. Cor. 6, 20. *Christus venditus.*

Ex vers. 14.]

Succidi baculum devincientium, irritam faciendo fraternitatem] Habemus hîc expressum vaticinium, quod tribuum distinctio inter Iudæos durare debuerit usq; ad Christum & postea eo exhibito desinere. confer Exerc. bibl. p. 157. 158. & adde, quod Paulus adhuc exactè tum potuerit indicare suam familiam & tribum Philip. 3, 5. quod post urbem eversam nemo inter Iudæos potuit. *Tribuum distinctio usq; ad Christum.*

Ex vers. 15.]

Jehova edixit, sume tibi instrumentum pastoris stulti] Deus sæpè etiam per facta prophetarum voluit hominibus ventura mala depingere, si qua possit eos ad frugem reducere, ut hic sit etiam τύπος quidam ex illis varijs, quibus patribus locutus est Heb. 1, 1. *Factis docere.*

Ex vers. 16.]

I. Ego suscitabo pastorem] Deus dat, hoc est, venire, eũ currunt ipsi Ier. 23, 21. permittit ac concedit (vide de hac scripturæ usitata vocis נתן significatione Gen. 20, 6. & 31, *Deus quadam permittit.* נתן *i. e. permisit.*

&31, 7. Num. 20. 21. & 21, 23. Iud. 11, 19. 2. Sam. 12, 8. 1. Reg. 11, 7. Rom. 1, 28.) in utroq; ordine pastores malos in pœnam antecedentium peccatorum Es. 1, 23. & 24, 3. 4. Hos. 13, 11.

Notæ malorum pastorum.

II. In hoc versu tres notæ malorum pastorum, videlicet negligentia, avaritia & crudelitas, quarta autem, videlicet fuga tempore impendentis periculi, sequente versu, ponuntur. Confer ea quæ dicta sunt supra v. 5. & Ioh. 10, & 8. 10. 12. 13. Huc, si qui in peste suos auditores deserunt, trahe, quasi Deus, bonos, quos vellet, servare non posset, aut magnum Ecclesiæ damnum sit malis liberari eam. P. Tarnovius de minister. lib. 3. c. 2.

Ex vers. 17.

Sedulitas in officio.

Væ pastori meo] Deus ab illo, cui multum concredidit in officio, multum requiret Luc. 12, 48. proinde qui fungitur officio, sit in illo sedulus Rom. 12, 7. ut audiat olim lætam istam vocem, euge serve fidelis, intra in gaudium tui Domini Matth. 25, 21. 23.

CAPUT DUODECIMUM.

Argumentum.

Summa. Scopus.

QUia scopus hujus capitis & sequentium est, solari Ecclesiam, ne propter superiores minas & calamitates prædictas animum despondeat, cum ipsi Deus mirabiliter sit adfuturus, eamq; contra omnes hostes potenter defensurus in multis illis afflictionibus, nunc ipse hostibus Ecclesiæ pernitiem, suis verò protectionem à se & salutem omnimodam pollicetur,

licetur, si modo Spiritui S. non resistentes resipuerint, & ad Christum propter peccata nostra transfixum in verâ fide accurrerint, priorem suam vitam lachrymis acerbissimis detestantes.

Cum nonnullis popularem tractandi rationem dum sequimur, benè caput hoc in duas partes distribuere possumus, ut in priori paterna Dei providentia declaretur, quâ peculiariter Ecclesiam suam curans mirificè ex hostium manibus eam liberat, dum hos obstinatos perdit v. 1. in posteriori verò quæ incipit à v. 9. agatur de effusione Spiritus S. passione ac morte Christi, ejusque fructu in piorum animis. Dilucidior tamen est quorundam hæc ἀνάλυσις, qua partes capitis constituunt tres, ut sit prima exordium, audientiam faciens à re ipsa, & dicentis omnipotentia, quæ triplici modo probatur ex effectibus v. 1. Secunda, proleptica propositio illorum omnium, quæ ad finem usq; in hac prophetia sint secutura. Sunt autem illa, prout sunt duo, de quibus agitur, hominum genera, etiam duûm generum: vel enim continent judicium Dei contra improbos Ecclesiæ hostes v. 2. vel beneficium summum probis Ecclesiæ civibus conferendum v. 7. & 8. Illud in hac προλήψει generatim sub triplici allegoria describitur, prima est potionis soporiferæ in magno vase à Deo Ecclesiæ hostibus præparatæ & propinatæ v. 2. cujus effecta sunt in ipsis potantibus stupor & amentia v. 4. inspectantibus Judæis gratulatio & lætitia v. 5. secunda est lapidis gravissimi adversarios piorum contrituri v. 3. tertia ignis eosdem facilimè consumpturi v. 6.

Analysis I partes duæ

1.

2.

II. Partes tres.

1.

2.

Dei judicium

Triplex allegoria

1.

2.

3.

Hoc propheta describit, dum salutem pijs certô

& beneficium.

æqualiter collatum v. 7. collatam Deo protegente conservatum & insigni gloria auctum iri declarat v. 8. Tertia pars hujus capitis (quemadmodum & totius concionis, qua de re supra in generali hujus libri distributione) continet particulam quandam enarrationis uberioris de proximè antecedente prolepsi, nempe quâ ratione salutis in vers. 7. & 8. promissæ, homines fiant participes, nempe per resipiscentiam seriam, quâ ad Deum per Spiritum Sanctum adducti & per Christum recepti in gratiam liberè & cum fiducia revertuntur. Ponitur autem hîc ejus resipiscentiæ primùm causa προκαταρκτικὴ, seu si malis, ἀφορμὴ, videlicet perditio Ecclesiæ hostium, quâ pij admoniti de justitia Dei odio habente peccata, ipsi incipiant ab his recedere v. 9. Deinde causa efficiens principalis, Spiritus S. meritoria, Christus in cruce transfixus; formalis, fides, quæ ad hunc respicit; & adjunctum, nempe ingens planctus, testis contritionis veræ v. 10. tandem hic planctus amplificatur comparatione sumpta ab objecto, quod sit par illi, qui de unigenito ac primogenito filio excitatur ib. Secundò à subjecto, in quo erit hîc planctus, videlicet Judæis habitantibus Jerosolymis v. 11. & in tota terra sancta v. 12. (per quos tamen, ut antea dictum, cives Jerosolymæ supernæ, hoc est, Ecclesiæ N. T. intelliguntur, loquendi formulis ex typo veteris Ecclesiæ sumptis, ut alias sæpissimè) tertio hoc in omnes ordines distributo, politicum v. 12. Ecclesiasticum v. 13. & tandem œconomicum v. 14.

3.

Resipiscentiæ

ἀφορμὴ, causæ.

Planctus magnus

1.

2.

3.

PARS PRIMA.

Vers. 1.] Novæ concioni novus titulus apud prophetam

tam præfigitur, (quemadmodum supra cap. 9. vers. 1. etiam monuimus) In eo proponitur summa rerum dicendarum, quod sit מַשָּׂא hoc est, *onerosa prophetia*, & quidem *verbi Jehovæ* seu divinitus revelata, & mox complenda sup. c. 9. v. 1. Nah. 1, 1. Hab. 1, 1. & ipsa ab ejus autore, hujusq; omnipotentia commendatur, & in quem finem ac cujus bono hæc dicantur, indicatur, videlicet *pro Israele, dictum Jehovæ*, ubi עַל in bonam partem accipi, ex scopo totius concionis principali & plerisq; omnibus, quæ deinceps dicuntur, liquere existimamus, ut propterea non sit necessarium id per contra vel adversus explicare, & cum Ribera Pontificio de malis Judæis inimicis ac persecutoribus Christi, vel cum Gualthero Calviniano commentatore de malis Israelitis per negligentiam supinam Babylone remanentibus accipere, cùm melior textuiq; aptior sit plerorumq; aliorum sententia, qui Israelem Dei, hoc est, Ecclesiam ex Judæis ac gentibus adunatam denotari sentiunt vide Gal. 6, 16. Rom. 9, 6. 8. 24. Gal. 4, 28. Quoniam autem res & spes hujus Israelis erant valdè accisæ, & contrà hostium robur ac potentia maxima, ne videretur hoc, quod promittitur deinceps ἐκ τῆς ἀδυνάτων superioris potentia longè superior ac validior producitur, quæ dubium hoc rectè solvat, quandoquidem cùm sit verbum Jehovæ, idq; fallere non possit, sciet etiam ipse modos, quibus idipsum compleat, nempe est hic κύριος ὁ πήξας τὸν οὐρανὸν, supra homines *extendens cœlos* ità mirabiliter, ut inde satis ejus gloria ac sapientia appareat, cùm tanta ejus sit in subsistendo firmitas, in volvendo velocitas, in operando efficacitas, ut nihil suprà, & tamen tantum sit expansum quid, quod faci-

i. e. עַל *pro*

Dei potentia aliorũ potentiæ opponitur.

Cœlum.

רָקִיעַ נָטָה

Terra.

facilè solet disrumpi, unde nomen רָקִיעַ obtinet, quod verbo נָטָה denotatur. confer Psal. 104, 2. Es. 40, 22. & 42, 5. & 44, 24. & 45, 12. Jer. 10, 12. & 51, 15. infra homines *fundans terram* stabiliens & collocans eam, ut firma sit quasi fundamento firmissimo inhæreat, quæ aliàs proprie si loquaris, sicut poeta canit,

Pendet, & in nullo ponit vestigia fundo

& ut alius succinit,

Terra pilæ similis, nullo fulcimine nixa,
Aere subjecto tam grave pendet opus.

vide locum similem Es. 51, 13. Psal. 24, 2. intra homines autem quod est maximum, ab ipso est, nempe est Jehova *formans* seu fingens *spiritum* seu animam *hominis in eo.* Hujus igitur Domini verba oportet vos audire, & ipsa necesse est suo tempore existere. Quemadmodum autem duo præcedentia membra hujus commatis non significant, quod Deus adhuc extendat actu ipso (nisi de conservatione velis intelligere, quam non negamus) cœlos, aut fundet terram, verùm quod sit ille, qui potuit efficere tanta, cum voluit, & adhuc potest, cum vult, quomodo aliàs sæpissimè Benoni apud hebræos amisso tempore degenerat in nomen, habitumq;, aut potentiam, non verò actum ipsum secundum notat (quod tamen, ut alia multa à creaturis desumpta, Deo tribuendum θεοπρεπῶς) ita nec in ultimo membro hoc sequitur, quod Deus jam unicuique homini immediatè animam inspiret, nisi etiam de conservatione ordinis ab ipso in propagatione generis humani observandi velis accipere sed tantùm hoc rectè concluditur, E. Deus habet hanc vim, quod possit, si velit, immediatè fingere spiritum hominis

Deus formans animam,

(Benoni notat habitum)

quomodo

minis, sicut constat exemplo Adami. à posse autem simpliciter ad esse N.V.C. sunt igitur hæc Dei elogia, non verò indicia ejus, quid jam actu ipso faciat, cum quibus cõfer Amos 4, 13. & quæ ibidem dicta sunt. Non etiam erit omninò frustra, qui contra immediatæ inspirationis animæ propugnatores h. l. abutentes probabiliter velit urgere ἔμφασιν vocum hebræarum יָצַר, quæ sæpissimè mediatam, & ex quadam præjacente, licet non satis habili materia, factam creationem denotat, quemadmodum בָּרָא plerumq́, ex nihilo condidit, & בְּקִרְבּוֹ in medio ejus, quæ innuat unà cum ipso, & in ipso semine, ex quo fingitur ac formatur jam à condito mundo omnis homo, spiritum seu animam immortalem ita produci, ut non satis pateat nobis modus propagationis, cum fiat ista animatio in medio ejus, quo acies oculorum nostrorum nequit pertingere. confer Eccles. 11, 5. Psal. 139, 15. Taceo alia, quæ hîc possunt dici, quod non statim sequatur, Deus format spiritum hominis adhuc (absit enim, ut eum ab hoc tam mirando opere planè secludamus) in eo, E. immediatè, siquidem de corpore idem potest concludi ex Job. 10, 9. 10. 11. Psal. 139, 5. 13. 15, 16. quod tamen ne ipsi quidem adversarij admittent.

יָצַר

בָּרָא

LOCI COMMUNES.

Ex vers. 1.

I. Onerosa prophetia verbi Jehovæ pro Israele] Quæ verba Dei impijs sunt gravia & obsunt, eadem pijs sunt suavia ac prosunt, siquidem illi Dei gratiâ carent, hi vero eidem uni firmiter inhærent, quomodo ipsum Evangelium illis esse odorem mortis ad mortem, his autem

Verbum Dei grave & suave, odor,

autem odorem vitæ ad vitam asserit Apostolus 2. Corinth. 2, 15. 16. ratio autem est, quod sermo Dei auditus non prosit, nisi fidei mixtus Heb. 4, 2.

gladius, clavus.

estq; velut gladius, quo se defendunt pij Eph. 6, 17. & quo læduntur & confodiuntur impij Psal. 149, 6. 7. Apoc. 19, 15. & velut aculei ac clavi, quibus in tabernaculo Dei probi affiguntur, ne excidant, improbi suo vitio perforantur, ut pereant Eccles. 12, 13. Exempla sunt hinc inde Joh. 6, 66. 68. & 7, 40. 41. 42. 44. Act. 2, 12. 13. & 13, 45. 48.

Deus est creator.

II. Qui extendit cœlos & fundat terram] Deus solus est rerum omnium creator & conservator, quomodo etiam hoc velut insigni titulo ab idolis & dijs fictis hinc inde in scriptura distinguitur Gen. 1, 1, Job. 38, 4. 5. Psal. 33, 6. & 124, 8. & 115, & 89, 13. & 136, 5. & 148, 5. Es. 48, 13. Jer. 10, 11. & 32, 17. & 51, 15. Jon. 1, 9. Act. 14, 15. & 17, 24. Heb. 11, 3. Apoc. 4, 11. unde firmissima fluit consolatio in omnibus malis, quod Deus sit omnipotens, qui titulus in symbolo apostolico statim ab initio ponitur, ut sciamus, quod ipse possit summa cum exuperantia omnia facere supra ea, quæ petimus aut cogitamus Eph. 3, 20.

NB.

Quoties igitur cœlum supra nos adspicimus, terram quam calcamus, intuemur, toties de Dei omnipotentia admoneamur, ut ei confidamus, qui de omnibus malis nos eruet vindex, eumq; ex animo colamus, neq; ad iram provocemus, ne nos perdat iratus judex.

III. Formans spiritum hominis in eo] Ex illis quæ supra sunt in explicatione textus dicta, & ex scripturis evicta, instituatur hîc ἔλεγχος ac refutatio eorum, qui

Anima nõ creatur immediatè.

vel ex hoc dicto immediatam animarum creationem eunt

cunt assertum, ut Danæus Calvinianus, & Ribera Pontificius in h. l. si enim hanc inde licet concludere, etiam eadem ratione potest ex præcedentibus probari, quod Deus adhuc cælum extendat, & terram fundet seu creet, scripturæ stylo. quod cum sit absurdum, etiam illud non recte inferetur.

PARS SECUNDA.

Vers. 2.] Sed his ἐν παρόδῳ notatis ac vindicatis, ad textum ipsum prophetæ revertimur, in quo proponitur jam prima allegoria à potione soporiferâ gentibus propinatâ, quæ sic habet, in persona Dei loquentis pronunciata: *Ecce Jerosolymam*, hoc est, Ecclesiam, quemadmodum in toto hoc capite illa vox usurpatur (vide quæ in argumento capitis octavi dicta sunt) id quod patet, cum talia ipsi attribuantur, quæ Jerosolymæ terrenæ non competunt v. g. v. 3. & 9. quod congregentur contra ipsam omnes gentes terræ, v. 6. quod Jerosolyma hæc sit mansura suo loco v. 8. quod abjectissimus Jerosolymæ civis sit similis Davidi v. 10. quod futurum sit, ut super habitatores Jerosolymæ (omnes nimirum, cum plerique Jerosolymis essent pessimi) effundatur spiritus gratiæ & precum, & alibi in scriptura eadem vox eodem modo acceptatur Gal. 4, 26. Heb. 12, 18. 22. De hac verò Ecclesia ita dicit Dominus, *ego eam dispositurus sum*, cum ipsa in se robur nullum, aut se vindicandi potentiam habet, *ut peluem soporiferam*, seu vas ingens, ad quod cum omnes populi sunt rabido conatu accessuri, & sitim extincturi furenter accurrunt, suo malo degustent, siquidem potio in illo est soporifera, quâ hausta gignetur animi tan-

Jerosolyma i. e. Ecclesia.

1.
2.
3.
4.
6.

Pelvis soporifera.

mi tanta perturbatio, ut homines ſeipſos & ſua perdant in perniciem ſuam, velut ebrij mente capti, ruentes præcipites, quomodo aliàs vocem bibere in ſcriptura uſurpari declaratum eſt Obad. v. *16.* confer Pſal. 60,5. & 75,8. Græci, quemadmodum & latinus interpres vulgatus (quos ſequuntur plurimi, cum tamen Lutherus ipſe verã viam præiverit pridem ita vertens, Ich wil Jeruſalem zum Daumelbecher zurichten) ambiguitate vocis decepti, cum סַף & limen & pelvim ſignificet, vertãt πρόθυρα καὶ λύμμα, ſuperliminare crapulæ: verum vox וְעַל ſequens, & verſus quarti explicatio litem facile dirimit: Ita verò Dominus diſponet Jeroſolymam *omnibus populis circumquaq;*, quoniam quisq; illorum ita etiam contra Jehudam *erit in obſidione*, ut eſt *contra Jeroſolymam* ſeu eccleſiam, eamq; volet opprimere.

LXX. & latinus interpres errant. סַף

Verſ. 3.] Sequitur altera allegoria, à lapide oneroſo & gravi deducta, quem qui vel geſtare vel de loco ſuo revolvere conatur, niſi ſit ſatis viribus inſtructus, à pondere conteritur, & huc ſpectat, quod eſt intitulo hujus concionis v. *1.* מַשָּׂא. Ipſa verò ut rectius poſſit intelligi, obſervare convenit, quæ ſcribit Hieronymus h. l. in viculis, oppidulis & caſtellis rotundi ponebantur lapides graviſſimi ponderis, quos juvenes exercitij gratia attollere certatim ſolebant, quidam uſq; ad genua, quidam ad umbilicum uſq; quidam ad humeros & caput, quidam etiam robur corporis oſtentantes ſuper verticem erectis manibus attollebant. Ad hunc igitur morem auditoribus ſuis in Iudæa notum hîc alludere videtur Propheta, futurum, ut ſi quæ gentes voluerint ſuas vires in oppugnandâ Eccleſiâ periclitari, eamq; loco movere

Allegoria à lapide grandi.

Olim exercitij ergo tollebatur apis.

ac

ac pro libitu projicere cupiant, ipsæ sub hoc onere succumbant, imò conterantur, vi & potentia angularis Ecclesiæ lapidis, Christi nimirum, qui, super quemcunque ceciderit, eum dissipat Luc. 20, 18.19. Eph. 2,20. 21. nam quicunq; saltem unum verum Ecclesiæ membrum lædit, Christum ipsum persequitur Act. 9, v. 4. 5. Sic itaq; de illa Ecclesia in nomine Dei promittit Zacharias: *Quin die illo*, quoniam Ecclesia à varijs hostibus circumquaq; invadetur, ex versu præcedenti, *futurum* est *ut disponam Jerosolymam* velut *lapidem oneris gravis*, id est, gravissimum *omnibus populis*, quo quicunq; vel ostentationis ergò vel ex malitiâ *onerant se*, in altum velut majori cum nisu dejecturi elevantes, *omninò cæduntur*, seu ut non ineptè hebraïsmum μεταφράζει vulgatus interpres latinus, concisione lacerabuntur, non obstante numero aut copia, & si *congregentur contra illam omnes gentes terræ*, tamen spes concepta cunctas frustrabitur.

Vers. 4.] Etenim si cui hoc mirum videbitur, audiat quid dicat Dominus futurum, cum illæ ad Jehudam exhauriendum cõvenerint, hoc est *dictum Jehovæ* omnipotentis, *die illo*, cum ita biberint ex poculo, quod est in manu Domini & fecibus unà epotis Psal. 75, 9. dormitabunt somnum suum, adeò ut non inveniant ulli viri bellatores manus suas Psal. 76, 6. 7. *percutiam* ego κυρίος *omnem equum stupore* ut resiliat vel insanus subsiliat, & *sessorem ejus amentiâ*, omne consilium & mentem illis adimam, ut in exitium gravissimum dent se præcipites, *at* contra *super domum Jehudæ aperiam oculos meos* in bonum Jer. 39, 12. illius misertus, quemadmodum in malum eosdem aperiam super hostes. vide

Oculi Dei.

Amos 9, 4. 8. *quando omnes equos populorum percutiam cæcitate*, ut, quò se vertant, nesciant.

Vers. 5.] Illud autem beneficium tam erit illustre, ut Judæi id sint ingenuè & palàm agnituri ac prædicaturi, *adeò ut*, cùm istam Dei ultionem viderint, *dicant duces Jehudæ quisq; cum animo suo* primùm, quod tamen postea etiam ore sunt professuri juxta illud, credidi, propterea locutus sum Psal. 116, vers. 10. 2. Cor. 4, 13. *fortitudo est mihi* & habitatoribus Jerosolymorum non in nobis, sed in *Jehova* Domino *Exercituum Deo ipsorum*, qui est Deus piorum, omnium Ecclesiam incolentium quos fovet & protegit Rom. 3, 29.

Vers. 6.] Et meritò illi ita se jactitabunt in Domino, quia Jehova illos est confortaturus & contra hostes obfirmaturus, ut hisce pereuntibus ipsi serventur. Ita enim ait ipse Jehova, *die illo disponam duces Jehudæ*, non quidem illos politicos, siquidem politia Judaica illo tempore N. T. peritura est, sed spirituales seu apostolos, *tanquam foculum ignis in vadētis ligna, & ut tædam ignis invadentis manipulum, qui consumant ad dextram & ad sinistram*, seu ab omni parte ac latere (ut phrasis ista usurpatur in scriptura sæpius. nunc vide saltem hæc loca Gen. 24, 49. Num. 20, 17. & 22, 26. Deut. 2, 27. & 5, 32. & 17, 11. 20. Jos. 1, 7. & 23, 6. 1. Sam. 6, 12. Psal. 91. 7.) ut etiam sequens ἐξήγησις innuit, *omnes populos circumquaq;*, ut hostibus præfractis & ad Deum converti nolentibus jam è medio sublatis *permaneat Jerosolyma* seu Ecclesia *adhuc loco suo Jerosolymis*, nondum fundamentis ejus eversis aut subductis. quomodo in h. l. quemadmodum alias hinc inde apud prophetas, quando agitur de

Duces Ecclesiæ.

Ad dextram & sinistram.

successu

successu prædicationis Evangelicæ, adhibentur metaphoræ sumptæ à bellantibus & vastantibus omnia, sicut pluribus explicatum suprà in locis parallelis Obadi. v. 18. Mich. 5, 7. 8. Zach. 9, 13. quibus adde Psal. 83, 14. 15. 16. sensus igitur est, utcunq; tenues fuerint in speciem Ecclesiæ vires (quum ipsa tantùm videatur esse ἐχάρεον quod hebræi כִּיּוֹר à forma labri vasis, de quo Exod. 30, 18. appellant) tamen obvia & adversa quæq; consumet, non secus ac ignis sylvæ aridæ injectus, aut in manipulum straminis immissus nullo negotio, quæ corripit, incendit & absumit, ut ita Ecclesia maneat firma ac stabilis, quæ omnia, ut rectiùs possint intelligi, non abs re fuerit conferre inter se hæc loca Psal. 48. & 87. & 125. & 129. 2. Cor. 10, 4. 5.

Metaphoræ de prædicatione Evangelij.

כִּיּוֹר

Vers. 7.] Ut autem tantò facilius omnes intelligerent, non agi hîc de rebus corporalibus aut politicis, omnis tollitur inæqualitas, & prærogativa ducum, quemadmodum olim cum in deserto vagabantur, inq; tentorijs degebant Israelitæ, omnes eundem cibum cœlestem comedebant & potum bibebant 1. Cor. 10, 3. 4. neque unus alteri se præferre poterat, ita qui sunt ex fide Israelis, dum sunt in via ad cœlum, ita à Deo tractabuntur, ut omnibus eadem justificationis obtingat gratia, & nemo materiam jactitandi se habeat. nam ita *servabit Jehova tentoria omnia Jehudæ primùm, ut non magnificet se ornatus domus Davidis, aut ornatus habitantium Jerosolymis supra reliquos incolentes tentoria Jehudæ*, cum isti in urbe munitissima qui degunt in pagis viventes soleant præse contemnere, & sibi plus propter munitiones tribuere, quomodo omnia ratione ea dicuntur, quatenus, quæ de re-

Coram Deo tollitur inæqualitas.

de rebus corporalibus in typo proferuntur, de Jerosolyma & terra sancta, ad antitypum & Ecclesiam referuntur, & spiritualiter explicanda veniunt, id quod etiam sequentis versus ἐξήγησις innuit, quæ sic habet.

Vers. 8.] *Die illo Jehova proteget*, (græci ὑπερασπιεῖ, tanquam clypeus defendet, quomodo David Deum sæpè in Psalmis nominat Psal. 18, 3. & 3, 4.) *adhuc habitantes Jerosolymis, eritq; abjectissimus*, seu is, qui collapsus est, heb. הַנִּכְשָׁל, *ex eis die illo similis Davidi*, postquam ex suo lapsu virtute divinâ erectus surrexit,

Lapsus erit ut David.

acrior ad pugnam redit & vim suscitat ira, ut in Petro videre est, hoc est, erit deinde robustissimus & inprimis strenuus, qualis fuit David, qui Goliathum prostravit. confer 1. Sam. 17, 8. & 18, 3. Psalm. 18, 33. 34. 35. *& domus Davidis ut Dei* seu maxima autoritate præditi, ut qui in magistratu politico alijs sunt præfecti, & quisq; eorum, *ut angelus Jehovæ coram ipsis*, mitis, benignus, castus, potens ac sapiens, ut angelus Dei 2. Sam. 14, 21: quiq; voluntatem Dei novit ac hominibus revelat, ut angelus, quomodo satis benè digitum intenderet propheta in apostolos pacis nuncios. Alij verò censent, sic his ultimis verbis in numero singulari positis alludere prophetam ad historiam miraculosæ deductionis Israelitarum per desertum (sicut & voce tentoriorum v. 7.) quando angelus Jehovæ seu Christus eos antecedebat, & deducens protegebat Exod. 32, 34. ipse autẽ dicit apostolis, sicut misit me pater, ita & ego mitto vos Joh. 20, 21. nempe ad docendum & ducendum auditores, id quod etiam magis probo ob textus cohærentiam, quomodo in membro præcedenti per אֱלֹהִים rectissimè

Ut angelus Dei.

reli-

reliquos omnes Dei legatos seu vicarios creatos angelos verbi divini præcones, magistratum &c. intelliges.

LOCI COMMUNES.

Ex vers. 2.]

I. Ego dispositurus Jerosolymam pelvem soporiferam] Deus suos mirabiliter contra hostes obfirmare potest, ut cum hi putant se ipsis nocere, sibi ipsis exitium parent. vide Pharaonem in mari rubro pereuntem, & populum Israeliticum securè transeuntem, ut meritò quisq; pius sibi etiam dictum putet, quod Jeremiæ dictum legimus cap. 1, 18. ecce ego pono te hodie velut civitatem munitam, & velut columnam ferream, murosq; aheneos, oppugnabunt te, sed non prævalebunt tibi, nam adsum tibi, dictum Jehovæ ad eripiendum te. confer Jos. 1, 9. Ps. 118, 6. Heb. 13, 5. 6. *Tutus est, cui Deus adest.*

II. Pelvem] Ut pelvis 1. ad res sordidas solet plerumq; adhiberi, ita pij in hoc mundo habentur velut περικαθάρματα καὶ πάντων περίψημα 2. Cor. 4, 13. 2. uti pelvis Domino suo usum præstat inter utensilia non minimum, ita & pij Deo suo præstant suam obedientiam Tit. 3, 14. *Comparantur pij cũ pelvi. 1. 2.*

Ex vers. 3.]

Disponam Jerosolymam ut lapidem onerosissimum] Sæpè Deus, quod mali contra Ecclesiam ejusq; vera membra meditabantur, in ipsorum caput ut recidat, mirabiliter facit vide Psal. 7, 16. & 9, 17. id quod in sacro illo de Susanna facto poëmatio voluit indicare pia antiquitas Dan. 14. Exempla sunt hinc inde quàm plurima, Pharaone, qui Israelitarum filios in aquis suffocandos *Malum redit in magistrũ.*

curabat Exod. 1. & ipse tandem cum suis in mari rubro aquis submergebatur Exod. 14. Saul Davidem quærebat perdere ac hastâ confodere, qui ipse se tandem suo transfixit gladio 1. Sam. 18, 11. & 31, 4. Haman suspendebatur in patibulo Mardochæo quod paratum erat Esth. 5, & 7. capp. qui Danielem leonibus projiciendum curabant ab illis ipsis discerpuntur Dan. 6. Herodes Petrum cupiebat occidere, & ipse ab angelo interficiebatur Act. 12, de Iuliano apostata legantur historiæ, quas utinam considerarent tyranni suis viribus feroces!

Ex vers. 4.]

Hostium conatus in manu Dei.

I. Cùm percutiam equum stupore] Etiam ipsi hostes, omnesq; eorum conatus sunt in manu Dei, quomodo sæpè qui capturos se Ecclesiam putant, ipsi captores jam capti sunt Psal. 9, 16. 17. exemplum maximè insigne est in Syrorum exercitu 2. Reg. 6. in Saule 1. Sam. 24. & 26. in Ægyptijs Exod. 14. frustra igitur confidunt improbi in equis ac curribus, rectè verò pij in nomine Dei sui Psal. 20, 8. 9.

Oculos suos Deus aperit.

II. Super domum Jehudæ aperiam oculos meos] Quomodo Deus oculos suos in bonum super bonos aperiat, jam aliquoties explicatum satis confidimus Amos 9, 3. 4. 8. (quando ostensum est discrimen, quomodo super & contra malos immotos teneat) Ion. 2, 5. Hab. 1, 13. Zach. 4, 10. confer saltem Iob. 14, 3. & 26, 6. Ps. 33, 18. & 34, 16. cum Ierem. 39, 12. & 40, 4.

Ex vers. 5.]

Dei est robur.

Adeò ut dicant duces, Jeh. fortitudo est mihi in Jehova] Cum omnis vera fortitudo sive in rebus corporalibus, Exod. 15, 2. sive spiritualibus Psal. 28, 8. 9. 2. Cor. 12, 9.

sit

sit à solo Deo, constat ipsi soli deberi gloriam, si quid præclare à nobis vel in his vel in illis est gestum. vide sup. c. 10, 5. Ps. 144, 1. 1. Cor. 15, 57.

Ex vers. 6.]

I. Dispònam duces Jehudæ ut foculum ignis] Pij, quos omnes improbi se absumpturos putant, ex justo Dei judicio evadunt ipsis ignis, quo comburuntur. inspice quæ dicta sunt Obadi v. 18. *Pij ignis.*

II. Permaneat Jerosolyma suo loco] Ecclesia, quamdiu hîc mundus durat, durabit Psal. 125, 1. & 102, 29. Esa. 66, 22. Act. 8, 33. quippe lapidi angulari Christo superædificata non corruet Matth. 16, 18. Eph. 2, 20. ipsa columna & stabilimentum veritatis 1. Tim. 3, 15. *Ecclesiæ durabilitas.*

Ex vers. 7.]

Ita servat Jehudam ut non magnificet se ornatus domus David] Elegans hoc est testimonium, in ipso Dei judicio justificatos gradibus non differre, neq; coram Deo unum esse altero justiorem, siquidem non tantùm ibi est una saltem Christi justitia, quæ omnibus credentibus imputatur, semper æquè perfecta, cum sit θεανθρώπου & Jehovæ ipsius Jer. 23, 6. 1. Cor. 1, 30. est una manus accipiens, fides nimirum, sive parva Joh. 4, 48. Marc. 9, 23. 24. Luc. 17, 5. 6. Matth. 8, 26. sive magna Matth. 8, 10. & 15, 28. quæ propterea vocatur una Eph. 4, 5. communis Tit. 1, 3. est ἰσότιμος 2. Pet. 1, 1. ratione objecti & effectus, siquidem omnis verè in Christum credens salvatur Marc. 16, 16. 1. Johan. 3, 15. 16. Hab. 2, 4. falsa igitur illa assertio Pontificiorum, justificationis gratiam non æqualem omnibus, sed alijs majorem, alijs minorem dari, juxta diversam horum dispositionem. vide Hieronymum *Unus altero coram Deo non est justior.*

mum Torrensem Jesuitam in confessione Augustiniana, lib. 2, c. 4. parag. 15. Bell. l. 3. de justif. c. 15.

Ex vers. 8.]

Dei cura pro nobis.

I. Jehova proteget] Magna Deo est de & pro nobis cura, quippe pro quibus defendendis semper pugnat, nosq; contra hostes tutos ac securos præstat. vide præter alia multa notissima dicta Sap. 5. v. 17. 18.

Pius est ut David

II. Erit abjectissimus ex eis similis Davidi] Etiam fides parva est mundi victoria 1. Joh. 5,4. quorsum allegoricè accommodari potest illa pugna Davidis cum Goliatho instituta, & victoria de eo reportata 1. Sam. 17. Nam

1. primò ut David significat dilectum Deo, sic omnes pij
2. sunt dilecti in dilecto Ephes. 1, 6. II. ut David erat filius viri Ephratæi è Bethlehemo Iehudæ oriundus: sic omnes pij sunt filij germinis illius, de quo suprà aliquoties, id est, Christi in Ecclesia, in qua panis vitæ, & ubi
3. confessores Dei, prognati, III. ut ille mandatum patris executurus se confert in aciem. Sic pij Dei vocationi obedientes contra Diabolum, mundum & carnem suam
4. pugnare incipiunt IV. ut ille puer & contemtus in oculis
5. omnium: Sic pij in mundo. V. ut ille arma Saulis induens non satis benè incedebat; sic nos rebus mundanis
6. impediti segniores sumus in via ad patriam VI. ut ille
7. divinitus protegitur Deo confisus, ita & pij. VII. ut David baculo & lapide instructus veniebat, & ijs vincebat: Sic nos baculo verbi sustentati, & Christo petrâ nixi superiores evadimus.

Pij ἰσάγγελοι.

III. Domus David ut dij] In hac vita pij inchoativè voluntatem Dei facientes Matth. 6, 10. in altera verò consummatè & perfectè, Dei felicitate fruentes erunt

ἰσάγγε-

ἀγγελοι Matth. 22, 30. Luc. 20, 36. qui propterea sunt nostri σύνδουλοι Apoc. 19, 10. & 22, 8.

PARS TERTIA.

Vers. 9.] Unde verò tanta Ecclesiæ civium securitas, tanta dignitas? ex Deo, respondet propheta, ut ipse quoq; dixit v. 5. & 6. sic enim porrò ait Iehova. *Et erit die illo*, quum *studiosè undiq; perquiram* (id enim notat verbum בָּקַשׁ) *perdere*, atq; ita à conatibus suis ac machinationibus contra Ecclesiam dejicere *omnes gentes, quæ invadunt Jerosolymam* seu Ecclesiam. בָּקַשׁ

Vers. 10.) Erit, inquam, *ut* tum populi mei misertus sup. v. 4. liberalissimè concedam, hoc est, scripturæ stylo, *effundam* (vide Ioel. 2, 28. locumque totum etiam cum hoc confer) *super domum Davidis* sup. vers. 8. *& super habitatores Jerosolymorum Spiritum S.* ejusq; non tantum miraculosa, sed etiam gratiosa dona, hoc est spiritum *gratiæ*, qui ex gratia Dei datur, nosq; per lavacrum regenerationis & Christi meritum applicatum per verbum & sacramenta gratos Deo facit, *& deprecationum*, qui renatos adducit, ut deprecentur Deum, ejusq; misericordiam sibi dari expetant, quemadmodum exemplo manifesto probatum est Act. 2, 37. 38. & illo spiritu donati *respicient ad me* Messiam suum, qui in cœlos sublatus dedi istum Spiritum Sanctum, quem in cruce Judæi *transfixerunt*, fide me amplectentur, & in meis vulneribus se abscondentes salvabuntur, non secus ac olim à serpentibus percussi restituebantur, quando ad serpentem æneum in deserto suspensum respiciebant. Num. 21, 6. 8. 9. Joh. 3, 14. 15. & 12, 32. Quod vero ille

Effundam spiritum gratiæ.

Respiciunt ad Christum crucifixum.

sit Christus crucifixus, qui hoc de se dicit, patet ex Joh. 19, 37. & Apoc. 1, 7. ὄψονται εἰς ὃν ἐξεκέντησαν, quibus verbis malè a græcis sunt subjecta ἀνθ' ὧν κατωρχήσαντο, pro eo quod insultaverunt, cum eorum nullum in textu hebræo vestigium, nisi quis velit dicere, quod more suo pro דָּקְרוּ legerint transpositis literis רָקְדוּ, qua de re vide Riberam copiosè differentem num. 13. certè si esset hoc in textu hebræo, & in ipso elegans παρονομασία inter רָקְדוּ & סָפְדוּ foret, qualis in græco inter ὄψονται καὶ κόψονται. Sed hæc incerta mittamus. Quatuor verò hîc notantur, 1. quis, nempe Christus in cruce transfixus, 2. quid det, nimirum Spiritum S. 3. quibus, videlicet illis, qui inhabitant Jerosolymam h. e. Ecclesiam 4 quomodo, nempe valdè copiosè, quasi effunderet. Consequens verò hujus fidelium aspectus est, quod sint ex crucifixione ista agnituri & suorum peccatorum summam fœditatem, & Christi immensam charitatem, & dolituri, quod ipsi cum alijs in crucem ipsum adegerint, & *plangent amarè super hoc* Christo ita vulnerato ac transfosso, *tanquam planctu de unigenito*, qui solet esse amarissimus Amos 8, 10. *& amarè flendo* plangent *de eo, ut amarè* flendo quis plangit *de primogenito*, cujus in V. T. magna dignitas ac prærogativa. confer Exod. 12, 29. 30. & 13, 2. & 22, 29. Gen. 25, 31. & 49, 3. Deut. 21, 17. 2. Chron. 21, 3. Quod verò Johannes in Apocalypsi cap. 1. v. 7. hæc de planctu etiam impiorum in extremo judicio coram tribunali Christi futuro explicat, non tam allegatio est, quàm accommodatio, ut ex circumstantijs reliquis ibidem patet, personæ transfixæ identitas ac majestas denotatur, quæ ut pijs erit solatio, ita impijs, qui

LXX. errant.

pro דָּקְרוּ *legunt* רָקְרוּ

4. hîc notanda.

Planctus magnus,

super primogenito.

Conciliatur cum Zacharia Johannes.

qui hactenus gratiam ejus oblatam sprevere obstinati, erit horrori ac formidini, ideoq; mirum non est, quod ex ejusdem aspectu diverso diversi homines diversum planctum edant, inprimis diverso tempore. Adde, quod Johannes non excludat hunc & aspectum & dolorem, de quo propriè propheta loquitur, quiq; in hoc seculo ac tempore gratiæ fit salubriter, sed ei per particulam ETIAM alium adjungat, qui in alterius seculi initio peragitur infeliciter.

Vers. 11.] Porrò hic planctus, de quo propheta noster hîc tractat, quiq; ob peccata admissa suscipitur, quoniam verus & satis magnus futurus est, hoc versu cum alio quodam luctu publico, eoq; insigni confertur, nempe eo, quo defleverunt Israelitæ interitum regis Iosiæ, quæ historia descripta extat 2. Reg. 23, 29. 30. 2. Chron. 35. 23. 24. 25. Ita autem comparatio hæc instituitur, *die illo magnus erit planctus Jerosolymis*, seu in Ecclesia, *ut planctus Hadadrimmonis*, qui locus est *in convalle Megidduntis*, in tribu Manassis Iud. 1, 27. & 5, 19. Ioh. 17, 11. 2. Reg. 9, 27. quæ nomina propria locorum cum non satis attenderent græci, appellativè verterunt, ὡς κοπετὸς ῥοῶν ἐν πεδίῳ συκοπελμίου, sensu verò nullo.

Comparatur ille planctus cum eo, quo defletus est Josias.

LXX. erant.

Vers. 12.] Sed etiam hoc modo amplificatur luctus, ut forma & numerus lugentium exaggeretur. *Planget enim hæc terra, & in ea quæq; familia seorsim, familia domus Davidis seorsim, & fœminæ eorum seorsim*, ex ritu Judæorum, ubi in publicis conventibus sexus olim separari solebant, ut hodie apud nos in deductione funeris, & sponsi ac sponsæ ad templum, & adhuc Judæi synagogas ita fabricant, ut mulieres cum puellis seorsim à viris &

Viri à fœminis separati.

juvenibus sedeant ob publicam honestatem quandam, cujus ritus vestigium quoddam habes in lætitia Exod. 15, 20. & quod olim in distinctis tentorijs viri ac fœminæ habitaverint, colligi potest ex Gen. 18, 9. 10. & 23, 2. & 24, 67. lugebunt etiam reliquæ familiæ è regia stirpe oriundæ, nempe *familia domus Nathanis seorsim, & fœminæ eorum seorsim*,.

Vers. 13.] Hisce politicis proceribus se jungent Ecclesiastici, lugebit *familia domus Levi seorsim, & familiæ eorum seorsim, familia Simei seorsim & fœminæ eorum seorsim*, quæ familia fuit una ex posteris Gerschomi, qui primus inter filios Levi 1. Chron. 6, 1. 17. & 31, 43. ille Simei autem hîc exempli loco ponitur, ut de reliquis idem fiat judicium.

Vers. 14.] Deniq; quid multis? in Ecclesia nemo erit ab hoc luctu liber, cùm sit illa tristitia secundum Deum, quæ pœnitentiam salutarem, cujus neminem pœnitere potest, operatur 2. Cor. 7, 10. lugebunt, ac de peccatis suis admissis admoniti gravissimè dolebunt *omnes familiæ reliquæ, familiæ singulæ seorsim, & fœminæ eorum seorsim*, quæ omnia pro ratione V. T. dicta pro ratione N. T. explicanda sunt, quemadmodum suprà in initio hujus capitis declaratum est. Licet autem propheta in omnibus his (ut in versu decimo dictum est) propriè tantùm loquatur de fidelium aspectu, quo Christum intuentur in hac vita de suis peccatis dolentes, ob quæ ille unigenitus ac primogenitus fuit non tantùm vulneratus, sed & planè occisus. (inspice quædam huc facientia Luc. 23, 27. 28. 47. 48.) tamen beatus Johannes Apoc. 1, 7. ad eventum ultimum hujus vaticinij ac ejusdem consequens

Conferhæc cum fine versus decimi.

quens respiciens, id accommodat ad planctum futurum in novissimo die, quum filius hominis veniet in nube, & impij potissimum, qui hîc peccata sua plangere & detestari noluere, nimis serò

mœrebunt stultos præterijsse dies.

LOCI COMMUNES.

Ex vers. 9.]

Die illo, quum quæram perdere omnes gentes, quæ invaserint Jerosolymam] Deus magno studio Ecclesiam suam protegit, eamq; contra hostes fortiter tuetur Psal. 46. quemadmodum hoc in Genesi patriarcharum, & in reliquis libris Mosis Josuæ & Judicum Israelitarum exemplum abundè probat, quo etiam hîc alludit propheta, quando Jerosolymam contra gentes, eam invadentes divinitus defensum iri promittit. Inprimis autem tempore N. T. credentibus promittitur summa in Christo securitas contra hostes spirituales Jer. 23, 6. *Deus suos tuetur.*

Ex vers. 10]

I. Effundam] Declaratur hîc Dei summa benignitas, qui quicquid habet in cœlo & in terra, pijs donat, nempe illis dedit, imò pro ipsis in mortem tradidit unigenitum filium, illis immensum & æternum suum spiritum concedit, illis angelos ministros ordinavit, & cœlum totum hæreditario jurè possidendum promisit: terram vero dedit ijsdem cum omni suo ornatu perfruendam. O Deum benignum! ô hominem tantis beneficijs ex se indignum! *Dei benignitas donantis omnia.*

II. Spiritum] Ex hoc loco possunt refutari illi, qui sensérunt, dari credentibus non ipsum Spiritum S. sed *Ipse Spiritus S. datur credentibus.*

tantùm ejus dona, & habitare eum in credentibus non ut personam, quoad substantiam suam, sed tantùm effectivè, sicut sol esse dicitur in agro, ubi ejus radij & operationes, quia h. l. spiritus gratiæ & precum is dicitur, qui illas efficit, & procurat, id quod donis tribui nequit. confer Rom. 8, 26. (συναντιλαμβάνεται Luc. 1, 54. ἀντιλάβετο) Gal. 4, 6. (ἐξαπέστειλε, κράζον) qua de quæstione, qui plura scire expetit, videat Dn. chemnitium p. 1. L. C. L. I. de persona Spiritus Sanct. c. 4. membro 6. illius enim viri scriptis hunc commentarium distendere quid attinet? faciant hoc, qui alienis plumis se ornare satagunt.

Docet nos orare,

III. Gratiæ & precum] Spiritus S. inter alia etiam hæc dona sunt, quod nos gratos Deo conservet, & pro nobis intercedat, dum nos orare rectè docet & compellit. Vide etiam de his Dn. Chemnit. in Loco allegato cap. 5.

Sp. S. datur in Ecclesiâ,

IV. Super domum Davidis] Spiritus S. datur illis tantùm, qui sunt in Ecclesia, non verò alijs, qui sunt extra eam, quod ad dona gratiosa spectat Joh. 14, 22. 23. Gal. 4, 6. quia estis filijs, emisit Deus spiritum filij sui in corda vestra.

Sp. S. dona miraculosa,

gratiosa.

V. Fructus passionis & resurrectionis Christi etiam non postremus est missio Spiritus S. non tantum, quod ad dona miraculosa Joh. 7, 39. Act. 1, 5. 8. & 2, 4. 33. Joh. 14, 10. & 16, 7. sed etiam quod ad gratiosa, ratione copiæ quæ in N. T. futura erat major, & ratione multitudinis hominum, sicut Ioel. 2, 28. fuit pluribus explicatum, ubi notandum etiam Christo incarnato ac crucifixo, (qui tamen est ipse Iehova sup- v. 7, & 8.) atque adeo

adeo homini hoc divinum opus attribui, propter unionis gratiam, sicut & Ephes. 4, 8. 10. 11.

Pœnitentia salutaris.

VI. Plangit super hoc] Dolor secundum Deum pœnitentiam salutarem, & cujus neminem pœnitet, operatur 2. Cor. 7, 10. ut in Davide, Manasse, filio prodigo aliisq; cernere est.

Christus est unigenitus & primogenitus.

VII. De unigenito & primogenito] Christus est & unigenitus Joh. 1, 14. 18. & 3, 16. 18. 1. Joh. 4, 9. & primogenitus Col. 1, 15. 18. Matth. 1, 25. Luc. 2, 7. Heb. 1, 6. Apoc. 1, 5. patricq; dilectus, per quem & nos ipsi reddimur dilecti Ephes. 1, 6. & vitæ æternæ hæredes Rom. 8, 17. Gal. 4, 7.

Jehova incarnatus est transfixus.

VIII. Aspicient ad me quem transfixerunt] Quod non tantùm nudi hominis, ut cum Nestorio Calviniani mysterium redemptionis evacuant, sed etiam ipsius filij Dei morte simus à morte æterna liberati, siquidem hic Jehova incarnatus (de futuro enim intelligendum hoc vaticinium prophetæ, pro more prophetis solenni, id ex præcedentibus liquere putamus) dicitur transfixus, puta in carne suâ, in qua tranfigi & mori poterat. Confer dicta ubi fundatur hæc nostra doctrina Act. 20, 28. Rom. 8, 32. 1. Cor. 2, 8. Gal. 2, 20. & 4, 4. 5. 1. Joh. 1, 7. quibus adde loca, ubi Christus tantum unus dicitur, & junge axioma: Actiones ac passiones sunt suppositi.

NB.

Typi.
1.
2.
3.
4.

Typos, qui volet, huc referat, ex V. T. templum Jerosolymitanum, ad quod omnes conveniebant; unicum sacerdotẽ summum quem consulebant, unicum super arca fœderis propitiatorium, in quo confidebant: serpentem æneum quem in deserto à serpentibus ignitis læsi respiciebant, de quibus prolixè in vindicatione hujus loci D. Christ. Matthias. Ex

Ex vers. 11.]

Collatio Christi & Josiæ.

Ut planctus in convalle Megidduntis] Quando prophe-ta luctum super Christo excitatum confert cum luctu illo, qui super Iosiam fuit institutus, ostendit, posse quandam inter utrumq; comparationem institui. Con-veniunt enim I. nominis quadam cognatione, dum ille Iosias, hic Iesus vocatur II. regiminis certa conditione, quia uterq; rex III. dotium splendore, quia ille pru-dentissimus & pientissimus, hic verò sapientia ipsa, pie-tas & caritas IV. pro alijs se devovendi ardore, cum u-terq; poterat se subducere periculo, sed noluit V. super mortem apud alios excitato dolore. quemadmodum enim quotannis de illo fuit ad tempus iste repetitus; sic meritò quotannis solenniter memoria passionis, & aliàs quotidiè à Christianis recolitur Matth. 26, 13. 1. Corinth. 11, 26.

1.
2.
3.
4.
5.

Ex vers. 12. & seqq.

In N. T. omnes agant pœnitentiam.

Omnibus tribus id unicum observandum potissi-mùm, quod cum in V. T. Deus tempora ignorantiæ dissimulavit, in N. annunciet omnibus omninò homi-nibus qui ubivis locorum degunt, ut agant pœnitentiam Act. 17, 30. siquidem Deo tum in omni gente, qui ti-met ipsum, &, quæ justa sunt, facit, acceptus est Act. 10, 35. in omni gente, inquam, quæ sub cœlo est Actor. 2, 5. confer Col. 1, 23. Luc. 24, 47. Act. 1, 8.

CA-

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

Argumentum.

Summa.

QUoniam suprà cap. 12. v. 10. propheta mentionem fecerat passionis & crucifixionis Christi, modumq́, quo homines possint fructuum ejus fieri compotes, videlicet seriam resipiscentiam exposuerat, nunc ad eam aliquantò uberius cum aliquot circumstantijs declarandam, & hos dilucidiùs explicandos redit, ac primò de beneficijs, quæ sua passione Christus pariet, eorumq́ effectibus ad pios redundaturis agit, quod nimirum hi in sanguine Christi sint accepturi peccatorum remissionem & sanctificationem, utramq́ verò per puram Evangelij prædicationem habituri, quando idola & pseudoprophetæ ex Ecclesia exterminantur: deinde prædicit Christum à Deo percussum, & apostolos hac re offensum iri, ita tamen ut & hi reducantur, & omnis Dei populus, quantumvis parvus, ab ipso potenter protegatur, ac igne afflictionum examinetur & purgetur, ne cum maxima mundi parte damnetur. 1. 2.

Analysis I. Partes duæ 1. 2.

Partes capitis possunt constitui duæ, in quarum priore declaratur & Dei bonitas erga Ecclesiæ cives, & horum zeli veritas in asserenda ejus gloria v. 1. in posteriore describitur Ecclesiæ miseria & calamitas, quibus ipsa ac vera ipsius membra ad exemplum sui capitis sunt exposita, & Dei in illa defendenda ac purganda sedulitas v. 7. Et hæc divisio tantum summa rerum fastigia sequi-

II. sequitur: κατὰ μῖτον verò aut λεπτὸν quando singulas partes perlustrare cupimus, hac ἀναλύσει uti possumus, ut caput hoc distribuamus in partes tres, quarum primâ continetur remissio peccatorum, resipiscentibus per fidem obtingens, quæ est hominis peccatoris coram Deo vera justificatio v. 1. secundâ exponitur doctrinæ Evangelij vindicatio ab omni corruptione tam ex parte Dei, ut pura sit ab omni idololatria v. 2. quàm ex parte hominum, ut sincera sit ab omni falsitate, quam ipsi ex Ecclesia exterminabunt minis durissimis ex lege productis increpando graviterq́ castigando sine ulla προσωπολημψίᾳ v. 3. & ita pudore suffusum ac revocantem ex animo sua falsa dogmata conservando v. 4. & in vocationis pristinæ terminos redigendo v. 5. per verba & increpationes acerbas, quæ sunt instar plagarum v. 6. tertia declaratur electorum de mundo facta separatio, ubi primùm per anticipationem occurritur maximo, quod pios exercere poterat, scandalo (videlicet ipsorum caput regem ac ducem summum in passionem & mortem crucis tradendum, ipsius autem apostolos Ecclesiæ N. T. columnas, turpiter esse aufugituros) futurum, ut hi ab ipso summo pastore exsuscitato colligantur, & postea confirmentur v. 7. & sic Evangelium de Christo passo, mortuo, resuscitato ac ad dextram Dei evecto in toto mundo prædicetur: quod dum plerique contemnunt & culpâ ipsorum hoc ipsis fit odor mortis ad mortem, paucis reliquis erit odor vitæ ad vitam v. 8. qui postea in camino crucis examinati ardorem precum in se probabunt, & favoris divini erga se certitudinem prædicabunt vers. 9. atq; ita narratur hîc Dei in suos beneficium, piorum erga

Partes tres.
1.
2.
3.

erga ipsum officium, & ex verbo de duobus diversis hominum generibus futurum judicium.

PARS PRIMA.

Vers. 1.] Quando jam Christus sua passione genus humanum redemerit & apostoli postea Evangelium ubiq; gentium prædicaverint, ut homines ad pœnitentiam adducant (qua de re præced. c. v. 10.) *die* & tempore *illo* erit non tantùm una atq; altera stilla vel gutta divinæ gratiæ uni Iudæorum populo communicata, ut hactenus sub V. T. sed integer *fons* inexhaustus *apertus* publicè & copiosè omnibus abundè, qui sitiunt & huc veniunt, aquam præbens (confer Es. 55, 1. Matth. 5, 6. Iohan. 7, 37.) primùm quidem *domui Davidis* vocatæ primùm ad communicationem tantorum bonorum Luc. 24, 47. Act. 1, 8. & 13, 46. postea vero etiam *omnibus habitantibus Ierosolymæ*, seu Ecclesiæ illius N. T. civibus (vide quæ supra dicta cap. 12. v. 7. 10. 11.) & hic fons erit tam efficax, ut possit omnis generis morbos curare ac immundiciem cordis abluere, & tam ab actuali, quàm ab originali peccato emundare, siquidem erit לְחַטָּאת *pro peccato*, וּלְנִדָּה *& pro separatione ex immunditia*, qualis est in menstruo, unde quia infans ratione maternæ originis pronascitur omnino vero videtur simile, notari hîc, etiam hoc fonte peccatum originis ablui, & superiori voce, alias generali & notante omnem ἀνομίαν, designari peccatum actuale, de hac vero vide Levit. 12. & 15. capp. Obiter hîc notandum denuô græcæ versionis aliquod eximium mendum, quando locum hunc ita legit & sensum totum enervat, πᾶς τόπος ἀφανισμοῦ, ubi

Fons gratiæ.

נִדָּה

חַטָּאת

LXX. errant.

Quis fons hic intelligatur.

ubi in textu hebræo more suo מְקוֹר, id est, locus legisse videtur pro מָקוֹר, id est, fons. Quanquam verò ex jam dictis obscurum esse nequit, quis fons hîc intelligatur, tamen dilucidiùs si quis sibi explicari hoc vult, ita habeat, notari id omne, unde puritas, ablutio à peccatis & justificatio nostra oritur, nempe causa efficiens remota Dei misericordia, propior (ut se erga Ecclesiam revelarunt tres divinitatis personæ) Spiritus S. instrumentalis, verbum & sacramenta; inprimis verò ratione initij bonorum nobis communicatorum baptismus; meritoria, Christi passio & latus in cruce perfossum, unde aqua & sanguis, duo N. T. sacramenta profluxerunt. confer cap. 12, 10. Ioh. 19, 34. 1. Iohan. 5, 8. quorum omnium causa finalis, ablutio nostra à peccatis, unde oritur peccatorum remissio & justificatio, ut non sit necesse, ad unum horum saltem hunc fontem restringere, cùm notet omne id, unde ad nos divinæ gratiæ profluunt rivuli. Eventus autem hujus vaticinij videri potest apud Evangelistas, quando Iohannes publicè baptizat, Christus omnes sitientes & immundos ad se vocat, & apostolos in totum terrarum orbem Evangelium prædicatum & conversos baptizatum ablegat.

LOCI COMMUNES.

Ex vers. 1.

V. T. nox, N. T. dies.

1. *Die illo*] Cùm hæc phrasis, die illo, hinc inde apud prophetas tempus N. T. denotat, id præter alia, quæ declarat, eâ significari putamus, quod hoc ad V. T. collatum ratione perspicuitatis sit ut dies, & illud ut nox, sicut apostolus innuit Rom. 13, 12. tum enim sol justitiæ ortus

ortus est radijsque illustrioribus se patefecit Malach. 4, 2.

II. Erit fons apertus] Cum Dei gratia in N. T. promissa & præstita fonti inexhausto confertur primùm notandum, quæ comparationis hujus membra in scripturâ extent præcipua. Ut enim fons I. ratione ortus ex imis terræ visceribus prodit, ita illa ex intimo Dei corde provenit, sicut in V. T. verbum חסד ejusq; derivata, & in N. φιλανθρωπία Deo tributa evincunt. vide quæ dicta sunt sup. c. 1, 12. 16. & 10, 6. II. ut aqua ejus est pura, dulcis, & maximâ lassum reficiendi vi prædita, ita etiam Dei gratia suavis est afflictis, eosq; mirificè recreat. III. ut fons semper abundat, fluit & se hinc inde didit emittendo rivulos, ita divina misericordia se ad omnes extendit, ejus fiunt participes, qui modò volunt ipsi. ubi si quis jam velit cum hoc fonte comparare aquam ex petra profluentem, ac Israelitas in deserto potantem Exod. 17, 6. Num. 20, 8. 11. 1. Cor. 10, 4. optimè hoc quoq; fieri posse existimo. Secundò, quod vis in baptismo omnis sit ex sanguine Christi, qui est fons ille, abluens omne peccatum 1. Joh. 1, 7. Heb. 9, 14. 1. Pet. 1, 19. Apoc. 1, 5.

Gratia Dei confertur fonti.

1.

2.

3.

Baptismus sanguine Christi abluit.

III. Domui Davidis & habitatoribus Jerosolymæ] Sacramenta sunt Ecclesiæ κειμήλια. confer Rom. 9, 4. Eph. 2, 12.

Sacramenta Ecclesiæ bona.

IV. Pro peccato] Baptismus verè abluit peccata Act. 22, 16. quod est contra Calvinianos notandum, qui tantùm nudum esse signum volunt: & abluit peccata omnia, & originalia & actualia Johan. 3, 5. Eph. 5, 25. 1. Cor. 6, 9. 10. 11. quod est contra Pontificios observandum.

Baptismus verè abluit.

peccata omnia.

Vers. 2. Sic fuit primus & præcipuus hujus fontis hominibus aperti, & ab ijs rectè usurpati effectus, peccatorum ablutio, sequitur secundus, falsorum cultuum bolitio. Nam *erit etiam die illo*, *dictum Jehovæ* Domini *exercituum, ut exscindam nomina*, notitiam, fidem, cultum idolorum seu verius *terriculorum* quibus hominum veri Dei ignarorum animi terrentur, non secus, ut puerorum mentes instabiles perturbantur terriculamento 1. Sam. 31, 9. 1. Chron. 10, 9. *è terrâ* Es. 2, 18. *adeò ut non cõmemorentur amplius*, puta ut hactenus iterum cultus ipsis exhibeatur, quomodo hinc inde in biblijs prohibetur, ne ita commemorentur ipsorum nomina, ut per ipsos juremus, ipsosve invocemus. vide Exod. 23, 13. Deut. 12, 3. Ps. 16, 4. Es. 45, 23. Hos. 2, 17. alias ita illa nomina usurpare, ut inde vanitatem illorum deastrorum & fictorum numinum, seu verius nominum inanium monstremus & contemnamus, non est prohibitum. quomodo in scriptura illa hinc inde ad æternam rei memoriam sunt consignata, qua de re prolixe & eleganter Dn. Chemnitium p. 4. Exam. Concil. Trid. L. 2. differentem videpotius, quam quosdam alios, qui ejus viri scrinia compilant, & pro suis venditant. Tertius effectus est pseudoprophetarum remotio, de quo ita dicit Dominus, *quando etiam eorum prophetas* falsos, *& spiritum impuritatis*, hoc est, diabolum ipsum per illos loquentem in suis fictis oraculis *amoturus sum ab hac terra* quæ cognitione Dei fuerit jam illustrata, ne Diabolus ille spiritus immundus deinceps per impuram doctrinam, quam suis illis

עֲצַבִּים

Idolorum nomina quomodo non commemoranda.

Spiritus impuritatis.

t

illis cultoribus & vatibus inspiravit, impuret aut seducat alios. Confer Matth. 12, 43. Marc. 1, 26. Joh. 8, 44. Apoc. 16, 13. ubi de nomine & natura illius spiritus impuri quædam leguntur, & porrò hujus vaticinij eventum vide, quod sub tempus nati, exhibiti, & prædicati Christi omnia oracula diabolica conticuerint, qua de re Plutarchus peculiarem librum scripsit, in quem qui commentaria edidere, multa dederunt nobis super hac re ex historijs probata, quæ videri poterunt.

Vers. 3.] *Sic* autem *futurum est*, *ut* quum *prophetaverit quispiam amplius* ab illo spiritu impuritatis pellectus, *dicant ei*, qui sunt ipsi à natura conjunctissimi, parentes scilicet, *qui genuerunt eum* non tantùm *pater ejus*, sed & *mater ejus*, cujus tamen in natos solet esse tenerrimus affectus, atq; adeò studium naturale ac σοφίας suas pietatis studio subijcientes juxta Christi monitum Matt. 10, 37. sententiam mortis ex lege Dei proferant atq; illâ ipsum deterreant Exod. 20, 5. 7. sic comminantes, si ita perrexeris, *non es victurus* tandem apud Deum, sed condemnaberis (confer Ezech. 18, 24. & 33, 10. Eph. 4, 18. quod ad phrasin, quod ad rem Gal. 5, 20. 21. Phil. 3, 18. 19. 2. Tim. 2, 17. Titum 3, 10. 11.) *quia falsitatem locutus es nomine Jehovæ*, & his alijsq; verbis durioribus velut *transfigent eum pater ejus & mater ejus*, *qui genuerint eum*, *dum* ita *prophetat ipse*, quomodo verba comminatoria aut graves reprehensiones aut doctrinæ omnes dicuntur findere corda auditorum Act. 7, 54. stimulare ac pungendo penetrare Act. 2, 37. & verba Jehovæ acui Deut. 6, 7. unde & ipsa gladio ancipiti Psal. 149, 6. 7. Esa. 49, 2. Eph. 6, 17. Heb. 4, 12. Apoc. 1, 16. & 19, 15. aculeis denique & cla-

Pseudopropheta à parentibus reprehenditur.

Non vives

Verba Dei transfigūt.

& clavis conferuntur Eccles. 12, 13. quod nimirum hominem velut transfigant, in quam sententiam huc meritò adducimus illud Salomonis Prov. 12, 18. est qui pronunciat similia transfossionibus gladij, at lingua sapientum medicinæ. Ubi eadem Radix quæ hic extat, in textu, & notatur, esse, qui verbis asperis cor ejus cui dicuntur, penetrantibus ad iram provocat, & esse sapientes, qui suis verbis blandis iram sedent. ut non sit necesse, h. l. tantùm propriè explicare verbum transfigendi hoc modo, quod ipsi parentes privato arbitrio sint transfossuri & occisuri suum filium hæresiarcham, id quod esset contra ordinem divinitus institutum, quo soli magistratui politico gladius est concessus, & contra totam scripturam, quæ hæreticum simplicem certo modo ferendum, non verò è medio auferendum & tollendum esse præscribit, dum eum jubet caveri Matth. 7, 15. & vitari Tit. 3, 10. non verò evitari seu occidi Matth. 13, 29. Quibus si quis explicationis uberioris gratiâ id quoque velit subijcere, quod propheta de tempore N. T. loquens ad populum sub V. accommodet se ad eorum captum loquendi formulis, & tum notis utens quidem, sed longè aliter intelligens respiciat ad legem ceremonialem, quæ extat Deut. 13, v. 5. non improbabiliter hoc fieri posse colligimus. Quid? quod nec דָּקַר ideſt transfodit semper significat ita transfixit, ut inde mortuus sit, siquidem expressè habetur apud Jeremiam c. 37, 10. reliqui essent ex eis homines transfixi, quisq; in tentorio suo exsurgerent & comburerent civitatem hanc igne, quomodo etiam experientia testatur multos confossos supervivere, ut ita neq; hoc modo, omninò occidendos esse

Prov. 12, 18.

Parentes privato arbitrio non trãsfodiunt filium.

Phrasi V. T. res N. T. explicatur.

דָּקַר *non notat semper, occidit.*

esse hæreticos simplices, qui non sunt simul seditiosi aut blasphemi, hinc colligere queant Pontificij & alij, cùm levior pœna ad eos compescendos possit sufficere, quam magistratus inferat filio à parentibus adducto. quod enim quis facit per alium, ipse fecisse videtur, & exempla in scriptura sunt hujus locutionis plurima, ne quis parentibus privato arbitrio licere inferre pœnas graviores, hinc concludat. Verum si omninò omnia propriè velis accipere etiam de ipsis parentibus, in sua ipsorum persona, correptiones, verba, flagellationesq; privatas in filijs immorigeris his esse concessas novimus, Prov. 13, 24. & 23, 13. 14. & 29, 15. 17. & 22, 15. Heb. 12, 7. etsi versum 6. cum hoc volumus conferre, omninò cogimur hoc asserere, utrumq; vocabulo configendi hîc denotari, videlicet primùm præire aspera verba, quibus si nil proficiant parentes, ventum iri ad verbera aliaq; media, duriora, ut cum manus aut corium sui filij inobedientis vel virgis lacerant, vel alijs rebus vulnerant, ita tamen ut citò convalescere & omninò supervivere queat, quæ omnia prolixiùs afferre volui, ut manibus adversariorum dictum speciosum extorquerem.

Parentes per magistratum puniunt,

quæ illis castigationes concessa.

Vers. 4.] Cum verò ita omnes pro virili, quantum quisq; valet & potest, sub tempus N. T. hoc sunt curaturi, ut veritas verbi divini & puritas sarta tecta in Ecclesia conservetur, sineq; ulla προσωποληψίᾳ falsum docentes redarguantur, *ita erit die illo*, divina adjuvante gratia & veritatis se diffundente splendore, ut verbis asperis increpati â maximè intimis *erubescant isti prophetæ*, falsi, quisq; à visione, non vera Dei, sed *sua*, ficta, *postquam prophetaverit* & jam meliora sit edoctus satis graviter, neq;

Confusio pseudoprophetarum.

neq; deinceps tale quippiam denuò ulli conabuntur, & non amplius imitabuntur gestus & vestitus veterum ac verorum prophetarum, *neq;* eum in finem *ut mentiantur* prophetias falsas enunciando, dehinc *induent togam villosam*, hoc est, gestamen prophetarum 1. Reg. 19, 13. 19. 2. Reg. 1, 8. Es. 20, 2. Matth. 3, 4. ut hodiè cucullus monachorum, vel olim abolla militum græcorum Cynicorum philosophorum insigne, quomodo nomen hebræum אַדֶּרֶת cum אֶדֶר (qui cum etiam eandem habet radicem) id est, pallium oblongum ac magnificum Mich. 2, 8. magnam habet cognationem, & aliàs seorsim positum vestem quamvis preciosam, ceu paludamentum regium, denotat Jon. 3, 6. Jos. 7, 21.

Toga villosa.

אַדֶּרֶת

Vers. 5.] *Sed dicat* talis quisquam & secum intus in corde, &, si ita occasio feret, exterius profiteatur ore, *non sum propheta* amplius, si ita mihi res processura est sub manum, ut de vitâ sit veniendum in dubium, & omnes homines mihi sciam capiundos esse inimicos, discedam ab illo vivendi genere mihi à Deo non imperato, & me ad justum laborem, ad quem me vocavit Dominus, conferam, malo laborare manibus meis ut habeam unde vivam, quàm ut ociosus, sicut antea ex mendacio pascar, ad stivam antea me amici adhibuere mei, *vir agricola sum*, agriculturam exercebo, *nam* ad id vitæ genus *adhibuit* instituitq; *me aliquis à pueritia mea*, & à teneris ad rusticas operas, agrum colendum, pecus pascendum assuefecit, quomodo Lutherus in genere rectissimè vertit, Ich habe Menschen gedienet von meiner jugend auff/ quod hîc dicitur in specie, & אָדָם, h. l. non propriè cum Ribera, qui hoc multis propugnat frustra, sed appellativè & distributivè (ut aliàs sæpius Levi-

Non sum propheta.

אָדָם

vit. 1, 2.) accipiendum ex textus cohærentia facilè evincit, cum Adamus, ante tot secula satis qui concessit, non potuerit hunc in N. T. qui vivit, à juventute sua instruere. Verbum autem מִקְנָנִי proprie significat possidere me fecit, & hoc l. potest subintelligi vel nomen terræ, quomodo notabitur, effecit me agricolam, qui possiderem agros, vel nomen cognatum מִקְנֶה, id est, pecus ex verbo repetendum, quomodo significatur, pecuarium me fecit unà, quando arare docuit. de ellipsi nominis conjugati vide Buxt. thes. p. 441. lib. 2. c. 12. Reg. 6. in except. & exempla suppetuntin indice biblijs Junij subjuncto, in titulo, Ellipsis.

Ellipsis nominis conjugati.

Vers. 6.] *Quod si tum* porrò *dixerit ei* quispiam, *quid plagæ istæ in manibus tuis*, quibus vulneratus es? an adhuc te pseudoprophetam esse ijs ostentas? Confer 1. Reg. 18, 28. *dicet* ipse, non ita, plagæ hæ sunt, non quas ego sponte mihi intuli ad fraudandum alios, *sed quibus percussus fui* invitus *in domo amantium me*, meq; istis duris remedijs, cum mitioribus parere prius nollem, a malo instituto ad bonum revocantium, quomodo satis dilucidè hîc videmus, quid per transfigere versu tertio sit intelligendum, non increpare tantùm, ut plerique interpretes orthodoxi habent (inde enim nullæ plagæ visuntur in manibus, quæ hîc tamen expressè alijs apparere dicuntur) neq; planè occidere, ut Pontificij omnes, & Calviniani nonnulli, sed redarguere verbis prim im, & postea durjùs castigare flagellis, cum admonitiones priores sprevit, quomodo hominum in N. T. initio viventium zelus in puritate doctrinæ sacræ conservanda denotatur.

Plagæ inflictæ pseudoprophetæ.

Caput Decimumtertium

Loci Communes.

Ex vers. 2.]

Ecclesiam reformandi ratio.

In hoc versu ostenditur vera Ecclesiam reformandi ratio, quæ est, ut primùm idololatria tollatur 2. pseudoprophetæ removeantur 3. spiritus impurus ejiciatur. nam ubi illa vigent, est regnum antichristi, verumque Christi regnum valdè obscuratur, ut in papatu videre est.

Ex vers. 3.]

Laici in veritatem religionis inquirant.

I. Quum prophetaverit, ut dicant ei pater & mater ejus] Etiam ad Laicos pertinet, in veritatem religionis inquirere, vide Joh. 5, 39. Matth. 7, 15. 1. Thess. 5, 21. ut exemplum laudatum Berrhoensium ostendit Act. 17, 11. Adde 1. Reg. 18, 21. 24. 1. Cor. 10, 15. Ephes. 4, 14. Phil. 1, 9. 10. 1. Joh. 4, 1. Errant igitur Pontificij, qui hoc nolunt, dum scripturam eis legendam non concedunt, & fidem implicitam requirunt.

Hæreticorum exitium.

II. Non es victurus] Hæretici, qui tales manent, & se, & alios finaliter ipsis adhærentes perdunt in æternum Gal. 5, 20. 21. Phil. 3, 18. 19. 2. Tim. 2, 25. 26. & 3, 13. Tit. 3, 10. 11. 2. Pet. 2, 12. 19. 20. Apoc. 22, 15.

Ex vers. 4.]

Falsitas à veritate vincitur.

Erubescant prophetæ à visione suâ] Veritas tandem vincit omnem falsitatem Luc. 21, 15. exemplum est in Paulo veri Dei verbo falsa dogmata redarguente Actor. 9, 22. ratio est, quia Deus est veritas & ejus autor, Diabolus vero falsitatis & mendacij pater. illius verbum manet in æternum, hujus technæ cum hoc mundo pereunt. Qui igitur tandem non vult coram Deo ejusq; electis angelis ac-

ac hominibus erubescere, falsitatem & mendacia fugiat, quoniam Jehova perditurus est loquentes mendacium Psal. 5, 7.

Ex vers. 5.]

Non sum propheta, vir agricola sum] Hæc est vera pœnitentia, quando homo palàm confitetur sua malefacta Psal. 32, 4. 5. & 51, 5. Matth. 3, 6. Actor. 19, 18. & à malo recedens facit bonum Psal. 34, 15. ad verum Deum, à quo defecerat, se convertens Act. 26, 18. 1. Thes. 1, 9. 1. Pet. 2, 25. & juxta ejus mandatum in sua vocatione manens 1. Cor. 7, 17. 20. nec citra hujus summi imperatoris & Domini Zebaoth jussum stationem suam deserens aut mutans, ut omnia fiant εὐσχημόνως καὶ κατὰ τάξιν 1. Cor. 14, 40. cum Deus ἀκαταστασίαν non probet ib. v. 33, sed velit ut si spiritu vivimus, spiritu etiam στοιχῶμεν h. est, in acie constituti ordine progrediamur Gal. 5, 25. (siquidem στοῖχος dicitur in acie ordo à fronte incipiens & per succenturiatos à tergo sive substites sigillatim ad extremum agmen porrectus) & quidem juxta ordinis nostri κανόνα Gal. 6, 16. Phil. 3, 16. unde tantoperè ἀλλοτριοεπισκοποι & pacis publicæ turbatores reprehenduntur 1. Pet. 4, 15. exemplo est divinitus pœna affectus Jeroboam 1. Reg. 12, 33. & 13, 4. 5. sicut & Huzzia 2. Chron. 26, 16. 18. 19. & filij Scevæ Act. 19, 13. 16.

Confessio peccatorum.

στοιχεῖν.

Ἀλλοτριοεπισκοποι.

Ex vers. 6.]

Sunt plagæ, quibus percussus frui in domo amantium me] Melior est correptio manifesta, amore occulto, & fidelia sunt vulnera amici, deprecanda vero oscula osoris Prov. 27. 5. 6. unde meritò cum Davide suspiramus, retun-

Amici libera admonitio.

retundat me justus? benignitas erit: & corripiat me? unguentum erit præstantissimum Ps. 141, 5. & sola increpatio urit prudentem magis, quam si percutias stolidum centies Prov. 17, 10.

PARS TERTIA.

Præoccupatio, Christus afflictus est pseudopropheta.

Vers. 7.] Atq; hæc hactenus, quomodo tempore N. T. veri Christiani erga pseudoprophetas se sint gesturi, persequendo eos, quibuscunq; modis salva conscientia queunt, ex solo veritatis amore. Quoniam autem quæ est Diaboli versutia, hæc multis instillare ac suggerere poterat Judæis, quando Christum jam incarnatum ac miserè semper afflictum vident, præcipuè verò cum eum capi, conspui, flagellari & crucifigi cernunt, etiam summis sacerdotibus & reliquis pharisæis, qui alijs longè sanctiores habebantur, adstipulantibus, ecce prædictum est, fore ut pseudoprophetæ miserè tractentur. Hic Christus miserè jam tractatur. E. est pseudopropheta planus, seductor (quæ omnia Christo in passionis historia objecta legimus) Deus hic statim præmunitionem adijcit & per occupationem illa omnia diluit h. m. non est quod quispiam in filio meo ad tempus humiliato offendatur Matth. 11, 6. quia prædico ita futurum, & gravissimo S. Sanctæ Trinitatis consilio, ut ita genus humanum ipse redimat, pro illo omnis generis mala & mortem ipsam subiens, & non ex hominum arbitrio, sed ex mea Dei patris permissione Joh. 19, 11. imò immissione Es. 53, 7. 8. 13. tantis cruciatibus objicitur, quippe mediator 1. Tim. 2, 5. 6. & totius mundi λύτρον victima Matt. 20, 28. Joh. 1, 29. Eph. 5, 2. ex cujus jam absoluto redemptionis opere omninò id consecuturum est, ut Ecclesiæ N. Testamenti illa obtin-

gant

gant bona, quæ hactenus sunt prædicta, & tum multis per Evangelij prædicationem advocatis conferenda. Id enim quod sequitur, ego Deus pater de Filio meo loquor, & hoc est *dictum Jehovæ* Domini *Exercituum*, qui tanto temporis intervallo ante prædico, ut, cum jam evenerit, animi piorum non conturbentur, sed in memoriam hujus vaticinij regredientes sibi subijciant, se apud Zachariam prophetam id legisse, vel ex eo explicatum audivisse. Sic itaq; tempore passionis dicam Deus pater, *gladie*, persecutio, vulneratio, crux, calamitas, ad mecum justum *evigila* & veni *super pastorem meum* Jesum Christum sup. c. 11, 4. 7, non vulgarem aliquem, inquam, pastorem nudumq; hominem, *sed contra virum* seu hominem quidem, sed per unionis gratiam verum Deum & meum Dei patris *proximum heb.* גֶּבֶר עֲמִיתִי, cujus utriusq; vocis magna est ἔμφασις, & ipsæ magnum h. l. continent mysterium Primum enim גֶּבֶר dicitur Christus θεάνθρωπος Ecclesiæ sponsus rex ac dux ratione humanæ naturæ, vide Jer. 31, 22. & quæ in hoc dsctum sunt allata in exerc. bibl. pag. 93. 94. deinde עֲמִית notat stricte & propriè, non quemvis proximum, qui dicitur רֵעַ vel חָבֵר vel קָרוֹב, sed intimum, qui è regione in conspectu alicujus aut circa eum semper est, præsto ad omnia amici officia, ad quævis servitia promptus & paratus, quoniam de tali usurpatur Levit. 6, 2. & 19, 11. 17. & Rad. עָמַת, id est secundum, juxta, circum deducitur, & ex simili phrasi de intima familiaritate, quæ potest esse inter homines, usurpata כְּנֶגְדּוֹ Gen. 2, 18. uberius declarari potest. Et quoniam Deus pater h. l. honorifico hoc, (quod sit proximus suus) imò tantùm vero Deo com-

Cur hæc prædicantur.

גֶּבֶר

עֲמִית

כְּנֶגְדּוֹ

Christus imago patris.

competente nomine appellat Christum, id inde colligimus, quod hic ipsi sit alter idem, imago Dei invisibilis character hypostaseos patris, & splendor gloriæ illius Col. 1, 15. Heb. 1, 3. tanquam ex adverso & unâ cum patre æternum micans, lumen de lumine, & Deus verus de Deo vero, quiq; est in sinu patris Joh. 1, 17. ut uxor (si parva licet componere magnis, scriptura tamen per hanc phrasin duce) in sinu viri Gen. 16, 5. Deut. 13, 6. & 28, 54. 56. 2. Sam. 12, 8. Mich. 7, 5. ipsi maximè familiaris & conjuncta conjunctionis vinculo arctissimo, quæ omnia secundum divinam naturam per se tantùm possunt intelligi, & proinde quia Christus est socius vel proximus patris, patri ὁμοούσιος, coæqualis majestate & gloria, verus & æternus erit Deus, quod pro ratione V. T. hîc declaratum obscuriùs, in N. dilucidiùs fuit explicatum & probatum mysterium. Sic autem Deus pater pergit, gladie *percute pastorem* meum, & sic *dispergentur* ejus *oves*, quod de quo sit intelligendum, docet Christus ipse, quando Matth. 26, 30. Marc. 14, 27. de se suisq; Apostolis hoc esse prædictum demonstrat. Ille enim dum capiebatur, & velut ovis mactationi destinata abducebatur, omnes discipuli fugâ sibi consuluerunt, Christumq; solum reliquere, ut etiam ipse prædixit Joh. 16, 32. & eventus comprobavit Matth. 26, 56. Illud verò neminem turbare debet, quod quando apud prophetam est in imperativo הַךְ percute, sicut etiam græcè versum olim πάταξον, oratione directa ad gladium, apud Evangelistam sit futurum παπάξω percutiam in prima etiam persona, quasi Deus ipse percuteret. Cum enim gladius iste non nisi Dei jussu Christum percutiat, meritò

In sinu esse.

Christus verus Deus.

Percutitur pastor, dispergunt. tur oves.

Conciliatio temporum & personarũ.

hoc

hoc ad ipsum ut causam principalem refertur, & alias sæpe Imperativus apud hæbræos pro futuro ponitur Gen. 20. 7, Deut. 32, 50. Prov. 3, 4. & 4, 4. & 20, 13. Ps. 37, 28. quemadmodum etiam constat ex collatione loci Es. 6, 9. ubi Imperativus, שִׁמְעוּ, & allegatione ejusdem Matth. 13, 14. Act. 28, 26. ubi futurum ἀκούσετε, quibus adjunge, quæ dicta sunt ad Amos 5, 25. 26. 27. de generali conciliatione dictorum scripturæ, quæ aliter, quam extant, allegari in N. T. videntur. Verum enimvero cum Christus pastor ita percutitur, & oves disperguntur, annejam de Ecclesia actum erit, & omnes promissiones hactenus factæ irritæ? non ita, quia statim paulò post resurrectionem *reducam manum meam*, quam paulisper, sibi ipsos relinquens, subduxeram, *ad parvulos*, videlicet apostolos, eorumq; similes, quos congregabo, & congregatos conservabo, sicut etiam evenisse legimus Matth. 28. Marc. 16. Luc. 24. Johan. 20. & 21. Act. 1. capp.

Imperativus pro futuro.

Es. 6, 9.

Apostoli reducti.

Vers. 8.] Hosce autem, quos se Deus mundo pereunte mirabiliter conservaturum ait Jehova per aliquot circumstantias describit, quarum 1. qualitas, quod sint parvuli, versu præcedente 2. quantitas, pauciissimi, vix tertia hominum pars, hoc versu 3. calamitas, crux, 4. proprietas, doctrina & fides 5. securitas, promissio benevolentiæ Dei, versu sequente nono. *Nam erit*, dicit porro *Jehova*, *in tota hac terra*, in qua Evangelium de Christo passo mortuo & resuscitato publice prædicabitur, *ut partibus duabus in eâ*, sua culpâ suoq; vitio, *excisis & exspirantibus tertia* viva *relinquatur* & salva fiat *in eâ*, Confer parabolam à Christo propositam Luc. 8, 5. &

Notæ eorum, quos Deus servat.

Tertia pars in Ecclesia servatur.

Pauli hac de re dictam sententiam 2. Corinth. 2, 15. 16. Quando igitur tertiam partem ab interitu liberam fore pronunciat, pias electorum reliquias certò salvandas intelligit.

Pij probantur ut aurum.

Vers. 9.] *Tertiam verò istam* partem mihi derelictam *inducam in ignem* probationis seu crucem, *conflansq; eos ut conflatur argentum*, quod igne purius evadit, probabo eos, quemadmodum probatur aurum 1. Pet. 1, 7. Es. 48, 10. ex qua probatione & afflictione id in Ecclesiam redundabit commodi, ut Ecclesia propius ad Deum sit accessura, & hic se illi patefacturus clariùs, siquidem

Probationis fructus.

fructus illius purgationis erit geminus, prior, vera Dei ardens invocatio, posterior, favoris ejusdem non fallens certificatio. *Hic* populus & illa tertia pars mihi credens, *invocabit nomen meum, & ego exaudiam eum* Psal. 50, 15. & 91. 15. *dicam, populus meus est, & ipse dicet, Jehova est Deus meus*, qui me creavit, redemit, sanctificavit, adhuc mirabiliter conservat, & tandem æternùm salvabit, quia beatus populus ille, cujus Jehova est Deus ejus Ps. 144, 15. præcipuè verò hoc dicitur respectu fœderis & desponsationis spiritualis, id quod explicatur satis benè Hos. 2, 19. 20. 23. confer exemplum Joh. 20, 28.

LOCI COMMUNES.

Ex vers. 7.]

Quæ de Christo prædicta, sunt impleta.

I. *Gladie, dictum Jehovæ Domini Exercituum*] Christi passio, uti prædicta, ita est completa Matth. 26, 54. 56. & 27, 9. 35. Marc. 15, 28. Luc. 18, 31. & 22, 37. & 24, 44. 46. Joh. 19, 36. Act. 13. 27. & omnia Deo prædefinien-

finiente & Christo ipso sciente Act. 2,23. &4,28. Joh.13,1. facta sunt.

II. Gladie contra pastorem meum] Nos omnes in Adamo contra Deum rebelles, meriti eramus gladium Dei judicis Es. 27, 1. & 34, 5. 6. Jer. 12, 12. Ezech. 21, 8. & 30, 24. quemadmodum etiam statim post lapsum ex paradiso ejecti inde flammante gladio arcemur Gen. 3, 24. Sed venit alter Adam posterior 1. Cor. 15, 45. & pro nobis nostram vicem subiens gladio illi se objicit, & per illum dolore afficitur propter defectiones nostras, atteriturq; propter iniquitates nostras Es. 53, 8. quandoquidem exponebat se ipse sacrificium seu victimam pro reatu ibid. v. 13. ut nos servi peccati per filium liberaremur Rom. 6, 20. Joh. 8, 32. 34. 36.

Christus pro nobis se objicit gladio.

III. Evigilia] Deus pater ex justitia non tantùm omnium nostrorum peccata eorum fecit in Christum incurrere Esa. 53, 9. sed etiam delectatus est conterere ipsum ib. v. 13. ut etiam, suo modo, in Christo sponsore nostro coram patre Heb. 7, 22. verum fuisse videamus, quod dicit Salomo Prov. 11, 15. omninò confringitur, qui spondet pro alio. nam Deus pater super Christum varia mala advocat, summam paupertatem Luc. 2, 7. Matth. 8, 20. 2. Cor. 8, 9. maximam anxietatem Matth. 26, 37. 38. Luc. 22, 44. Matth. 27, 46. grandem persecutionem Matth. 2, 13. Joh. 8, 59. infimam abjectionem Es 53, 2. 5. 6. Phil. 2. 7. inferni horrores, mortis dolores Act. 2, 24.

Propter nos conteritur.

IV. Contra pastorem meum] Bonus ille pastor Christus vitam suam ponit pro ovibus Joh. 10, 11. 14. 15. ut hæ vitam habeant & abundent ib. v. 10. quomodo potest com-

Christus pastor.

comparari cum Davide liberante parvam pecudem è grege ex ore leonis aut ursi 1. Sam. 17, 34. 35. 36.

Deus unus.

V. Contra virum proximum meum] Verè quidem Deus Es. 42, 8. dicit: Ego sum Jehova, illud est nomen meum, & gloriam, extra Deum verum, meam alteri Deo facto aut ficto non dabo, nec laudem meam sculptilibus & verè est verus Deus ille, cui soli est nomen Jehovæ Ps. 83, 19. at pares illi tamen occupavit natus honores, quippe idem ille in essentia Deus verus 1. Johan. 5, 20. Deus magnus Tit. 2, 12. Dominus super omnia benedictus Rom. 9, 5. Dominus Dominorum & rex regum Apoc. 17, 14. & 19, 16. filius Dei unigenitus Joh. 3, 16. 18. & 1, 18. & proprius Rom. 8, 32. Cujus Deus pater est πατὴρ ἰδιος Joh. 5, 18. & Christus est ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ τοῦ ζῶντος Matth. 16, 16. ex quibus omnibus facilè intelligimus, quod à λεγομένοις alijs fictis vel factis dijs distinguatur & verus Deus sit hic pastor, quod contra Photinianos hodiernos notandum.

Christus Deus verus.

Christus verè dolores sensit.

VI. Percute] Inservit hæc particula ad redarguendos illos omnes, qui veritatem dolorum & cruciatuum in Christo negarunt, ut Hilarius ἀφθαρτοδοκήτης & alij ipsorum similes, de quibus videatur Dominus Chemnit. p. 1. L. C. & de duabus naturis in Christo cap. 3, quibus omnibus cum eodem illud unicum opponimus & firmissimum ex Es. 53, 7. VERE morbos nostros ipse pertulit, & ἐμφάσεις vocabulorum, quæ extant Matth. 26, 37. 38. Luc. 22, 44. urgemus.

Qui stat, videat, ne cadat.

VII. Et dispergentur oves] Discipulorum Christi scandalum & fuga prædicta, eventuq; probata, nos monet, ne de nostris viribus quicquam cum Petro præsuma-

sumamus, cum cuiq; accidere possit, hisce quod accidit, sed memores simus moniti apostolici: qui stat, videat, ne cadat 1. Cor. 10, 12. & proinde nostram salutem cum timore ac tremore operemur Phil. 2, 12.

VIII. At reducam manum meam] Christus pastor animarum fidelis ovem errantem & jam in deserto quærere non desinit Luc. 15, 4. 7. qui propterea in hunc mundum venit ut salvaret, quod erat perditum Matt. 18, 11. *Christus quærit perditum.*

IX. Ad parvulos] Videmus, quales sint in Ecclesia, nempe parvuli, quibus Deus revelat sui verbi mysteria Matth. 11, 25. non multi sapientes juxta carnem, non multi potentes, non multi nobiles, sed stulta, infirma & ignobilia hujus mundi eligit Deus 1. Cor. 1, 26. 27. 28. Deus enim omnium supremus non quæ supra ipsum esse volunt, sed quæ se infra eum esse agnoscunt curat & probat Ps. 113, 5. 6. *Parvulos Deus elegit.*

Ex vers. 8.]

I. Partibus duabus in ea (terra) *excisis & exspirantibus*] Semper major hujus mundi pars suo vitio ac culpa perit, ut pluribus à Christo exponitur in parabola Luc. 8, 4. quemadmodum plerique ex Ægypto educti Deo non placebant, sed in deserto prostrati sunt 1. Cor. 10, 5. *Multi pereunt.*

II. Tertia relinquetur in ea] Semper remanet quædam Ecclesia, licet illa respectu mundi sit parvus grex Luc. 12, 32. & illa Ecclesia N. T. est effectus quidam passionis Christi. nam quemadmodũ ex costa Adami primi indormiscentis חַוָּה Eva, hoc est, mater omnium viventium hominum est condita Gen. 2, 21. 22. & 3, 20. ita ex latere Adami posterioris in cruce indormiscentis adaperto Ecclesia vera & unica mater omnium fidelium & Deo viventium exædificata est. *Pauci salvantur.*

Ex verſ. 9.

Pij in ne crucis purgantur, ut aurum, quicum conferuntur.

I. Inducam tertiam iſtam in ignem conflans ut conflatur argentum] Crux piorum hinc inde in ſcriptura confertur cum igne, & ipſi cum argento & auro, quod in illo ſolet probari, conflari ac purgari Pſal. 66, 12. Eſ. 1, 25. & 48, 10. Jer. 6, 29. & 9, 7. Mal. 3, 3. 1. Pet. 4, 12. 13. 1. Cor. 3, 13. 15. Comparationis autem hujus hæc poſſunt oſtendi membra præcipua I. originis æqualitas. Ut enim aurum & argentum ex terra effoditur, & quidem valdè impurum, dum adhuc multum ſcoriæ & ſordium habet admixtum: ita homo caro de carne natus, cùm primum à Deo convertitur, multum adhuc veteris Adami reliquiarum ipſi adhæret, quæ paulatim de die in diem abſumuntur II. purgationis utilitas. quemadmodum aurum propterea in ignem conjicitur, ut purum evadat, & à ſcorijs liberetur: ſic homo renatus cruce affligitur, ut caro mortificetur & ipſe melior evadat III. Purgatorum precioſitas. Ut enim aurum tum demum, cùm purum eſt, in valore eſt: ſic Chriſtiani fide juſtificati & cruce probati boni & grati Deo evadunt IV. purgantium diverſitas. Aurifabri aut metallici non deſinunt priuſquàm omnes ſordes expurgaverint: Deus verò recordatur nos eſſe pulverem, & facit cum tentatione illum eventum ut poſſimus ſuſtinere.

I.

II.

III.

IV.

Crux ad Deum ire cogit.

II. Hic invocabit nomen meum] Crucis hæc eſt non ultima utilitas, quod ad Deum ire compellat. Nam caſtigatione tuâ, Domine, premente homines fundunt ſubmiſſam orationem Eſ. 19, 22. in ipſa anguſtia viſitant te Eſ. 26, 16. & 27, 6. 7. Jer. 31, 18. 19.

III. Ex-

III. Exaudiam eum, & dicam, populus meus est] Deus suos tandem exaudit, atq; ita hos sibi curæ esse ostendit juxta promissiones factas Psal. 50, 15. & 91, 15. & 71, 20. Es. 57, 19. quia novit suos ex tentatione liberare 2. Pet. 2, 9. quibus singulis ita acclamat: Sic ait Jehova creator tuus, ne timeto, nam vindicavi te, vocavi te nomine tuo, meus es, Quum transis per aquas, tibi adsum, & per flumina, ne inundent te: quum ambulas per ignem, non ureris, & flamma non incendit te Esa. 43, 1. 2. *Deus suos tuetur.*

CAPUT DECIMUM QUARTUM.

Argumentum.

NE illa, quæ hactenus veræ Ecclesiæ Dei nomine promisit propheta, Judæi de terreni alicujus regni felicitate, interpretarentur, nunc tandem concludit, ipsam urbem ac terram sanctam vastatum, opes direptum, homines maximam partem aut occisum aut in captivitatem abductum, atq; ita si quid splendoris politia Judaica exteriùs habuit, id omne ademptum iri prædicit. Sed ne contrà hac gravi comminatione nimis consternarentur fideles, promittit fore, ut piæ quædam serventur reliquiæ, ijsq; per gentium ex toto terrarum orbe aggregationem mirificè propagetur Ecclesia per Evangelij prædicationem in toto mundo divulgatam, postquam Jerosolymis est egressa. Et quia fieri non potest, ut Ecclesia vera, cujus viva membra non sunt de hoc mundo, ametur, sed potius per- *Summa. Minatur, Solatur.*

persecutio grandis semper ei sit vel metuenda, vel experienda, minas gravissimas subjicit adversus eos, qui doctrinam Dei, Ecclesiæq; cœtum aut aspernantur, aut persequuntur, quarum vigore futurum est, ut illi pereant, & cives Ecclesiæ sanctitati vitæ studeant. Quomodo in toto capite duo potissimum in tota vita semper consideranda proponit, Impios verbum Dei negligentes manens exitium, & pios Deum diligentes beantem lætum exitum, manumq; Dei illis gravem ac in mala impellentem, his verò suavem ac miserias repellentem, illi ut pœnitentia seriâ istam præveniant, hi ut confidentia piâ eò adveniant.

Duo semper consideranda.

Analysis I. Partes quatuor,

1.

2.

3.

4.

Popularem dividendi rationem cum sequimur, capitis hujus possumus constituere partes 4. In I. de Judæorum maximam partem exitio, urbisq; Jerosolymæ excidio II. de gentium in eorum locum substitutione ac fortuna varia III. de pœnis contemtorum & persecutorum Ecclesiæ IV. de illorum, qui ad Ecclesiam sunt conversi, in cultu divino perficiendo ardore & devotione. Quia verò propheta hîc prolixiùs enarrat promissionem superiori capite v. 8. & 9. factam, fore ut duabus

II. Partes duæ

1.

Judæorum partibus excisis tertia salvetur, capitis hujus duæ erunt partes principales, una malorum internecio, quando à Tito Vespasiano Judæa tota vastabitur, ipsa urbs sancta solo æquabitur, & reliqua belli mala malos malè perdent v. 1. & 2. altera bonorum & ad Deum conversorum conservatio, quæ pars, quia erat propter credentes magis inculcatu necessaria, etiam pluribus explicatur, dum promittuntur hæc duo, adversariorum profligatio (prolepticè vers. 3. proposita, ac postea à

2.

versu

versu 12. pluribus expositа) & rerum omnium ad salutem piorum necessariarum subministratio, inter quas primò omnium, fons omnium, declaratur, nempe gloriosa Christi in cœlos ascensio, apostolorum in totum terrarum orbem emissio v. 4. unde primò hominum conversio, conversorumq; mirabilis protectio v. 5. Secundò, perpetua Ecclesiæ illuminatio v. 6. & Jehovæ agnitio v. 7. tertiò, perennis aquarum viventium in totam Ecclesiam se diffundentium scaturigo v. 8. quartò veri cultus divini instauratio v. 9. quintò, impedimentorum, quibus & cursus Evangelij sisti, & Christiani novi terreri poterant, sublatio v. 10. & 11. porrò v. 12. & sequentibus redit propheta ad jam sæpius cœptam & nondum pertextam explicationem de adversariorum Ecclesiæ profligatione (vide sup. 12, 9. & 13, 8. sup. in hoc cap. v. 3.) ubi inimici ac hostes Dei vel planè perdentur, si fuerint obstinati, vel ad Deum convertentur, si fuerint plagis emendati. Nam quod ad pertinaces spectat, divinitus plaga afficientur, in corpore suo tabe v. 12. in animo amentia v. 13. in opibus suis deprædatione v. 14. in jumentis omnis generis calamitate v. 15. quod verò ad eos, qui Dei iram metuentes se convertunt, attinet, veri Christiani Deum ritè colent v. 16. hypocritæ & refractarij manum Dei effugere non valent, quando veniet super eos in lege denunciata maledictio v. 17. 18. 19. illi autem se suaq; omnia Deo consecrabunt v. 20. 21.

Prædicationis Evangelij effectus 1. 2. 3. 4. 5.

Hostium Ecclesiæ profligatio.

PARS PRIOR.

Vers. 1.] Quod suprà capite 11, 1. dixerat propheta, aperi Libane portas tuas, nunc porrò explicat, & urbem & orbem Judaicum non tantùm oppugnatum, sed etiam

expugnatum iri prænunciat, inq; hoc versu tria indicat, primò temporis commemorationem, deinde quid sit Judæis eventurum, & deniq; cujus jussu. *Ecce* (quæ particula ad oraculi certitudinem, ac rei gravitatem exprimendam facit) *dies*, & quidem ultionis Joel. 2, 1. 2. Sophon. 1, 7. 8. *ventura est Jehovæ*, jam exhibito malèq; à Judæis tractato atq; demum in cruce sublato Messia, *quum dividetur spolium tuum, ô Jerosolyma, in medio tui* per Romanos rerum Dominos, Titum Vespasianum, aliosq;, postquam omnia jam devicerunt & expugnaverunt, nam ὕστερον πρότερον hîc priùs de spolijs, postea de bello ac victoria agit, atq; ita monet, non esse quod exhibito Messia regnum corporale sperent Judæi. Neque verò etiam illud caret ἐμφάσει, quod dicitur, in medio tui, sed notante Hieronymo id innuitur. Solet frequenter hoc accidere, ut, quæ subito impetu direpta sunt, foris in agro aut in solitudine dividantur, ne fortè hostes superveniant. Hic autem tantum malorum pondus incumbet, ut, quæ direpta sunt, in civitatis medio dividantur pro securitate victoriæ. Inspice quæ dicta sunt Joel. 2, 9. Hobadi. v. 5. 6.

Dies ultionis.

In media urbe spolia dividuntur.

Vers. 2.] Hanc autem ut tantò facilius credant præfracti Iudæi, jam porrò numerum hostium, urbis calamitatem, & in bello superstitum exilium describit, quodq; paucis dixerat, per partes explicat, de quibus videatur Iosephus lib. 1. de bello Iudaico c. 1. & 3. lib. 5. c. 14. & lib. 7, à cap. 17, usq; ad 20. ita dicit Iehova Dominus ille Exercituum. *Recipiam* enim & congregabo meas copias, ut de rebelli populo sumam supplicia *omnes gentes contra Jerosolymam ad bellum, & capietur civitas, diri-*

Excidium Jerosolymæ.

diripienturq; domus, & fœminæ comprimentur, & exibit pars civitatis, quæ peste fame & bello nondum perijt, *in deportationem*, quæ omnia sub Tito Vespasiano contigerunt, siquidem pleræq; gentes tum Romanis, quorum hic dux erat, parebant, atq; ex illis exercitum collegerat, civitas est capta, ædes direptæ & incensæ, & multi in exilium abducti. Atq; hæc evenere Iudæis incredulis, qui minas Dei spernebant: reliquis verò propter eas consternatis, & ad Deum reversis salutaris fuit illa obsidio & expugnatio. præterquam enim quod multi pij ante eam concessere Pellam, ibiq; securè latitarunt, pauci mirabiliter à Deo protecti Ecclesiæ veræ se associarunt, jam satis aliorum malis eruditi, quid sit pericli, Iehovam spernere, nec filium velle osculari, & sic *residuum populi*, minima seu tertia illa populi pars, sup. 13, 8. 9. *non exscindetur à civitate*, ita ut non amplius sit civitas, sed constituetur Ecclesia Dei, quæ est domus magna & templum spirituale. Ita enim hebraismus ille יִכָּרֵת מִן־הָעִיר explicandus, ut notet rei excidium, sicut Es. 17, 1. & 7, 8. confer quæ dicta sunt Ion. 4, 3.

quod pijs fuit salutare.

LOCI COMMUNES.

Ex vers. 1.

Ecce dies ventura est Jehovæ] Deus mala pœnæ facit ex justitia, eadem tamen ut caveantur, prædicit ex misericordia Amos 3, 6. 7. Benè illi, qui corrigitur nunc prædictione. malè illi, qui postea affligitur maledictione.

Mala Deus prædicit.

Ex vers. 2.]

I. *Recipiam omnes gentes*] Deus Dominus Exercituum

Creaturæ

tuum facilè contra malos potest cogere copias, cum omnes creaturæ ipsi libenter militent.

Multa in bellis prava.

III. Residuum populi non exscindetur] Deus in ira recordatur misericordiæ, & si quis hanc non spernit, statim eum clementem patrem cernit, quem severum Judicem antea timere necesse habuit Hab. 3, 2.

PARS POSTERIOR.

Unde Ecclesiæ securitas

Vers. 3.] Quæ verò causa hujus mirandi effectus, quod Ecclesia in medijs turbis tuta futura est, contra quasvis diaboli minas ac fortunæ procellas? illa unica, quod Deus pro suo populo pugnet contra gentes inimicas, aliosq; Ecclesiæ hostes. *Nam procedens*, cùm antea quasi se occultavit, dum opem non tulit, *Jehova pugnabit contra gentes illas*, quæ ad Jerosolymam spiritualem seu Ecclesiam oppugnandam convenerunt. pugnabit autem duobus modis, vi verbi & miraculorum potentia, *ut* antea in V. T. pro suis Judæis *quo die pugnavit*, *die* inquam *belli vel conflictus*, quando sæpè ipse mirabiliter ex alto suis succurrit & hostes fudit, illis omnibus modis, quibus unquam usus est ad debellandos suorum hostes, ijs utetur in initio N. T. quando arma sua omnia expediet, copias educet, quibus illos fundat atq; deleat. Hic enim mos est scripturæ, præcipuè in libris propheticis, ut in beneficijs, quæ exhibenda sub N. T. narrat, recordetur & explicet jam olim hebræis exhibita. confer Esa. 9, 4. 5. & 10, 26. cum Exod. 14. Jud. 7. Es. 11, 16. Hos. 2, 15. Zach. 10, 7. vide etiam quæ dicta sunt ad Amos 2, 6. 7. & 9, 14.

à Deo miraculosè eam servante.

Mos scripturæ.

Vers. 4.] Quando autem hoc futurum est? tum *postquam steterunt pedes ejus*, nempe Jehovæ pugnantis pro

pro suo populo sup. v. 3, *die illo* (quæ phrasis apud prophetas de felicitate & conditione Ecclesiæ N.T. loquentes, ut sæpissimè jam declaratum est, totum N. T. tempus denotat, non verò præcisè aliquem temporis articulum) *super montem olivarum, qui est in conspectu Jerosolymorum ab oriente*, & ab ea urbe tantùm distat iter sabbathi Act. 1, 12. hoc est, bis mille passibus minoribus, qui ferè unum milliare germanicum conficiunt, ut in h. l. pluribus demonstrat Tremellius, & postquam Domino inde in cœlos sublato *scissus fuit mons olivarum medius orientem & occidentem versus in vallem magnam valdè, ejusq; pars una recessit jam ad aquilonem, & pars ejus altera ad austrum*, id quod factum partim in die ascensionis, cum pedes Christi stabant in hoc monte, & ipse, priusquam ascenderat, præcepta apostolis dabat, ut in totum terrarum orbem Evangelium divulgarent, partim post diem Pentecostes, cum jam ipsi Spiritus S. donis miraculosis erant instructi & in omnem terram egressi verbum Evangelij prædicabant, quemadmodum complementum hujus vaticinij describitur Matth. 28, 16. Mar. 16, 15. Luc. 24, 49. Act. 1, 2. ita enim spiritualiter mons ille olivarum, ad quem congregati apostoli fuerant, divisus fuit in omnis mundi angulos, cum se illi in hosce contulerant, ita ex monte facta est vallis, ex superbo humilis, ex curvo rectum, ex aspero planum infr. v. 10. Hanc autem interpretationem ut probemus paucis, propter diversitatem explicationum, quarum nonnullas breviter subjiciemus, necessarium erit. Particula itaq; ו, quod pro postquam seu hebræo כַּאֲשֶׁר quandoq; usurpetur, ex sequentibus locis erit evidens Exod. 16, 20.

Die illo.

Mons olivarum,

quomodo sciſsus.

ו id est, כַּאֲשֶׁר

Esa. 64, 4. Levit. 9, 22. atq; ita si per præteritum, non verò, ut vulgo sit, per futurum verbum ipsum, sicut etiam sequens, explicamus, potissima Riberæ contra hanc interpretationem directa objectio (quod postquam propheta v. 1. 2. 3. de vastatione urbis dixisset, non possit jam demum in continuo vaticinio agere de Christi ascensione in cœlos, siquidem hæc illam totis quadraginta annis antecesserit) nos non ferit, & omnia satis bene cohærent. Porro licet in thesi facilè largiri possimus, quod ipse cum Junio hîc præsupponit, videlicet quod à majestate Dei judicis creaturis sæpe in scriptura contingere hoc dicatur, ut tremant, fugiant, dissiliant à facie Dei Psal. 18, 8. & 114, 5. 6. 7. 8. 1. Reg. 19, 11. Esa. 64, 1. tamen num hîc in hypothesi, & hoc loco id militet, quæstionis est, & nondum ab ipsis probatum. Quod etiam sequitur v. 5. fugietis, hoc non conficit, extraordinariam ac miraculosam Dei præsentiam hîc prædici, quandoquidem veniente Deo per suos apostolos in prædicatione legis & homines consternati & à suis peccatis, velut fugientes, discessisse leguntur Act. 2, 37. & 19, 19. Ribera quidem per montem olivarum intelligit gentiles convertendos, eò quod oleum misericordiam notet, quam ipsi sunt consecuti: sed cum in hac significatione, vocabulum non extet, hactenus tantùm dicit, non probat. Junij verò aliorumq; sententia textui ipsi, cujus literam non facilè deserimus, non congruit. cur enim ita exactè Spiritus S. mentionem faceret omnium mundi plagarum, in quas pervenisse scimus prædicantes apostolos, montem olivarum ita disjectum aut dissectum esse non legimus. Ex eodem refutari potest Danæi nimis

Riberæ respondetur

Creaturæ timent à facie Dei.

Riberæ,

Junij,

Danæi ex-

mis jejuna explicatio, quod pedes Dei in monte olivarum steterint, quum ibi hostiles Romanorum copiæ castra posuerant, & quod mons ipse sit scissus tum cum ab illis perfodiebatur. Neq; enim ille exercitus est pedes Dei, neq; in omnes mundi angulos hunc montem perfoderunt, quæ omnia quamvis latiùs explicare foret in proclivi, tamen cum non sint magni momenti, ad sequentia pergimus. *plicatio rejicitur.*

Vers. 5.] Dum autem apostoli à Christo ad montem olivarum instructi postea in totum terrarum orbem egrediuntur prædicantes pœnitentiam, & incipientes à Jerosolymis, vos Judæi primùm vocabimini, & *tum fugientes* vos *vallem montium*, puta quam Deus efficiet ex monte olivarum in partes diviso, *quum* ipse Deus *pertinget ad vallem montium*, & quæ antea erant elata, deprimet, fugietis, inquam, *ad* montem quem *selegit* Dominus, & velut rem preciosam apud se deposuit, atq;, ut dicam planis perspicuisq; verbis, recipietis vos ad Ecclesiam & domum Dei, cum vos alibi minùs tutos fore audiatis, & hæc fuga proveniet ex serio Dei metu, quem vestris peccatis vos antea gravissimè offendisse intelligetis, *sic fugietis, quemadmodum fugiebatis metu terræ motus, diebus Huzziæ regis Judæ*, de quo Amos 1, 1. *quando venit Jehova Deus meus, & omnes sancti ejus Angeli tecum*, ô Ecclesia sunt, tibi adstant, tibi ministeria præbent ex Dei mandato Psal. 91, 1. 11. Dan. 8, 13. Heb. 1, 14. & illos apostolorum pios conatus adjuvant, quæ etiam est simplicior sententia, quàm quæ de judicio extremo hæc verba accipit, idq; sequentia firmant hoc modo.

Vers. 6.] *Et erit die illo*, post universalem Evangelij præ-

prædicationem, ut major lux Ecclesiæ affulgeat, quàm hactenus splenduit, & ut dies agnitionis Jehovæ non sit varius ac instabilis, modò serenus, modò nubilus, sed certo æquabilique tenore, quam diu Deus volet, decurrat.

Non erit lux preciosa.

Non enim *erit* tum *lux preciosa & densa*, seu tenebris obnubilata, qualis esse solet sæpissimè tempore hyemis, cum nix terras obruit.

Aliorum explicatio,

Et hæc sententia magis se probat, quàm illa, quasi futurum prædicatur, ut non sit tum dies serenus, qualis solet haberi in precio, sed omnium rerum status dubius, ut neque triumphent pij, nec tamen omni spe libertatis sortisque melioris sint destituti.

rationibus refutatur.

Rationes meæ sunt, sine cujusquam præjudicio, quod hîc de consequentibus prædicationis universalis Evangelij agatur, & quidem ijs, quæ ex parte Dei ac per se eveniunt.

1.

persecutio autem illa tantùm per accidens & malitiam hominum obtingit.

2.

vide v. seq. & 8. deinde quod hîc obscurè dicitur, perspicuè versu sequente explicatur, erit lux ac prosper successus.

3.

Denique de persecutorum pœna v. 12. dum agitur, ibi etiam de persecutione tractari verisimile est. יקר autem quod notet rarum quid, alibi probatum est.

4.

Vers. 7.] Et hactenus (quod quartum argumentum esse potest) ἄρσις, sequitur θέσις: *sed erit dies unus* continuus ac perfectus, quem efficiet, curabit ac conservabit Deus, quamdiu ipsi visum fuerit, & ille dies erit *notus* atque probatus *Jehovæ*, non varius, ut antea in V. T. ex die & nocte constans, sed mira coruscans luce Rom. 13, 12.

Tempore vespertino erit lux.

nam erit, ut tempore vespertino, quando solet advesperascere & nox adventare, *sit lux*, & sol, Ecclesiæque dies non occidat, quomodo nox omnis & obscuritas tum exulabit, quæ

quæ tamen verba hypothetice dicta si quis vel ad thesin generalem, pijs tandem post tenebras oriri lucem ac prosperitatem Psal. 112, 4. revocare velit, vel per comparationem aut ad Judæorum conversionem, quæ sub finem mundi futura Rom. 11, 25. aut ad Lutheri b. m. reformationem accommodare, hactenus id rectè fieri posse existimo, atq; ita cum illa superiùs allata explicatione interpretationes illæ tres Gualtheri, Danæi & Wigandi conciliari queunt. Et hoc est primum consequens universalis Evangelij prædicationis, nempe hominum spiritualiter cæcorum illuminatio: sequitur secundum, animarum ex æstu iræ divinæ propemodum deficientium recreatio, de qua v. 8. *erit etiam die illo, ut prodeant aquæ vivæ è Jerosolymis* cumulatè inde per prædicationem verbi profluit divina gratia, quæ à sordibus peccati abluit, tristesq; animos mirè reficit, simul etiam ibi non stillabunt tantùm, sed effundentur copiosissimè Spiritus S. dona. Confer Joel. 2, 28. sup. 13, 1. Esa. 2, 3. Mich. 4, 2. Ezech. 36, 25. & 47, 1. Joel. 3, 18. Joh. 4, 14. & 7, 38. Apoc. 22, 1. atq; adeò ubertim se erumpent illi favoris cœlestis rivuli, ut totam Ecclesiam irrigent, quam hîc (ut alias sæpissimè sup. 9, 10.) propheta Judææ typo adumbrat mari mediterraneo circumclusæ & lacu Asphaltite, siquidem profluent illæ aquæ vivæ *parte sui ad mare orientale* seu mortuum, cui versus aquilonem cohæret mare Genezareth, *& parte sui ad mare posterum* occidentale sive magnum & mediterraneum. vide Deut. 11, 24. & 34, 2. etiam inspice, si libet, quæ dicta sunt Joel. 2, 20, & quod ad rem, confer Ezech. 47, 18. Magna igitur hæc gratiæ fluenta

accommodatur.
1.
2.
3.
Aquæ vivæ
Judæa typus Ecclesiæ.
Fluenta Ecclesiam irrigãtia.
magna,

& continua.

ratione loci, quia totam Ecclesiam perluent; magna etiam sunt ratione temporis, siquidem semper ac continuo fluent, & nunquam deficient in Ecclesia, *æstate & hyeme futurum hoc est*, neque illius calor exsiccabit, neq; hujus frigus constringet illa sacra flumina aquæ quidem malorum ac calamitatum desinent obundare pios tempore æstatis spiritualis seu restitutionis omnium Luc. 21, 30. 31. & aquæ felicitatis ac lætitiæ hoc in mundo etiam sæpè nullæ nobis sunt, sed hæ aquæ vivæ nunquam obstrui poterunt, quin Ecclesiæ agrum suaviter humectent ac fœcundent. Ubi bene nota, contra Calvinianos h. l. abutentes, quod propheta loquatur de tota Ecclesia, non verò de omnibus & singulis individuis & Ecclesiæ membris, quocunq; modo se gerant. Illi enim semper fluit hæc aqua qui bibit Joh. 4, 20. seu credit Joh. 6, 35. qui sitit justitiam Matth. 5, 6. potest autem quis derelinquere scaturiginem aquarum viventium, Deum ipsum, ejusq; gratiam, & effodere sibi cisternas fractas, quæ non capiunt aquas Jer. 2, 13. atq; ita accedere ad hunc fontem ac bibere dum desinit, aqua hæc ipsi quoq; amplius non profluit, siquidem os fidei, qua hauriat, deperdidit.

Calviniani refutantur.

Vers. 9.] Tertium consequens prædicationis Evangelij est vera Dei cognitio, nominisq; ejus in tota terra manifestatio, nam *Jehova*, qui est revera solus *rex super omnem terram, erit* & agnoscetur etiam tum ab omnibus talis (sæpè enim res fieri dicitur, quando manifestatur) *die illo*, cum idola fuerint sublata eorumq; cultus ex animis hominum conversorum deletus, *erit Jehova unus*, sine idolis unus ac solus in Ecclesia agnoscetur prædicabitur

Jehova rex super terram.

bitur & invocabitur sup. 13, 2. *& nomen* seu cultus ejus verus *erit unus* Johan. 10, 16. Idola enim gentiles varijs modis coluere; Deus autem noster, qui spiritus, vult tantùm in spiritu ac veritate adorari Joh. 4, 23. 24. & in fide verâ invocari Jacobi 1, 6. Marc. undecimo, 24. Rom. 10, 13. Sir. 7, 9. secundum voluntatem ipsius 1. Joh. 5, 14. in Christi nomine Joh. 16, 23. *Deus quomodo colatur.*

Vers. 10.] Quartum quod è præcedentibus oritur consequens est, Ecclesiæ ex gentilibus amplificatio, restitutio, propagatio, conservatio. Quæ enim antea fuit aspera, tumida, elata, per Evangelium *redigetur tota hæc terra quasi campestria*, omniaq; in Ecclesia æquabuntur, ut plana sint Es. 2, 2. & 40, 4. Luc. 3, 5. sup. v. 4, ut ita montes hactenus steriles (alludit enim ad Jerosolymam terrestrem, quæ undiq; montibus altis cincta Psal. 87, 1. & 125. 2.) evadant cultu & situ frugiferi, idque futurum per totam Ecclesiam, quousq; se illa extendit, sicut olim, si quis totum Judæ regnum erat complexurus, terram, quæ *à Gebaho* limitaneo Benjaminitarum ad Septentrionem oppido 1. Reg. 15, 22, *usq; ad Rimmonem, in australi parte Jerosolymorum* sitam Judæ & Simonis ad meridiem terminum, nominabat Josuæ 15, 32. & 19, 7. Et quamvis Ecclesia ita coram Deo suo se humiliaverit coram eo procidens, *exaltata* tamen inter reliquos populos verè *manebit & in loco suo* sup. c. 13, 6. neq; ulla pars deerit *à porta Benjaminis usq; ad locum portæ primæ, usq; ad portam angulorum, & à turri Chananeelis usque ad lacus torcularium regis*, hoc est, tota illa cum omni suo ambitu, quomodo majestas & amplitudo Ecclesiæ cœlestisq; Jerosolymæ verbis V. T. & à terrestri Ierosolyma desum- *Omnia plana in Ecclesia.* *Termini regni Judæ.* *Jerosolyma superna.*

desumptis, more prophetarum solenni describitur, & notatur, quod sit maxima civium Ecclesiæ N. T. futura frequentia ex omnibus gentibus hinc inde collecta. *Tremellij nota.* Nam ut annotat Tremellius, porta Benjaminis, quâ ibatur in agrum Benjaminitarum, Ier. 37, 13. ad septentrionem sita erat inter duas portas, quæ proximè nominantur, è quibus una (quæ porta prima dicitur, aut etiam vetus Neh. 3, 6.) erat in parte occasus, altera, quæ angulorum dicitur, spectabat ortum 2. Chron. 25, 23. turris Chananeelis meridiem, torcularia regis septentrionem Neh. 3, 1.

Vers. 11.] Sic autem constituta Ecclesia & satis firmiter fundata, ipsi incolæ quamdiu in eâ manserint, erunt satis tuti, & habitabunt in eâ, non omnes perdentur aut ejicientur persecutionibus, & gentes admittentur, neq; deinceps ut in V. T. erunt maledictæ, ἀνάθεμα *non erit amplius*, super credentes, quibus verbis non tollitur excommunicatio hæreticorum, vel planè improborum: illi enim non habitant in Ecclesia, sed ex ea exierunt, atq; ut membra putrida defecerunt. nam residebit urbs Ierosolymorum securè, ut nemo vi externa possit inde abripi Rom. 8, 35. 39. *Excommunicatio bis non tollitur.*

Vers. 12.] Hæc autem bona, quando obvenient Ecclesiæ, veris civibus mala & magna erit afflictio persecutorum Evangelij impœnitentium, ubi simul ἀιτιολογία redditur, cur tuta futura sit Ecclesia, nempe quia Deus illius hostes percutiet plagâ maximâ. *Hæc* verò *erit plaga, quâ afficiet Jehova omnes populos, qui turmatim convenerint contra Jerosolymam*, ut eam evertant funditus, amittent potentiam, *tabefaciet carnem cujusq;, ipso stante super*

super pedes suos, id est, momento, antequam sedere aut recumbere ex infirmitate potuit, ut in Antiocho 1. Maccab. 6. Herode Act. 12. Maximino Imperatore tyranno, Nestorio & Arrio hæreticis videre est: amittent prudentiam, *& oculi cujusq; tabefient in foraminibus suis*, amittent deniq; eloquentiam, *& lingua cujusq; tabefiet in ore ipsorum*, ita erit in ipsis primò virium defectus.

Deus subito quosdã malos perdit,

Vers. 13.] Deinde erit intestina hostium dissensio, quâ ipsi inter sese committentur divinitus, erit etiam die illo, *ut sit vexatio Jehovæ magna in illis*, ut immittat Deus illis ἔκστασιν καὶ φρένησιν, *adeò ut prehendant alter manum alterius, & ascendat manus unius contra manum alterius* confer Ezech. 38, 21. 22. & exempla jam ante nota, vide Iud. 7, 22. 1. Sam. 14, 20.

quosdam inter se cõmittit.

Vers. 14.] Porrò, ut fieri amat, in bellicis tumultibus & intestinis seditionibus, non aberit bonorum ereptio, *& tu quoq; Jehuda pugnabis Jerosolymis*, vos confessores constantes in Ecclesia bonam in gentibus convertendis navabitis operam, sic futurum est, ut hostium spolijs abundè ditescat Ecclesia, quemadmodum olim tabernaculum Mosis spolijs Ægyptiacis, *& recipientur opes omnium gentium*, quæ sunt *circumquaq;, aurum & argentum, vestesq; multæ admodum*.

Vers. 15.] Sed spei aliquid restare poterat Ecclesiæ hostibus in confœderatis, qui veniant subsidio ac ferant suppetias. nihil est, quia ecce eveniet copiarum auxiliarium internecio, & non tantùm ipsi hostes, sed etiam omnia eorum instrumenta perdentur. *Similiter*, ut supra futurum gentibus Ecclesiam oppugnantibus audivimus, *futura est plaga equorum, mulorum, camelorum, asino-*

asinorumq́, & omnium jumentorum, quæ erunt in castris illis, & omnium inequitantium vel utentium illis, plaga inquam, *similis plagæ illi*, puta, de qua jam in tribus præcedentibus versibus.

Quidam persecutores convertuntur

Vers. 16.] Videtis igitur, ô hostes Ecclesiæ, quàm severè Deus puniat sui cœtus persecutores: desistite, moneo, & vos ad Ecclesiam recipite, ita spes veniæ supereſt, quoniam ex ipsis persecutoribus Deus quosdam recipiet in gratiam, qui ex animo ad frugem redierint. Duo enim hæc potissimùm hîc declarantur, qui, nempe magno numero, & quam verè sint convertendi, videlicet ita, ut deinceps Deum studiosè colant omni tempore. *Eritq́, ut quisquis residuus fuerit ex omnibus gentibus, quæ venerint contra Jerosolymam*, eamq; oppugnaverint, *ascendant* in eam *de anno in annum, ut incurvent se regi Jehovæ*, Domino *Exercituum, & ut celebrent festum tabernaculorum*, ut Deum suum seriò ac legitimè colant, & ut possint, ejus essentiam ac voluntatem probè cognoscant, ubi in posteriori membro per phrasin V. T. cultum N. expressit, ut sæpè & ipse & alij. si enim de V. T. ceremonijs propriè loqueretur de omnibus tribus festis anniversarijs, non autem de uno tantùm diceret. vide Deut. 16. Hujus autem potissimùm meminit, quod ad præsens institutum optimè quadrat, & vitæ humanæ, quam corrigendam esse monet, conditionem satis benè adumbrat. Ut taceam, quod in eo Israelitæ recolerent memoriam eductionis ex Ægypto ac sustentationis in deserto, quò sequentia appositè accommodari queunt.

Festum tabernaculorum cur & quomodo celebrandum.

Vers. 17.] *Et erit, si qui* negligentiores in cultu Dei *non adscenderint ex familijs terræ Jerosolymam ad incurvandum*

dum se regi Jehovæ Domino *Exercituum*, si qui Ecclesiæ veræ se aggregare Deumq́ verum venerari noluerint, *ut non sit super eos imber*, quo ex benedictione Dei terra solet irrigari ac fœcunda reddi Ps. 65, 9. 10. Esa. 30, 23. confer Deut. 28, 23. 24. hoc est, maledicti erunt, legisq́ minas sentient, quod malum hîc synecdochicè indicatur, dum quadam difficultate ad vitam præsentem pertinente declaratur. quomodo si quis consequenter id quoque indicari dixerit, non fore super tales imbrem spiritualem consolationis, nos contradicentes non habebit, modo stet illud, propriam vocis מטר significationem hîc omninò servandam, dum absurditas aut falsitas inde oriatur, ob quas duas causas à propria juxta scripturæ analogiam ad modificatam descendimus. hîc vero cum neutra militet ratio, literam observo & confero locum sup. c. 10, 1. ac versum seq. ubi imber iste super Ægyptum non cadere dicitur. Quod Gualtherus affert, non esse hoc perpetuum, pijs dari, impijs non dari pluviam, nihil obstat huic sententiæ, quia Deus istis bonis corporalibus facit quod vult, & ob causas nobis ignotas sæpè vel promissionem suam, vel minas suas differt, illic ne insolescant boni ac mundo abutentes pereant: hîc ut mali bonitate Dei corrigantur, qua de re alibi prolixiùs. confer saltem Deut. 28, 23. Matth. 5, 45. Amos 4, 7. Manet tamen quod pluviæ defectus improbis imponatur ut pœna, & imbris copia pijs detur ut benedictio, quamvis Deus non semper illam statim inferat, neq; hanc afferat, quod ejus omniscientiæ relinquimus.

Non est super malos imber.

מטר

Gualthero respondetur.

Vers. 18.] *Quod si* hac pœnâ adjectâ nondum territa *familia Ægypti, super quam non* est imber frequens (siquidem

In Ægypto pluvia rara.

quidem Ægyptum rarò aut ferè non irrigari pluviâ, sed potissimùm Nilo inundari Esa. 23, 3. docent non tantùm historiæ, verum etiam Moses testatur Deut. 11, 10. quandam tamen pluviam quandoque ibi cadere indicio sunt illa quæ extant Psal. 105, 32. *) non adscenderit neq; advenerit* Ierosolymam, cùm pluviâ putet se posse carere, nihilominus easdem difficultates divinitus perferet, quas alijs gentibus solet afferre imbrium inopia, *erit* tamen super eam *illa plaga* sup. v. 12. *quâ Jehova affecturus est gentes alias, quæ non adscenderint ad celebrandum festum tabernaculorum*. In quo versu si quis sub Ægyptiorum persona hypocritas describi putat, quod quemadmodum Ægyptus Nilo inundata imbrem non admodum requirebat, sic illi suis bonis, (ut ipsi quidem existimant) satis felices, Dei gratiâ non valdè indigere se credunt, in paradigmate hoc fieri posse crediderim, & accommodari alijs malis atq; contemtoribus ex regula generali debere, quæ suo malo experti sunt Ægyptij, sicut digitum intendit sequens versus, qui sic habet.

Ægyptij i. e. hypocritæ.

Pœna negligentiũ cultum Dei.

Vers. 19.] *Hæc erit peccati* & cessationis à cultu publico *pœnæ Ægypti, & peccati pœna omnium gentium, quæ non ascenderint ad celebrandum festum tabernaculorum*, quæ ad Dei cultum peragendum non fuerint alacres.

Sanctitas Jehovæ.

Vers. 20.] Hanc pœnam dum evitare cupiunt, multi ad Deum se convertent, & ut verè spontaneus populus, Deo sua omnia consecrabunt, *die illo erit* scriptum *super tintinnabula equi*, quæ in locis montosis atque avijs appenduntur equis, *sanctitas Jehovæ*, quæ olim in V. T. erat inscriptio peculiaris tiaræ sacerdotalis Exod. 28, 36. ut indicaretur, esse pontificem maximum Christi typum, qui

qui revera sanctus Domini. nunc autem sub tempus N. T. cum non tantùm res precioſiſſimæ, verùm etiam omnia metallica referentur in domus Dei ærarium, ut in uſus ſacros occupentur, plurima vaſa & inſtrumenta bellica & domeſtica erunt Deo ſacra, *ut ſint* deinceps *ollæ in domo Jehovæ q. crateres coram altari*, id eſt, copioſiſſimæ & ſanctiſſimæ, ſicut olim crateribus ſacris ad miniſterium abundabat altare Dei, ut ita ſit maxima miniſtrorum & miniſterij in Eccleſia commoditas.

Verſ. 21.] *Imò erit omnis olla Jeroſolymis & in Jehuda, ſanctitatis Jehovæ* Domini *Exercituum*, domeſtica quoq; utenſilia erunt Domino conſecrata, *& venientes omnes*, cum in V. T. tantùm ſolis ſacerdotibus hoc liceret, *ſacrificaturi accipient ex eis, ac coquent in eis, neq; erit Cananæus*, qui remanebat in primo in terram ſanctam ingreſſu Exod. 23, 29. Deut. 7, 22. hoc eſt, extraneus aut impurus *amplius in domo Jehovæ* Domini *Exercituum die illo*, ſed Eccleſia tota hîc inchoatè, in altera verò demum vita conſummatè erit ſancta, non habens rugam aut maculam Eph. 5, 27.

Non erit Cananæus in Eccleſia.

LOCI COMMUNES.

Ex verſ. 3.]

Procedens Jehova pugnabit contra gentes] Deus ex fœdere, quod cum ſuis inijt, eſt ſui populi vindex certiſſimus Luc. 18, 8.

Deus vindex ſui populi.

Ex verſ. 4.]

1. *Poſtquam ſteterint pedes ejus*] Ipſius Chriſti aſcenſio in cœlos ut à prophetis fuit prædicta Pſal. 47, 1. & 68,

Aſcenſio Chriſti in cœlos.

& 68, 19. ita etiam tandem fuit completa. Et ut locum nativitatis Christi Micheas cap. 5, 2. Matth. 2, 6. Johan. 7, 42. initij prædicationis Esaias cap. 9, 1. Matth. 4, 15. exilij, Hoseas 11, 1. Matth. 2, 15. mortis, Daniel cap. 9, 25. 26. notavit, sic adscensionis locum hîc expresse indicat Zacharias. confer ex N. T. superiùs allegata.

Stemus in monte olivarum.

Nos videamus, ut stent nostri pedes in monte olivarum, quando hic nobis discedendum, hoc est, tales simus, quibus Deus meritò suam misericordiam (quam oleum mystice in scriptura denotat) non deneget, idq; ut fiat, sit ille mons nobis positus ex conspectu Jerosolymorum seu Ecclesiæ, in qua visio pacis.

Apostoli à monte olivarum ablegati.

II. Scindetur mons olivarum] Apostolorum in totum terrarum orbem emissio maximum misericordiæ divinæ signum, ideoque meritò in monte olivarum mandata, & per eorum prædicationem montes magnî vitiorum sunt in planitiem redacti.

Ex vers. 5.]

Optimum asylum.

I. Fugietis ad locum quem selegit] Quemadmodum olim ad aram, ita in N. T. in malis ad Ecclesiam, Deique in illa oblatam gratiam confugere, optimum est asylum. Nam confidens in latibulo excelsi, in umbra omnipotentis indesinenter pernoctans, dico, in Jehova est receptus meus Psal. 91, 1. 2. confer Num. 14, 9. Psal. 18, 17.

Angeli.

II. Omnibus sanctis adstituris tibi] Sancti angeli sunt Dei hominumq; piorum ministri, qua de re supra in hoc propheta sæpius & prolixius.

Ex vers. 6.]

Die illo lux non erit preciosa & densa] Quamvis lux verbi divini non semper æquali splendore luceat, unde Ecclesia etiam comparari solet Lunæ, quæ modò plena, modò cornículata apparet, tamen quandoq;, & præcipue sub initium N. T. tempore apostolorum tanta refulsit, ut in totum terrarum orbem suos radios projecerit. *Lux Ecclesiæ.*

Ex vers. 7.]

Dies agnoscetur à Jehova] Dei est, non nostrum nosse temporum articulos Act. 1, 7. & cum omnia divinâ providentiâ gubernari sciamus, credamus, eum novisse, quomodo & quando pios ex tentatione liberare debeat 2. Pet. 2, 9. 1. Cor. 10, 13. *Καιρούς Deus novit.*

Ex vers. 8.]

I. Prodeuntibus aquis vivis ex Jerosolymis] De Sion prodijt Evangelij doctrina Esa. 2, 2. Luc. 24, 47. Act. 1, 8. vide plura in hanc sententiam Mich. 4, 2.

II. Æstate & hyeme futurum] Ecclesia est domus Dei ædificata super petram, Christum videlicet, & proinde semper manet firma ac inconcussa Matth. 16, 18. Ps. 125, 1. sub Dei præsidio tuta Ps. 121, 4. 5.

Ex vers. 9.]

Erit Jehova rex & unus super totam terram] Idololatræ Deum quasi scindunt & in varias partes dividunt, quando unum mari, alterum terræ, &c. attribuunt: veri Christiani autem norunt unum esse Deum, non plures, qui solus regit omnia, & præter eum non est ullus alius 2. Reg. 5, 15. *Unus Deus.*

Ex vers. 10]

Ecclesiæ planities & fertilitas.

Redigetur tota terra in campestria] In Ecclesiâ verâ debent esse planæ viæ, & Domino benè præparatæ Esa. 40, 3. Joh. 1, 23, Luc. 3, 4. 5. & campus etiam fertilis, siquidem arbor, quæ non fert fructum, excindetur Matth. 3, 8. 9. 10.

Ex vers. 11.

Gentium vocatio.

Anathema non erit amplius] Gentes quæ in V. T. erant sine Christo abalienatæ a Rep. Israelis, & spem non habebant, in N. T. per Christi sanguinem factæ sunt propinquæ, & sic pax inter utrosq; intercessit, gentes ac Judæos Eph. 2, 12. 13. 14.

Ex vers. 12.]

Hostes Dei pereunt.

Hæc erit plaga] Tandem Deus Ecclesiæ hostes perdit, si obstinati esse pergant, quia ita Christum ipsum persequuntur Ps. 2, 2. Act. 9, 5.

Ex vers. 13.

Malorum discordia.

Erit vexatio Jehovæ] Deus ex justo suo judicio sæpè permittit diabolo omnium turbarum autori malos ut queat unanimes armare in prælia fratres, & hi se mutuis vulneribus concidant Jud. 9, 23. siquidem ab hisce malis Dei providentia planè non abest, sed metas constituit & ad finem bonum dirigit.

Ex vers. 14.]

Recipientur opes omnium] Malè parta malè dilabuntur Hag. 1, 6.

Ex vers. 15.]

Animalia afflicta.

Similiter futura plaga equorum] Etiam propter hominem

minem sæpè ipsa animalia tanquam hominis peculium affliguntur, ut in diluvio videre est Rom. 8, 20. 21.

Ex vers. 16.]

I. Omnis residuus adscendent de anno in annum] Populus Christi est spontaneus & alacris Dei veri cultu Psal. 51, 14. & 110, 3. Sir. 35, 10. Rom. 6, 18. & 12, 8. 2. Cor. 9, 7. 1. Pet. 5, 2. Philem. v. 14. *Pij alacres.*

II. Incurvent se regi Jehovæ] Præcipuus Dei cultus est cum fiducia Deum invocare, quia hoc ei tribuit laudem misericordiæ, omniscientiæ, omnipotentiæ. *Invocatio Dei.*

III. Ut celebrent festum tabernaculorum] Omnes Christiani, qui peregrinantur hîc â Domino, celebrant jugiter festum tabernaculorum, dum per desertum mundi in terram promissionis properant. confer Gen. 47, 9. Psal. 39, 13. & 119, 18. 2. Corinth. 5, 4. 6. Heb. 11, 13. prolog. Sir. v. 11, proinde sit in conspectu semper illud Augustini dictum tractat. 40, in Johannem. Utere mundo, non te capiat mundus. Quod intrasti, iter agis, exiturus venisti, non remansurus. Iter agis, diversorium est hæc vita, utere nummo, quomodo viator in diversorio utitur mensa, calice, urceo, lectulo, dimissurus, non permansurus. *Festum tabernaculorum in N. T.* *Augustinus.*

Ex vers. 17, 18. 19.]

Non erit super eos imber, qui non adscenderint] Impijs tandem eveniunt legi subjectæ comminationes, de quibus Levit. 26. Deut. 28. *Impij puniuntur.*

Ex vers. 20.

Erit inscriptum tintinnabulis] Pij omnia sua ad Dei gloriam referunt 1. Cor. 10, 31. 1. Tim. 4, 3. *Omnia Deo sacra.*

munda,

In Ecclesia non sit Cananæus spiritualis.

Caput Decimumquartum

Ex vers. 21.]

I. Omnis olla Jeroſolymis erit ſanctitati Jehovæ] Omnia munda mundis Tit. 1, 15.

II. Non erit Cananæus amplius in domo Jehovæ] Cananæi erant improbi & in mercimonijs exercendis aſtuti & fraudulenti, ut nomen cluebant. Notatur ita non debere eſſe in Eccleſia improbos aut nundinatores, præcipuè qui dona ſpiritualia more Bileami Num. 22. 2. Pet. 2, 15. Gehaſi 2. Reg. 5, 20. Simonis Magi Act. 8, 18. Phariſæorum atq; ſcribarum Matth. 23, 14. precio vendunt (quod in Epiſcopo valdè reprehendit apoſtolus 1. Tim. 3, 3. Tit. 1, 7.) quia quæ Deus gratis dedit, gratis vult cum pijs in Eccleſia communicari Matth. 10, 8. Hæc autem perfectio, quod tales nulli in Eccleſia inveniantur, quoniam ad alteram vitam ſpectat, nos eò contendamus & aſpiremus. Ita ei, qui poteſt nos cuſtodire à lapſu immunes, & ſtatuere tandem in conſpectu gloriæ ſuæ inculpatos cum exſultatione, Soli ſapienti Deo ſervatori noſtro gloria eſto & magnificentia, robur & autoritas & nunc & in omnia ſecula Amen.

Epl. Jud. verſ. 24, 25.

Jerem. 44, 21.

אֶתֶם זָכַר יְהוָה וַתַּעֲלֶה עַל־לִבּוֹ

I. In-

I. Index.

Locorum scripturæ, quæ in hoc Commentario explicantur.

Genes. 2, 21. pag. 369.
Judic. 15, 4. 5. 17.
2. Chron. 12, 15. 15.
Psal. 20, 8. 9. in præfatione.
Proverb. 1, 32. 45.
12, 18. 356.
Esaiæ 6, 9. 365.
Habac. 3, 3. 253.
Matth. 23, 35. 2. 3.
Matth. 27, 9. 311.
1. Timoth. 5, 21. 158.
Apoc. 1, 7. 342. 343.
11, 3. 4. 127.

II. Index.

Autorum, qui allegantur.

Aben Esra 307.
Ambrosius 98. 99.
Augustinus 28. 157. 208. 249. 267. 297.
Bellarminus 262. 340.
Bernhardus 99. 290.
Bertius 318.
Beza 313.
Brigthmannus 127.
Buxtorfius 19. 101. 123. 167. 202. 273. 303. 307. 359.
Calvinus 106. 110. 127. 313.
Calvisius 14.
Chaldæus 181.
Chemnitius 45. 108. 158. 250. 318. 346.
Chrysostomus 46. 137. 267.
Claudianus 156. 253.
Conimbricenses 193.
Curtius 231.
Cyprianus 249.
Danæus 109. 152. 331. 378.
Diodorus Siculus 232.
Elias 244.
Epiphanius 306.
Gregorius 88.
Glassius 312.
Gualtherus 64. 67. 105. 135. 143. 152. 178. 254. 269. 303. 327. 387.
Heerbrandus 44.
Hesiodus 137. 239.
Hiero-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746456336/phys_0395
DFG

Hieronymus 27. 105. 111. 116. 332. 374.
Homerus 15. 320.
Horatius 16. 22.
Josephus 30. 31. 293. 302. 306.
Junius 14. 91. 105. 113. 121. 125. 127. 135. 148. 154. 181. 276. 302. 306. 378.
Kimchi 34. 101. 273.
Lutherus 26. 42. 71. 147. 289. 306.
Matthias 347.
Plinius 43.
Ribera 37. 102. 111. 112. 116. 126. 152. 199. 303. 327. 331. 358. 378.
Sa 159.
Sanctius 312.
Scaliger 303.
Septuaginta 37. 137. 273. 295. 307. 313. 332. 342. 343. 351.
Tarnovius 324.
Tertullianus 142.
Tremellius 235. 377. 384.
Torrensis 340.
Virgilius 40. 336.
VVigandus 95. 126. 135. 151. 154. 155. 270.

III. Index.

Vocum Hebræarum, quarum Etymologiæ, emphases, propriæ significationes ac differentiæ hîc declarantur.

358. אָדָם
358. אַדֶּרֶת
101. אוֹת
156. אֲמֻצִּים
307. בָּחַל
179. בֵּית אֵל
133. בֵּן *seu* בַּר
341. בִּקֵּשׁ
329. בָּרָא
2. בְּרָכְיָה
282. גִּבּוֹר
363. גָּבֶר
304. גָּדַע
116. גֻּלָּה
387. גֶּשֶׁם
228. דָּבָר
34. דָּבַר ב *cum*
356. דָּקַר
281. הוֹשְׁבוֹתִי
163. הִתְיַצֵּב
241. 242. *id est*, *significat* י
377. כַּאֲשֶׁר *i. e.* י
1. זְכַרְיָה
303. חֹבְלִים
228. חַדְרָךְ
272. חֲזִיזִים
351. חַטָּאת
170. חֶלְדַּי
182. חַלּוֹת
חָלַם

274. חָלַם
171. חֵלֶם
241. 244. חָמוֹר
171. חֵן
231. חָרוּץ
171. טוֹבְיָה
285. יְאוֹר
171. יְאשִׁיָּה
171. יְרַבְעָה
329. יָצַר
380. יָקָר
277. כִּי *verè*,
335. כִּיוֹר
363. כִּנְּרוֹן
232. מֶבֶט
233. מִבֵּין שִׁנָּיו
101. מוֹפֵת
90. מַחֲלָצוֹת
272. מָמָר
272. מַלְקוֹשׁ
235. *notat remotionem* מִן
375. מִן־הָעִיר
227. מַשָּׂא
235. נָגַשׁ
351. נָדָה
255. נוּב
328. נָטָה
166. נֵצֶר
323. 324. *permisit* נָתַן
332. סַף
186. סֵפֶר
2. עִוֹן
119. *juxta*, עַל
327 *pro*
125. 126. *apud*
363. עֵמִיר
241. עֲנִי
273. עָשַׁב
190. עֶשֶׁק
275. פָּקַד
102. צָמַח
71. צִפּוֹן
201. *cum* קִנְאָה ל
274. קַסָּם
19. 192. 208. קֶצֶף
קָצַף
39. 40. 190. רַחֲמִים
87. שָׂטָן
192. שָׁמִיר
150. שִׁנְעָר
233. שִׁקּוּצִים
33. שֹׂרֵק
274. תִּרְפִּם

Et græcarum.

Αλλοτριοεπίσκοποι 361.
Διφθέρα 136.
Επιμᾶν 88.
Ιησοῦς 244.
Σωλάγχνα 39.
40.
Σβιχᾶν 361.

IV. INDEX.
Rerum & Verborum memorabilium.

Abies 295.
Adamas 192.
Ædificare dumum 149.
Afflicti quidam convertuntur 29.
Ægyptij i. e. hypocritæ 388.

in Ægypto pluvia rara ibid.
Albus color 34.
Allegatur hic liber in N. T. 2.
Anagoge 202. 211.
Analysis libri 8.
Cap. I. 12. 13.
II. 50. 51.
III. 85. 86.
IV. 113. 114.
V. 135. 136.
VI. 152. 153.
VII. 175. 176.
VIII. 199. 200.
IX. 227.
X. 270. 271.
XI. 291. 292.
XII. 325. 326.
XIII. 349. 350.
XIV. 372. 373.
Angeli cursum Evangelij promovent 97. 164.
multi sunt & fortes 157.
omnia habent à Deo 157.
terram perambulant 44.
verbum Dei efficiunt 45. 163.
vocantur currus 155.
Angeli sancti confirmati in bono 157. 158.
cupiunt obambulare terram 161.
Deo astant 162.
sunt ut venti 159.
Angelorum operâ cur Deus utatur 35. 44.
celeritas 162.
Angelus loquens in me 34.
ut Angelus Dei 336.
Anima non creatur immediatè 330.
Animal tenerum 242.
Anni sacri menses à Mosis tempore intelliguntur 30. 31.
Apostoli reducti 365.
Aquæ i. e. hostes 289.
Aquæ vivæ 381.
Aquilo spiritualis 71.
Arca fœderis 225.
Asinus immundus 245. 260.
Asino vehi 245.
Argumentum libri 3.
cap. I. 11. 12.
II. 49.
III. 84.
IV. 110.
V. 134.
VI. 151.
VII. 174.
VIII. 198. 199.
IX. 226.
X. 269.
XI. 290. 291.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746456336/phys_0398
DFG

XII. 324.
XIII. 349.
XIV. 371.
Attendendum in sacris 53.
Avaritia 237.
Audiamus & obediamus 297.
Auditores omnes non convertuntur 27.
Auditus duplex 51.
Aures aggravare. 191.

Babylon spiritualis 60. 61.
ex Babylonia Judæi ter educti 60.
Baculi duo 303.
non notant legem & Evangelium 304.
Baculus devincientium 314.
Baptismus abluit peccata 351.
Basan 295.
Bellum 215.
in eo successus à Deo 264. 276.
multa prava 376.
est pœna 280.
Benedictio 215.
Beneficia N. T. mentione beneficiorum Judæis præstitorũ explicantur 376.
Benoni pro paulo post futuro 308.
notat habitum 328.
Bonis malè 214.
Bonum est à Deo 134.
Bonus i. e. lætus 221.

Calvinianorum error 382.
Candelabro adumbratur Ecclesia 117.
Castra Dei 235.
Cedri politicæ 294.
Chamatha 229.
Christianorum ardor 225.
Christi adventus humilis 240.
beneficia 319.
descriptio 172.
incarnatio 65. 66.
justitia duplex 243. 259.
officia 319.
pastoris officinm 302.
pax 261.
regnum non est de hoc mundo 287.
stipatores 33.
vox lenis 287.
in Christi nomine orandũ 47.
Christo angelus inservit 58.
mala relata gratia 310.
oves commendãtur 299.
Christus caput Ecclesiæ 118.
dat Spiritum Sanctum 128.
diabolo

diabolo resistit 88.
est angularis lapis 103. 109.
brachium Dei 63.
germen 102. 166.
Deus verus 368.
humilis 259.
mediator 44.
pastor 318. 367.
rex Ecclesiæ 257.
testis 44.
unigenitus & primogenitus 347.
exauditur à patre 46.
habet Deum 318.
intercedit pro Ecclesia 36.
læditur in membris 72.
offert patri nostras preces 45.
omnibus est datus 256.
omnium curem gerit 43.
omniũ peccata fert 97. 110.
pro nobis conteritur 367.
pro nobis se gladio objicit ibid.
rogat pro suis 95. 96.
sacerdos sculpitur à Deo 104.
solus affert gaudium verum 256.
sparsit Evangelium per orbem 61.
suos non vult ociari 296.
verè dolores sensit 368.
vir dicitur 32. 42.
Cidaris 90.
Civitatis incrementum à Deo est 69.
Climax 191. 193.
Collatio Christi & Josiæ 348.
Collegæ 16. 17.
Confessio peccatorum 361.
Consolatio unde 96.
Contemtorũ Christi pœna 308.
Cõversatio cũ malis vetita 71.
Cornua quid notent 52.
Cornu salutis 54.
Corona ministrorum verbi quæ? 170.
Creaturæ timent à facie Dei 378.
Credentium firmitas 286.
Crux ad Deum ire cogit 370.
Currus militares 154.

Damascus 229.
Dei amor in ecclesiam 209.
bonitas celebrãda 131. 345.
dona ἀμεταμέλητα 287.
gratia misericordia 258.
instinctus sequendus 194.
ira 236.
judicia 140. *certa* 216.
manda-

mandata 189.
manus plumbea 147.
oculi 72. 73. 333.
omnipotentia 56.
opera inquirenda 68.
providentia 35. 236.
verbum verißimum 73.
voluntas inquirenda 54.
voluntas revelatur 69.
Deo ſoli fidendum 132.
cum Deo omnia benè ſuccedunt 130.
ad Deum confugiendum 263.
Deus agitat manum 64.
cum contritis habitat 209.
diſtribuit ſua dona ut vult 194.
dixit, & facta ſunt 29.
eccleſiam protegit 96. 266.
eſt creator 330.
murus igneus 59. 70.
παντοκρατωρ 163.
ſuavis 266.
unus 368.
evigilat 74.
format animam 328.
in dubijs conſulatur 181.
malos compeſcit 142. 146. 147.
mutat regna 237.
non frangit fidem 238.
novit modum præſtandi promiſſa 204.
oculos adhibet ſuper pios 53. 235.
omnia cernit 132. 229. 239.
per miniſtros loquitur 27.
per parva facit magna 149.
pro ſalute ſuorum vigilat 93. 139.
punit 22.
quos amet aut oderit 214.
ſibilat 283.
ſolatur ſuos 47.
tuetur ſuos 345. 371.
ad Dextram ſtare 88.
ad Dextram & ſiniſtram 334.
Diabolus miniſtris verbi inſidiatur 95.
Dies N. T. 65.
Diſcamus diligenter 128. 129.
Diu afflicti quidam 45, 46.
Divinationes 278.
Divitiæ à Deo 49.
Dormimus quando Deus nobiſcum agit 115. (68.
Duo cur mittantur à Deo 15. 16.
Duo ſemper conſideranda 372.
Duplum i. e. multum 250.
Eccleſia divinitus protegitur 56. 121.
eſt

est Dei peculium 74.
mons quidam 210.
humanâ potentiâ non protegitur 129.
loco uni non alligatur 54.
magna fit ex parvis initÿs 131.
premitur sæpe, ibidem
in Ecclesiâ boni & mali 70.
lux est 119.
omnia plana 383.
sonet vox Christi 130.
pueri ac senes 211.
Ecclesiæ collatio cum pupillâ oculi 62.
murus 59.
propagatio 41.67. 131.222.
reformatio 360.
salus ex Deo 48.
securitas unde 376.
tertia pars salvatur 365.
Ellipsis nominis conjugati 359.
Epha 143.
Equi Dei 280.
Equi varÿ coloris 160.
Esca Deo non commendat 187.
Et i. e. inprimis 38.53.
ex Eventibus non est judicandum 28.
Excommunicatio non est sublata 384.
Exemplorum usus 19. 23. 26.
Exeunti ac venienti nulla pax 206.
Exitus noster Deo commendetur 28.
Exscidium horrendum 139.
Fabri quatuor 55.
Factis prophetare 315.
Felicitas impiorum 45. 48.
Fides bona sibi applicat 257.
Filia Sionis 240.
Finem respice 150.
Fines terræ sanctæ 246. 284.
Finis hujus libri 8.
Finis politiæ Judaicæ 255.
Fletus 180.
Flumen i. e. Euphrates 246.
Fluenta Ecclesiã irrigãtia 381.
Fœdus Dei est conjugium 48.
fons bonorum 262.
reciprocum 212.
quomodo fiat irritum 309. 321.
Fons bonorum 286.
gratiæ 351.
Fundamentũ promißionũ 101.
Funiculi mensorÿ typus 57.
Furta & perjuria conjuncta 139.
Gentes Deo adjutrices in malum 39.

Con-

conferuntur pullo 260.
Gentium vocatio 65. 73. 168. 173. 224.
Gratia Dei cõfertur ſonti 355.
Grex ſine paſtore 275.
Hæreticorum exitium 360.
Haggæus docuit cũ Zacharia 3.
Homines ſunt excitandi 257.
Homo Dei 93.
Hortatio ad pœnitentiam 18.
Humerum refractarium præbere 191.
Hypocriſis 24.
Javan 252.
Iddo non eſt Oded 14. 15.
Idola ſunt deteſtationes 233.
vana 273. 278.
Idolorum nomina quomodo non memoranda 354.
Jebuſæi in populo Dei 234.
Jehova Dominus Exercituum 19. 20. 201.
incarnatus eſt crucifixus 347.
rex ſuper terram 382.
Jejunium hypocriticum 186.
Jeroſolyma ſedes Eccleſiæ 222.
ſuperna 383.
typus Eccleſiæ 57. 59. 199. 331.
Jeroſolymæ excidium 374.
Illuminandi modus 147.
Imber nõ eſt ſuper malos 387.
Imperativus pro futuro 365.
Impietatis gradus 197.
Impius ſuis vitijs perit 197.
Imputatio duplex 238.
Infundibula notant dona Spiritus S. 117.
Interrogatio Rhetorica 23. 124.
Joſephi domus 281.
Iſraëlitæ, qui voluerunt, ex captivitate ſunt reducti 4. 216. 251.
ſe peccaſſe negant 138.
Iſraël ſpiritualis 92. 282.
Juda & Iſraël 53.
Judæ regni termini 383.
Judæis cur excidium denuncietur 293.
Judæa typus Eccleſiæ 381.
Judæorum prærogativa 305.
Judaica politia ſublata 297.
Juſtificationis typus 90.
deſcriptio 97. 98.
Juſtior unus coram Deo non eſt altero 339.
Juſtitia 218.
Lætitia moderata licita 267.
Laici in veritatem religionis inquirant 360.
Lapides coronæ 254.

Lapis olim exercitij ergo sublatus 332.
Legati cum sacerdotibus agere solebant 177.
Legatio ex Babylonia ibid.
Legis & Evangelij discrimen 236.
Leones 296.
Lex docenda 25.
Mosis 92.
sequenda 218.
Libanus notat terram sanctam 293.
Liberalitas commendatur 169.
Liber hic est authenticus 2.
Libri Dei 140.
Longinqui à Deo advocantur 168.
Lupi Ecclesiastici 316.
ut Lutum platearum 231.
Lux non erit preciosa 380.
Lychnuchi typus 116.
Magistratui quæ Deus mandet 189.
Magistratum malum Deus punit 298.
Mali à Deo abjiciuntur 150.
quidam subitò sublati 385.
Malis substituuntur boni bene est 214.
Malum pœnæ est à Deo 142.
prædicitur 375.
Malum non est cogitandũ 190.
redit in magistrum 337.
Malorum meminisse 25.
Malorum pastorum notæ 318. 319.
Mandata hominum divinis præferuntur 188.
Massa plumbi 144.
Meßiæ nomen 128.
Meßias promittitur 102. 108.
Metuere non debemus 217.
Minister verbi accusatur, quãdo auditores sunt mali 93.
divinitus illuminatur 120
doceat, quæ novit 107.
duplicibus donis opus habet 91.
est lucerna ardens 117.
puer Dei 69.
in pietate proficiat 99.
magnum præmium reportat 100.
qualis esse debeat 17. 18. 94.
quomodo doceat 26.
roboratur à Deo 285.
studeat sanctitati 98.
Ministri verbi confirment se & alios 213.
sunt fratres 108.

Monar-

Monarchiæ quatuor 4. cornibus non denotantur 52.
Mons magnus 122.
Mons olivarum 377.
Montes i. e. diaboli 129.
Mortalitas cogitanda 21. 27.
Mortis piorum & impiorum discrimen 21.
Mulier politica 144.
Multi pereunt 369.
Mundana vana 256.
Myrtis quid notet 32.
Myrtus conferuntur Ecclesiæ membra 43.
Mysteria Dei cognoscenda 145.

Nomen Dei malis prætexitur 319.
Notæ eorum, quos Deus servat 365.
Nox visionibus destinata 32.

Occasio libri 3. 5.
Oculi septem 103. 124.
Oculus Dei 143.
in malum 147.
Olivarum mons quomodo scissus 377.
Omnipotentiam Dei non intelligimus 211.
Opera externa sine fide Deo non placent 195.
Opibus benè utamur, ut coronemur 170.
Orandum quomodo? 182.
Ora & lege 225.
Oves interfectionis 299.

Pacem loqui 246.
Panis quotidianus 278.
Παιδονομία 230. 231. 342.
Parvuli electi 369.
Pastores 296.
mali 300. 316. 317. 324.
tres excisi 306.
Patres non semper imitandi 26.
Pauci salvantur 320. 369.
Paul Cal quid notet 156.
Pax pia amanda 224.
spiritualis 247.
Christianorum 262.
Peccatores non exaudiuntur à Deo 193. 198.
cum Peccato confertur mulier 144. 145.
Peccata non sunt excusanda 141.
Peccatorum longitudo & latitudo 140.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746456336/phys_0405
DFG

Perambulare terram 35.
Perjuria 220.
Per quæ peccas, puniris 298.
Persecutores quidam convertuntur 386.
Phrasi V. T. res Novi T. designatur 356.
politicâ res spiritualis notatur 106. 107.
Philistæorum quatuor satrapiæ 231.
Pietas firmat regna 48. 195.
in Pietate proficias 132.
Pietatis præmium 210. 264.
Pij Christi oves 268.
comedent & bibent 253.
conferuntur auro 370.
disseminantur 284.
equus Dei 275.
probantur ut aurum 366. 370.
stupent magis quàm credunt 114.
sunt ut David 340.
Pijs omnia in bonum 224.
Planctus magnus 326. 342.
Pluralis numerus de uno ex pluribus 242.
Pluvia tempestiva 278.
Poculum Dei 237.
Pœnitentes recipiuntur in gratiam 217.
Pœnitentia stantium 26.
Pœnitentiâ agant omnes 348.
ad Pœnitentiam invitatio 21.
Pœnitere quomodo Deum possit 208.
Populus Dei punitur, quando peccat 23. 24.
Populus pro re nata docendus 196.
Potentia à Deo 49.
Prædictiones sacræ implentur 366.
Præfecti aliis puniuntur gravius 279.
ex Præteritis de futuris concludimus 249.
Prehendere alam vestis 223.
Probationis fructus 366.
Prolegomena 1.
Promissiones Dei conditionales 100. 173.
Promissa Dei impietate impediuntur 134. 135.
Prophetia est à Deo 164.
in Providentia Dei oculi tollendi 156.
Proximus diligatur 196.

Pseu-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746456336/phys_0406
DFG

Pseudopropheta reprehenditur 355.
Pupilla oculi Dei 62.
Quæstiones potius tractantur quàm pietas 185.
Recordari Dei 284.
Reductio ex Ægypto 284.
Regula extenditur 40.
Resipiscentia vera 25. 326.
Respondere 120. 124. 125. 159.
Revelandi modus duplex 31.
Revertuntur homines ad Deum 20.
Rufus color 32.
Sacerdotiũ unde cõtemtum 85.
Sacerdotum negligentia 275.
peccata arguenda 194.
Sagitta Dei 252.
Salus ex Deo 259.
Sanctitas Jehovæ 388.
Sapientia duplex 237.
Scebat 30.
Sectæ apud Judæos 306.
Sementis pacis 207.
Septuaginta anni captivitatis Babylonicæ 37. 46.
Sileat omnis caro 66.
Similitudines diversimodè adhibentur 266. 267.
in Sinu esse 364.
Sion spiritualis 72.
ad Sionem Deus est reversus 202.
Somnia 278.
Speremus dum spiramus 264.
Spiritus i. e. potentia Dei 122.
Spiritus impuritatis 354.
Spiritus S. dicitur unctio 128.
Spiritus S. dona 133. 346.
Spiritus gratiæ & precũ 341.
Stare 159.
Stare coram aliquo 85. 94.
qui Stat, videat, ne cadat 368.
Stupor noster 146.
Summa libri 11.
Sylva politica 294.
Syra vox adhibita 228.
Tabernaculorum festum cur celebrandum 386.
Tangere 72.
Templum Jerosolymitanum, typus Ecclesiæ 116.
Temporum momenta sunt servanda 179.
Tempus cur annotetur à prophetis 14.
Terra meridiana 160.
Terræ motus 379.
Termini regni Judæ 383.
Titio ereptus ex igne 89.
Titioni confertur pius 96. 97.
Toga villosa 358.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746456336/phys_0407
DFG

Tollere caput & cornu 55.
Transiens ac rediens 194.
Tribuum distinctio usque ad Christum 323.
Typus 41. 50. 165. 263. 315. 347.
Tyrus & Sidon 230.
Vastitas ex impietate 198.
Vaticinia in hoc libro 9. 10.
Verba Dei sunt bona 38.
cariora auro 118.
perspicua 209.
referēda ad populū 195.
res 42.
sequenda 196.
transfigunt 355.
vivunt 22.
Verbi Dei efficacia 197.
Verbo Dei honor habendus 182.
Verbum Dei est semē 287. 288.
grave & suave 329. 330.
Veritas 217. 219.
Vespertino tēpore erit lux 380.
Vestes mutatoriæ 90.
in V. T. unus interrogabat alterum 121.
Viæ Dei 92.
Vicissitudo 224.
Victoria 265.
ejus laus debetur Deo 265. 280.
Viri ostenti 101.
Visiones in hoc libro 8. 9.
Visitatio Dei gratiosa 279.
Visus duplex 51.
Vitæ æternæ perfectio 268.
Vive memor lethi 27.
Ultionis dies 374.
Unctio Sp. S. 133.
Vocare sub ficum & vitē 107.
Volumen volans 136.
in Urbe spolia dividere 374.
Usus hujus libri 5. 6. 7. 8.
Vulpes Simsonis 17.
Zacharias unde dictus 1.
num violenta morte interfectus 2. 3.
quid tractet 3.
quando & quibus prophetaverit 4.
dicitur puer 58.
Zachariæ genus & officium 2.
Zelotypia 101.
Zelus 38.
Zerubbabel 121. 123.

Esa. 29, 8.

יְהִיֶה שָׁלוֹם וְאֱמֶת בְּיָמֵינוּ׃

Lectori Candido
S. P.

ERrata typographica præter spem quædam irrepserunt, siquidem hanc rem ita comparatam esse videmus, ut ne Argus, quantumvis centoculus, omnia satis cavere queat: ideoq; non est quod quis vel communem fortunam recusare, vel propriam postulare velit. Pleraq; tamen menda, quæ in hoc Commentario occurrunt, talia esse putamus, quæ æquus Lector suo marte facilè possit emendare, præsertim si ea, quæ sunt in margine notata cum reliquis, vel antecedentia cum sequentibus, vel deniq; explicationem cum textu probè contulerit.

In numeris paginarum bis peccatum satis graviter. Nam à pag. *72.* usq; ad *83.* intermedij numeri sunt omissi: & post *199.* per aliquam multa folia pro *100. 101.* &c. necesse est ut quis substituat *200. 201.* & sic

deinceps usq; ad *221.* quô meliùs ea, quæ habentur in Indicibus, reperiri possint.

Præterea hæc menda notamus pro tempore.

Pag. 21. lin. 26. lege mortis.
p. 22. l. 25. veruntamen.
p. 36. in margine, Ecclesia.
p. 54. in mar. alligata.
p. 55. l. 19. Psal. 110, 7.
p. 101. in marg. V. T.
p. 131. in mar. Dei bonitas.
p. 157. l. 13. attollens.
p. 158. in mar. eligantur.
p. 161. in m. obambulare.
p. 169. in m. tempus.
p. 181. in m. הַבָּזָר. *(quando.*
p. 182. in m. quomodo *pro*
p. 183. l. 13. pro minus l. nimis.
p. 214. l. 28. abominatur.
p. 248. l. 22. ἀποστοφὼ.
p. 264. l. 25. nota.
p. 267. l. 16. vituperatur.
p. 284. l. 24. congregabo.
p. 309. in marg. Evangelii
p. 322. in m. lux.
p. 331. in m. pelvis.
p. 363. l. 11. meum *jussum.*
p. 379. in marg. igne *pro in ne.*

Alia his similia verè καφικὰ ἁμαρτήματα, Lector Benevole, quod credo futurum, quando agnoscis, ignosce & vale.

Te maneat semper servante Ecclesia Christe,
Insertosq; ipsi nos tua dextra tegat.

FINIS.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746456336/phys_0410
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746456336/phys_0413
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746456336/phys_0414
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746456336/phys_0416
DFG

tigat, neq; in seculum iram asservat,
eretur filiorum, ita ipse timentium
autem hoc per interrogationem rhe-
bonsionem negativam innuit. Confer
re in perpetuum, לָנֶצַח, oblivisce-
oc est contra tuam naturam, contra
ne quidem velle hoc potes, sed neque
servabis: quare (illa enim particula
s posita hic ἀπὸ τοῦ κοινοῦ repetenda est.
) derelinqueres nos per longitudi-
l. 23,6, quamdiu longa erunt tempora?
& consolare nos citò pro tua paterna
er spem & metum (quod ad corporales
e commendat, eiq; adhæret Ecclesia, do-
videris nos abjecisse, tamen, quia pater
les omninò.

m recurrit, qui suprà sæpius תַּעַזְבֵנוּ
quis vocabulis actum non agam. Lu-
lucida. Warumb wiltu vnser so gar
lenge so gar verlassen.
ις νῖκος, non placet.
uidem suos miseriâ afficit, sed non pla-
n cùm ipsi visum, reficit, derelinquit
sed recolligit æterno amore Esa. 54,

Quicquid autem hoc est, quod jam peti-
tentiæ, imò omnipotentiæ opus, quam
is luculenter in hoc suo populo vindi-